
CEDEM
X
3992

P. VIRGILII
MARONIS
OPERA

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

CAROLUS RUÆUS,

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI;

Editio novissima accuratè recognita,

CUI ACCESSERUNT IN NOTIS NOMINA LUSITANA REI RUSTICÆ, ANIMALIUM ATQUE PLANTARUM, NECNON AD GEORGICA APPENDIX, LUSITANO SERMONE QUAMPLURIMIS ADNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Studio et operâ

J. B. ROQUETE.

José Carlos de Braga S. J.

TOMUS TERTIUS.

PARISIIS,
APUD J. P. AILLAUD, 11, QUAI VOLTAIRE.

1850.

P. VIRGILII

MARONIS

OPERA

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

CAROLUS RUEUS,

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

Editio novissima accuratè recognita.

PARISIIS,

APUD J. F. AILLAUD, 11, QUAI VOLTAIRE.

1850

PUBLII
VIRGILII MARONIS
ÆNEIS.
LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Æneas e Cumano litore ad occidentem provectus, tumulatâ in Auruncorum litore Caietâ nutrice suâ, prætergressus montem Circæum, Circes habitatione et veneficiis infamem, ad ostia Tiberis appellitur. Tunc Latinus illic Aboriginibus imperabat. Huic unica erat filia Lavinia, Fauni oraculis destinata externo marito, Amatæ tamen matris voluntate promissa Turno Rutulorum regi. Mittit Æneas oratores Laurentum, in urbem Latini regiam. Latinus Æneam, non modò in socium, sed oraculi memor, etiam in generum admittit. Interim Juno, prosperis Trojanorum rebus offensa, evocat Alecto ex inferis. Alecto primùm Amatam Latini uxorem ita concitat, ut illa Bacchi sacra simulans filiam abscondat in montibus. Turnum deinde furiis iisdem agit in bellum : et Trojanos Latinosque invicem committit; occiso per Ascanium cervo, qui Tyrrhei pastoris regii filiæ erat in deliciis. Omnibus bellum frementibus, Latinus unus obsistit : tamen, Junone ipsâ belli portas aperiente,

rem fatis permittere cogitur. Confluunt ad Turnum ex omnibus Italiæ partibus auxilia : Mezentius, ejusque filius Lausus, cum Agyllinis ; Catillus et Coras, cum Tiburtinis ; Cæculus cum Prænestinis, etc.

Tu quoque litoribus nostris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti :
Et nunc servat honos sedem tuus ; ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exequiis Æneas ritè solutis,
Aggere composito tumuli, postquàm alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem : nec candida cursum
Luna negat : splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur litora terræ :

Tu etiam, o Caieta, nutrix Æneæ, tribuisti moriens famam immortalem nostris litoribus : et nunc memoria tua custodit locum ; et nomen *tuum* indicat sepulcrum *tuum* in magna Italia, si aliquis est hic honor. At pius Æneas factis exequiis *juxta* consuetudinem, extructâ mole sepulcri, postquàm tumida maria pacata sunt, continuat navigationem velis, et deserit portum. Venti favent circa noctem : et Luna splendida non obstat cursui ; mare fulget sub *ejus* luce tremula. Leguntur litora vicina terræ Circææ : ubi filia Solis opulenta sonat continuo cantu

1. *Tu quoque.*) In litore maris Tyrrheni, et finibus novi Latii ; nunc eâ parte regni Neapolitani, quæ dicitur *Terra de lavoro*, est hodieque *Caieta*, *Gaeta*, urbs cum sinu et promontorio cognomine.

3. *Servat honos sedem tuus.*) Vel sensum habet, quem in interpretatione suggerimus. Vel est hypallage sive commutatio, pro : *sedes servat honorem et memoriam tuam*, Æn. 6, 268. De *Hesperia magna*, Italia, Æn. 1, 534.

10. *Proxima Circææ*, etc.) Solvit sub noctem Caietâ, et ad occidentem navigat : Circæumque montem, *Circello*, in eodem Latii litore præter-

Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantûm, et serâ sub nocte rudentûm:
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

per sylvas invias; et *in* domo magnifica accendit cedrum odoriferam ad lucem nocturnam, addensans acuto pectine telas subtiles. Hinc *cœperunt* audiri voces, et furores leonum excutientium vincula et rudentium per mediam noctem: et setosi porci, et ursi *cœperunt* frendere in stabulis, et species magnorum luporum ululare: quos Circe, crudelis Dea, mutaverat efficacibus herbis ex figura hominum in vultus et pellem ferarum. Quæ talia portenta

gressus, ad ostia Tiberis primâ luce pervenit. De *Circæo* monte et *Circe* veneficâ, Solis filiâ, Æn. 3, 368.

11. *Inaccessos lucos.*) Accessit eò tamen Ulysses cum sociis. Igitur *inaccessos* dicit, quorum difficilis accessus, quò nemo debeat accedere propter illecebrarum pericula. Sic Georg. 3, 5, dixit *Illaudati Busiridis aras*, id est, quem nemo debet laudare, quamvis eum Isocrates laudaverit.

12. *Resonat cantu lucos.*) *Personat, resonare docet*, Neutrum, pro activo: ut ferê, Æn. 6, 832: *Assuescite bello.* Porrò Circe *urit cedrum*, sive tædam e cedro, pretiosâ arbore, quæ cariem non sentit, et unde oleum exprimitur. *Percurrit telas*: telam texit, opus muliebre, de quo, Æn. 3, 483. *Pectine arguto*, id est, vel *stridulo*, vel *acuto.*

16. *Rudentûm.*) Proprium est asinorum *rudere*, Georg. 3, 374. Leo dicitur *rugire*, sed vox ista recentiorum scriptorum est.

19. *Quos hominum ex facie*, etc.) Dicitur Circe potu medicati liquoris et virgæ tactu mutasse homines in feras. Et sic in sues mutavit Ulyssis socios, præter Eurylochum, qui domum ejus ingredi noluerat; et Ulyssem, qui esu cujusdam herbæ, *moly* nomine, præservatus a Mercurio fuerat. Hos tamen

Quæ ne monstra pii paterentur talia Troes,
Delati in portus, neu litora dira subirent;
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque fugam dedit, et prætervada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cùm venti posuêre, omnisque repentè resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hîc Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit: hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis et multâ flavus arenâ,
In mare prorumpit: variæ circumque supraque
Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras

ne paterentur pii Trojani, provecti in portum *illum*, et ne appellerent ad funesta litora; Neptunus inflavit vela prosperis ventis, et acceleravit cursum, et impulit *naves* ultra spumosum *hoc* mare. Et jam mare rubescebat luce, et ab alto cœlo Aurora crocea splendebat in equis duobus roseis: quando venti quieverunt, et omnis flatus subitò cessavit, et remi laborant in mari immoto. Tunc autem Æneas vidit e mari magnam sylvam: per illam Tibris, grato fluvio, celeri impetu, et flavus plurimis arenis proruit in mare: diversæ aves, assuetæ littoribus et alveo fluvii, circùm et suprà recreabant cantu cœlum, et per sylvam volabant. Jubet socios detorquere cursum, et appellere

posteà Circe, Ulyssis rogatu, pristinæ restituit formæ. Ita Hom. Odyss. 10, 135. *Sæva Dea* appellatur ab Homero, ibid., quia divini generis, Solis filia. De *Neptuno*, Æn. 1, 129.

25. *Jamque*, etc.) De *Aurora*, ejusque *bigis*, Georg. 1, 249. De *luteo colore*, Ecl. 4, 44.

28. *Tonsæ.*) Remi, sic dicti, vel quia fiunt e ligno *attonso* et dolato; vel quia aquas *tondent*, vel *tundunt* et verberant: Enniana et Lucretiana vox, Lucr. l. 2, 554: *Antennas, proram, malos, tonsasque natantes.*

30. *Tiberinus.*) Fluvius, vel potiùs fluvii Deus. De eo, Æn. 8, 330.

Imperat : et lætus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cùm primùm Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam : et primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu Diva, mone : dicam horrida bella;
Dicam acies actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo,
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et Nymphâ genitum Laurente Maricâ

proras litori : et gaudens subit amnem umbrosum. Age modò, o Erato, explicabo, qui reges, quæ tempora rerum, quis status fuerit veteris Latii, quando peregrinus exercitus primò applicuit classem Italico litori : et revolvam initia primi belli. Tu Dea, tu doce poetam : narrabo bella horrida : narrabo exercitus, et reges irâ impulsos in cædem, et turmas Tyrrhenas, et Italiam universam consociatam ad arma. Oritur mihi gravior series rerum, suscipio opus difficilius *quàm priùs*. Rex Latinus, jam grandævus, gubernabat agros et urbes quietas in pace diuturna. Audimus hunc natum Fauno et Maricâ Nymphâ

36. *Fluvio succedit opaco.*) *Umbroso*, propter arbores ripam hinc inde inumbrantes.

37. *Erato.*) Musa, quæ versibus præest amatoriis, ab ἐράω, *amo*. Hanc invocat, quia bellorum sequentium origo ex amore Turni et Æneæ in Laviniam. De Musis, Ecl. 3, 69. De *Latio* antiquo et *Ausoniis*, infrà, v. 54.

43. *Tyrrhenam.*) Tuscam, Etruscam, Æn. 2, 781. De *Hesperia*, Italia, Æn. 1, 534.

47. *Hunc Fauno*, etc.) Obscura est admodùm hujus familiæ series, et fabulis confusa. Multi discedunt a Virgilio, qui tres a Saturno gradus tantùm numerat : Saturnum, Picum, Faunum seu Fatuelum, et Latinum. Alii novem distinguunt gradus, in iisque geminum Saturnum, geminum item et Picum et Faunum : aiuntque ea junioribus Pico et Fauno tribui a Virgilio, quæ priscis tribui debuissent. Addunt hos *Aboriginum* reges fuisse, qui *La-*

Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato Divûm, prolesque virilis
Nulla fuit; primâque oriens erepta juventâ est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes;
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totâque petebant

Laurente. Picus *fuerat* pater Fauni : et *Picus* te patrem habebat, o Saturne ; tu primum caput *ejus* familiæ. Filius Latino et soboles mascula nulla erat, Deorum voluntate ; et nascens mortua fuerat *in* prima infantia. Filia unica tenebat domum et totam regionem : jam apta marito, jam nubilis ob adultam ætatem. Plurimi e magno Latio et tota Italia illam ambiebant. Ambit præ ceteris

tini deinde a Latino dicti sint : quanquam Latinorum nomen multò fuisse Latino rege antiquius quidam volunt, inter quos ipse Virgilius, ut diximus, Æn. 1, 10. De *Saturno* ejusque fuga in Italiam, Æn. 8, 319.

Laurente Maricâ.) Uxor *Fauni*, seu *Fatueli*, dicta est *Fauna* aut *Fatua*. Nomen habuêre a *fando*, vel *fatu* : quia furore correpti futura *fari* ac dicere solebant. *Marica* autem Nympha, ex qua Faunus suscepit Latinum, juxta Arnobium fuit Circe : juxta alios ipsa Fauna ; quæ a Minturnensibus, ad ostia Lyris fluvii, sacro in luco colebatur. *Laurens* vocatur ex regionis nomine : de quo infrà, v. 63.

52. *Filia.*) Lavinia, quæ demùm Æneæ nupsit, occiso Turno, Æn. 12.

54. *Magno e Latio, totâque.... Ausoniâ.*) Duplex *Latium* fuit : antiquum, a Tiberi fluvio ad Circæum montem, *Circello* : novum, seu magnum, a Tiberi ad Lyrim amnem, qui nunc est *Garigliano*, complectens Volscos, Auruncos, Æquos, etc. Hæc tamen Latii extensio a Romanis regibus est, multò Æneæ temporibus recentior : unde suspicantur multi, Latium hîc pro tota Italia sumi, quemadmodum et Ausoniam. *Ausones*, Trojanis temporibus *multò* antiquiores, Italiæ partem incoluerunt inferiorem, quæ ad Siciliam accedit. Mox, quia notissimi rebus gestis evaserant, factum est, ut eorum nomine a Græcis vocaretur tota Italia, a Sicilia usque ad Alpes. Pulsi deinde ab aliis, ultimò consederunt inter Volscos et Campanos, circa Lyrim, Caietam, et Minturnas ; et *Aurunci* tunc appellati sunt. Vide Cluver. Italiæ lib. 3, 9.

Ausoniâ. Petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta Deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam; multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cùm conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrâsse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.

omnibus formosissimus Turnus, potens avis et atavis, quem assumi generum uxor regis mirifico studio instabat: sed prodigia Deorum obsistunt per varios terrores. Laurus erat *in* medio *domus*, *in intimis* recessibus, sacra *secundùm* frondes, et ob religionem servata per multos annos. Pater Latinus dicebatur dicâsse illam Phœbo, repertam cùm fundaret prima mœnia; et ab illa dedisse no-

56. *Turnus avis*, etc.) *Dauni* et *Veniliæ* filius, Rutulorum rex. *Venilia* soror erat Amatæ Latini uxoris, divinis honoribus affecta, Æn. 10, 76. Daunus maternum genus ducebat a Jove per Danaen, infrà, v. 372, paternum a Pilumno, Deo etiam habito, Æn. 10. 76. De *situ Rutulorum*, infrà, v. 794.

Regia conjux.) *Amata*, Veniliæ soror.

62. *Phœbo sacrâsse.*) Quia laurus Phœbo dilecta. De *Phœbo*, Ecl. 3, 62.

63. *Laurentis colonis.*) *Laurens*, nomen constat fuisse primò inditum sylvæ laureæ, quæ circa litus Tyrrheni maris fuit, a Tiberi orientem versùs porrecta. Inde vicina regio *Laurens* etiam dicta est. Inde *Laurens* dicitur Marica Nympha, Fauni uxor, v. 47. Inde Picus, Latini avus, dicitur etiam *Laurens*, v. 171. Inde Turnus ipse eodem appellatur nomine, v. 650; quia Rutulorum regionem sylva illa attingebat. Porrò cùm arces primas ibidem condidisse Latinus dicatur; et Laurens Picus, ejus avus, eodem loco regiam habuisse, v. 171; aut sibi malè consentit Virgilius, aut dicendum, *regiam* quidem a Pico esse conditam; a Latino *arces*, sive munitiones, additas; et urbem, a lauro præcipuæ magnitudinis, appellatam esse *Laurentum*, quòd nomen sylvæ tantùm et regioni commune priùs fuerat. Dicuntur incolæ, *Laurentes*, *Laurentini*, *Laurentii*, et *Laurenti*, hic et apud Plinium, l.

Hujus apes summum densæ, mirabile dictu!
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedêre apicem : et pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuò vates : Externum cernimus, inquit,
Adventare virum ; et partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, et summâ dominarier arce.
Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem astat Lavinia virgo,
Visa, nefas! longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari ;
Regalesque accensa comas, accensa coronam

men Laurentibus incolis. Apes densæ, *res* mira dictu, trans levem aerem volantes magno stridore, insederunt supremum illius cacumen : et pedibus invicem conjunctis, examen repentinum pependit e frondoso ramo. Statim vates dixit : Videmus appropinquare hominem peregrinum, et exercitum ex eadem regione quærere *hanc* eamdem regionem, et regnare in *hac* suprema arce. Præterea dum Lavinia virgo accendit altaria sacris facibus, et stat prope patrem (res horrida), visa est corripere ignem longis capillis, et comburi flammâ sonante *secundùm* omnia ornamenta ; et *visa est* accensa *secundùm* regias comas, accensa *secun-*

14, 3 ; quanquam aliqui legunt hîc *Laurentes*, non *Laurentis*. Urbs posterioribus dicta est *Laurolavinium ;* non quòd eadem fuerit cum *Lavinio ;* sed quòd exhausta bellis utraque, et Laurente et Lavinio, utriusque incolæ Laurentum confluxerint, et urbem communi nomine dixerint, ut suspicatur Cluverius in antiqua Italia, l. 3, 3 ; atque ut ei videtur, ea nunc dicitur *Paterno*.

66. *Pedibus per mutua nexis*, etc.) De hac apum glomeratione, quæ *uva* dicitur, Georg. 4, 257, et 558. De *apum examine*, Ecl. 7, 13.

70. *Partibus ex iisdem.*) Apes e Tyrrheni maris partibus venerant Laurentum, insederant lauri apicem : quo significabatur, exteros Tyrrheno mari venturos, victores futuros, summum imperium adepturos. *Dominarier*, extensio syllabæ, pro, *dominari*.

71. *Adolet altaria tædis.*) Adolet thus ad altaria domesticorum Deorum, Æn. 1, 708 : *Flammis adolere Penates*.

Insignem gemmis : tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum ac visu mirabile ferri.
Namque fore illustrem famâ fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea ; nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitim.
Hinc Italæ gentes omnisque Œnotria tellus
In dubiis responsa petunt : huc dona sacerdos
Cùm tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti

dùm coronam spectabilem gemmis : deinde fumans *visa est* cingi rutilanti luce, et jactare ignem tota domo. Hoc autem *cœpit* haberi terribile et visu admirabile. Etenim aiebant ipsam illustrem famâ et fortunâ futuram *esse*, sed minari genti magnum bellum. At rex territus his prodigiis vadit ad oracula fatidici Fauni patris *sui*, et consulit sylvas *sitas* sub alta Albunea ; quæ *Albunea sylva* maxima sylvarum resonat sacro fonte, et umbrosa emittit densam Mephitim. Italæ nationes et omnis terra Œnotria accipiunt inde responsa in *rebus* incertis. Sacerdos cùm obtulit illic dona, et per noctem tacitam jacuit *super* pelles supposi-

77. *Vulcanum.*) Deum ignis, pro *igne*, ut Georg. 1, 295.

82. *Lucosque sub alta Albunea.*) *Albunea* fons est profundissimæ altitudinis : unde erumpit fluvius *Albula*, nunc *la solforata*, sulfureis aquis memorabilis, quæ primò frigidæ sunt, mox inducunt calorem. *Albula*, paulo infrà Tibur, influit in *Anienem* fluvium ; nunc *Teverone*. Odor ejus et sapor corruptus est : unde ait Virgilius exhalare *Mephitim*. Est autem *Mephitis*, Juno aeri corrupto præsidens ; cui ædes apud Hirpinos fuit ad lacum Amsancti, ex Plinio, l. 2, 93, et apud Cremonam, ex Tacito, hist. l. 3. Hic *Mephitis* pro *ipso putore* sumitur, ut Vulcanus pro *igne*, Jupiter pro *aere*. Apud Albuneam *sylva* fuit sacra Musis, ex Martiali : ibidem culti sunt Fauni, ex Virgilio et Statio : ibidem, ex Lactantio, Nympha *Albunea*, quæ Sibylla fuit Tiburtina. De *Italis*, et *Œnotriis*, Æn. 1, 534.

87. *Cæsarum ovium sub nocte*, etc.) Plinius, l. 16, 44 : *Apud Tiburtes* (unde non

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hìc et tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes;
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies: thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent; quorumque a stirpe nepotes,

tas ovium immolatarum, et quæsivit *illic* somnum; videt multas figuras vagantes mirabilibus modis, et audit voces multiplices, et fruitur sermone Deorum, et alloquitur Acheronta *e* profundo Averno. Tunc etiam ipse pater Latinus, poscens responsa, illic sacrificabat *de* more centum oves lanigeras; et jacebat extensus super earum pelle et stratis velleribus. Vox repentina emissa est ex intima sylva: o mea proles, ne quære jungere filiam *tuam* conjugio Latino; neve confide lectis præparatis. Venit gener peregrinus, qui progenie *suâ* extollet nostrum nomen ad

longè abest Albunea) *extant ilices tres, etiam Tiburte conditore eorum vetustiores. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit unâ ætate ante Iliacum bellum.* Pausanias autem in Atticis loquens de Amphiarao, insigni somniorum interprete, qui a Græcis ideò inter Deos relatus est; ait, apud Oropum, Atticæ maritimam urbem, Amphiarai fontem esse ac templum: ubi arietem immolant, cujus substrata in pelle dormientes nocturna visa expectant. Ex iis colligit Cerdanus, ejusmodi sacra a Tiburte Amphiarai filio translata esse in Italiam; eaque a Virgilio esse Fauno attributa, quæ Amphiarao Græci tribuerant.

91. *Acheronta affatur Avernis.*) Per *Acheronta*, fluvium infernum, de quo Æn. 6, 323, umbras Deosque inferorum intelligit. Per *Averna*, inferorum ostia, de quibus Æn. 5, 237, ipsos indicat inferos.

92. *Latinus.*) E Latio, quod complectitur Aborigines, Rutulos, Laurentes, Volscos, etc. suprà, v. 54.

Omnia sud pedibus, quà Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus;
Sed circum latè volitans jam fama per urbes
Ausonias tulerat: cùm Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Juppiter ipse monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hìc fortè aliis, ut vertere morsus

sidera, et cujus de stirpe posteri videbunt omnia versari et regi sub pedibus *suis*, quacumque Sol revertens aspicit geminum Oceanum. Latinus ipse non continet *in* ore suo hæc responsa Fauni patris, et hæc monita data *per* noctem tacitam; sed jam fama circum undique volans sparserat *ea* per urbes Italicas: cùm juventus Trojana applicuit naves ad crepidinem herbosam litoris. Æneas, et præcipui duces, et formosus Ascanius sternunt corpora *sua* sub ramis arboris altæ: et inchoant epulas, et in gramine supponunt cibis placentas e frumento, sicut ipse Jupiter suggerebat, et onerant *illud* solum panis fructibus sylvestribus. Illic ceteris absumptis, cùm inopia ciborum cogeret

100. *Utrumque recurrens*, etc.) Magnitudinem notat futuri imperii Romani; vel ab Oceano orientali ad occidentalem, quà Sol diurno motu recurrit; vel ab Oceano septentrionali ad meridialem, quà Sol annuo motu discurrit. De *vario Solis motu*, Georg. 1, 238.

105. *Ausonias*, etc.) Suprà, v. 54. *Laomedontia pubes*, a Laomedonte Trojano rege, Georg. 1, 502. *Aggere*, Æn. 5, 44. *Adorea liba*, placentas ex frumento purissimo, quòd *ador* sive *far* appellatur: Æn. 7, 33. Et fortè, quia appellat *liba*, innuit Virgilius sacrificia Diis tùm primùm ab Ænea facta esse: et e placentis *libatis* oblatisque socios pavisse famem, ut e victimarum extis fieri solitum videbimus, Æn. 8, 183.

111. *Cereale solum.*) *Solum* est quod cuique rei sustentandæ supponitur, Ecl. 6, 35. *Ceres*, Dea frumenti, panis, Æn. 5, 79. *Cereale solum*, quadra e pane.

Exiguam in Cererem penuria adegit edendi;
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus, inquit Iulus.
Nec plura, alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuò: Salve, fatis mihi debita tellus;
Vosque, ait, o fidi Trojæ salvete Penates.
Hîc domus, hæc patria est. Genitor mihi talia (namque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cùm te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;

eos vertere morsus in panem exiguum; et frangere manu ac dentibus audacibus orbem fatalis crustæ, nec abstinere *a* planis quadris: Ascanius jocans, dixit: Heus! etiam comedimus mensas. Nec *dixit* plura. Vox illa audita indicavit prima terminum laborum: et pater excepit *eam* primus ab ore loquentis, et *secum* expendit admiratus oraculum. Statimque dixit: Salve, terra debita mihi per fatum; et vos salvete, o Penates Trojani. Hîc *est* domus, hæc est patria. Etenim nunc reminiscor, pater Anchises deposuit apud me talia secreta fatorum: Fili, *aiebat*, quando fames coget te appulsum incognitis litoribus comedere

114. *Orbem fatalis crusti.*) Mox vocabit *quadram*, tùm *mensam*; et *placentas* intelligit, quæ pro patinis tùm fuerunt, et verò sæpe esse solebant apud veteres. Hæc vocum diversitas e placentæ figura repetenda est. Erat enim rotunda quidem, sed lineis duabus decussatim in medio signata: itaque quatuor veluti quadris distincta. Ita Cerdanus e veteribus poetis.

119. *Stupefactus numine.*) Oraculo divino, quod ex Ascanii ore erumpebat; aut potiùs oraculi divina quadam solutione. *Pressit.* Vel, *continuit silentio*: vel potiùs, *secum tacitè expendit.*

121. *Trojæ Penates.*) Dii regionis illius patrii ac domestici; qui, cum iis Penatibus conjuncti, quos Trojâ advehimus, jam communi nomine Penates tutelaresque Trojæ ac Trojanorum dicendi estis.

Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant,
Exitiis positura modum.
Quare agite: et primo læti cum lumine Solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus; et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, et, Geniumque loci, primamque Deorum

mensas, cibis deficientibus; tunc fatigatus memento sperare sedem *certam*, et manu statuere illic ac cingere mœnibus primam urbem. Illa fames erat *ista*: hi *casus* extremi erant destinati nobis, allaturi finem miseriis. Agite igitur: et sub primam lucem Solis inquiramus læti, quænam *sint hæ* regiones, aut quinam homines occupent *eas*, ubi *sint* urbes *illius* nationis; et abeamus *in loca* remota a portu. Nunc effundite pateras *in honorem* Jovis, et precibus invocate patrem Anchisen, et rursùs afferte vinum *in* mensas. Sic locutus, postea cingit caput ramo viridi, orat Genium *hujus* loci, et Terram primam Deorum, et Nymphas,

128. *Illa fames.*) Prædicta, non tantùm ab Harpya Cœleno, Æn. 3, 257, sed etiam ab Anchisa: fortè Æn. 6, 890; ubi filio memorat futura bella in Italia, *et quocumque modo fugiat ve ferat-ve laborem.*

130. *Primo cum lumine Solis.*) Posteræ lucis initio. Hunc enim diem in excensu et libationibus, et Deorum veneratione posuerunt. De *libatione* in mensa, Æn. 1, 740. De *divinitate Anchisæ*, Æn. 5, 59, 96, 98. De *Geniis locorum*, Æn. 5, 95.

136. *Primamque Deorum Tellurem*, etc.) Juxta Hesiodum, qui in Theogon. v. 117, post Chaos primam Deorum ponit *Terram*, quæ primò genuit Cœlum: ex Cœlo Oceanum, Saturnum, Gigantes, etc. Æneas deinde *Nymphas* precatur, de quibus Ecl. 2, 46; et *flumina*, quæ suos quoque Deos habere putabantur: et hos adjungit *Telluri*, quia eam ornant atque incolunt.

Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Numina: tum Noctem, Noctisque orientia signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine matrem
Invocat, et duplices cœloque Ereboque parentes,
Hîc pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hîc subitò Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno

et Deos adhuc incognitos : deinde Noctem, et sidera surgentia per Noctem, et Jovem Idæum, et matrem Phrygiam per ordinem invocat, et geminos parentes *e* cœlo et *ex* inferis. Tunc Jupiter omnipotens intonuit ter serenus e supremo cœlo, et monstravit e cœlo nubem coruscantem auro et radiis luminis, ipse commovens *eam* manu. Tunc statim rumor spargitur per exercitum Trojanum, venisse diem quo ædificent urbem destinatam. Certatim renovant

138. *Noctem*, etc.) Deam item, apud Hesiodum, v. 123, prognatam e Chao et parentem Diei atque Æteris : unde cum ea conjungit *signa* sive *astra*, quæ noctu oriuntur et apparere incipiunt. Noctem invocat, ut imminentem; quia timebat sibi tum ab incolarum insidiis.

139. *Idæumque Jovem.*) Natum in Ida Cretæ monte, et educatum in Dictæo ejusdem antro, Georg. 4, 151. De *matre Phrygia*, Cybele, in Phrygia præcipuè cultâ, Æn. 3, 111.

140. *Duplices cœloque Ereboque parentes.*) Venerem matrem, quæ in cœlo; et Anchisen patrem, cujus idolum quidem apud inferos erat, anima tamen in cœlo apud superos, Æn. 6, 748. De *Erebo*, profundo inferorum loco, Æn. 4, 510.

141. *Clarus ab alto intonuit.*) Fulmen sereno cœlo cadens, modò fausti, modò infausti ominis, Georg. 1, 487.

142. *Radiis lucis et auro.*) *Lucis aureæ.* Sic, Georg. 2, 192 : *Pateris libamus et auro.*

144. *Diditur.*) Non *deditur* : hoc enim a *dedo*, *trado*; illud a *dido*, *distribuo*. Horat. Satir. l. 2, 2. 66 : *servis munia didit.* Lucretius frequentissimè. De *coronatio-*

Crateras læti statuunt, et vina coronant.
Postera cùm primâ lustrabat lampade terras
Orta dies; urbem, et fines, et litora gentis
Diversi explorant: hæc fontis stagna Numici,
Nunc Tibrim fluvium, hîc fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes;
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora: festinant jussi rapidisque feruntur
Passibus: ipse humili designat mœnia fossâ,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.

epulas, et gaudentes magnis præsagiis disponunt pocula, et coronant vina. Quando dies postera nascens cinxit terras luce; separati inquirunt urbem, et terminos, et littora *hujus* nationis; *discunt*, hæc *esse* stagna fontis Numici, hoc *esse* flumen Tibrim, hîc manere generosos Latinos. Tunc filius Anchisæ imperat centum oratores electos ex omni ordine ire ad magnificam urbem Regis omnes coronatos ramis Minervæ; et portare *illi* viro munera, et petere pacem *pro* Trojanis. Non *est* mora: jussi properant, et vadunt celeribus passibus: *Æneas* ipse describit muros depressâ fossâ, et inchoat urbem, et in litore cingit primam habitationem vallo et pinnis in formam castrorum.

ne vini; cùm, vel implentur vino pocula, vel reipsâ cinguntur floribus, Æn. 3, 525, et Georg. 2, 528. De *lampade*, pro *Sole*, Æn. 4, 6.

150. *Stagna Numici.*) Fontem Numici fluvii, cujus brevissimus cursus est prope Lavinium, inter Laurentum et Ardeam. Hunc fontem aiunt sacrum fuisse Annæ Perennæ, quam Ovidius, Fast. 3, 551, putat Annam esse Didonis sororem, eo profugam, post necem sororis, direptamque ab Iarba Carthaginem: nunc est *rivo di Nemi*. De *Tibri*, Æn. 1, 17. De *Latinis*, suprà v. 54.

154. *Ramis Palladis.*) Olivæ, Palladi sacræ, Georg. 1, 14. De *Pallade*, Æn. 1, 43.

157. *Designat mœnia fossâ.*) Locum ad orientalem Tiberis ripam, paulò suprà maris litus, cui nomen Trojæ dedit, ex Livio et Dionysio Halicarn. ubi deinde *Ostia* urbs ab Anco Martio Romanorum rege condita est.

Jamque ter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cùm provectus equo longævi Regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros: ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summâ, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, et primos attollere fasces

Et jam juvenes perfuncti itinere videbant turres et domos altas Latinorum, et appropinquabant muro. Ante urbem pueri et juvenes *in* prima pubertate exercentur equis, et regunt currus in arena, aut intendunt difficiles arcus, aut vibrant brachiis spicula flexibilia, et provocant *se* cursu atque jactu *telorum*. Tunc nuntius vectus equo refert ad aures grandævi Regis venisse magnos homines in habitu incognito. Ille jubet *eos* adduci intra domum, et sedit in avito solio, in medio *suorum*. Fuit in altissima *parte* urbis domus magna, magnifica, educta centum columnis, palatium Laurentis Pici, tremenda *ob* silvas et religionem majorum. Initium erat regibus inde sumere sceptra,

160. *Tecta Latinorum.*) Redundat syllaba in versu, ut in isto, Georg. 1, 295: *Vulcano decoquit humorem.* Notat *Laurentum* urbem Latini regiam.

171. *Laurentis regia Pici.*) De illa *regia* et *Laurente agro*, suprà, v. 63. De *Pico*, v. 47, et infrà v. 189.

173. *Attollere fasces omen erat.*) *Fasces* posuit, pro *quibuslibet imperii insignibus*: nondum enim fascium hic usus erat. *Omen* posuit pro *initio*: quia veteres, gravissimarum rerum initio, captare omina et auspicia et auguria solebant: unde *auspicium* etiam, et *auspicari*, dicimus; pro *initium* capere et *incipere*: et *inaugurari*, pro, *in dignitatem aliquam assumi.*

Regibus omen erat : hoc illis curia templum,
Hæc sacris sedes epulis : hîc ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro Italusque, paterque Sabinus

et erigere primos fasces : hæc curia *erat* illis templum, hic locus *destinatus* sacris conviviis; hîc mactato ariete patres solebant sedere *ad* mensas longas. Immo præterea stabant in vestibulo per ordinem imagines veterum patrum ex antiqua cedro, et Italus, et pater Sabinus plantator vi-

174. *Curia templum.*) *Curia*, locus est ubi res publicæ *curantur*; sive divinæ, ut sacrificia; sive humanæ, ut judicia, consilia : unde aliquando cum templo ferè convenit; aliquando ab eo diversa est, ut hîc. Qui curiæ præerat, dicebatur inde apud Romanos *curio :* et postquàm populus Romanus a Romulo tres in *tribus* distinctus est, singulæ tribus divisæ sunt in decem *curias*, sic dictas a locis, quò sacrorum negotiorumque causâ separatim cives conveniebant.

175. *Arietecæsoperpetuis*, etc.) *Arietis* sacrificium illis in partibus tum in usu fuisse jam diximus, v. 87. *Perpetui mensis :* in longum porrectis, ubi continuâ serie sederent convivæ; non verò distinctis in sedilibus. Sic Æn. 8, 183 : *Perpetui tergo bovis.* Porrò considere, non in lecto recumbere ad mensas heroicis temporibus moris fuisse diximus, Æn. 1, 702.

178. *Italus.*) Hunc aiunt quidam fuisse Siculorum regem : Dionysius potentem virum Œnotrum genere, et ex eorum Arcadum prosapia, qui duce Œnotro, Lycaonis filio, illuc ex Peloponneso venerant : eumque propagato imperio, regionem *Œnotriam* antè dictam, nomine suo *Italiam* nuncupasse.

Sabinus vitisator, etc.) *Sabinus* nomen dedit Sabinis, genti ex Lacedæmoniis. quidem, ut vulgò existimatur; sed, ut Cluverius probat, ex Oscis Ausonibus oriundæ. Filius fuit *Sanci*, hujus regionis Genii, qui alio nomine *Dius Fidius*, alio item *Semo* dicebatur : ut patet ex Ovid. Fast. 6, 213. Hunc *vitem* et *segetes* coluisse non liquet : quare multi versum hunc totum *Vitisator*, *curvam servans*, etc.) referunt ad Saturnum. At certè structura versûs omninò ad Sabinum esse referendum ostendit. Et si conjicere fas est, puto hunc *Sabinum*, ejusque patrem *Sancum*, artem serendæ terræ in eo tractu reperisse; unde *Sancus*

Vitisator, curvam servans sub imagine falcem.
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque prætereà sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvâque sedebat

tis, tenens in imagine falcem curvatam, et senex Saturnus, et effigies Jani bifrontis et alii reges *a prima* origine, qui certando pro patria tulerant vulnera bellica. Et præterea pendent circa sacra limina arma plurima, capti currus, et curvæ secures, et cristæ capitum, et magna claustra portarum, et spicula, et scuta, et rostra avulsa navibus. Ipse Picus, domitor equorum, sedebat *cum* baculo Quirinali, et vestitus parvâ trabeâ; et sinistrâ manu

dictus sit *Semo;* non quasi *semihomo*, id est, inter homines Deosque medius, ut interpretatur Vossius; sed a *seminando:* atque ita *vitisator* et *falce armatus* pingitur ejus filius Sabinus; quòd fortassè artem illam a patre inventam perfecerit, et vitium culturam eidem addiderit. De *Saturno*, Æn. 8, 319. De *Jano* bifronte, infrà, v. 610. De *vestibulo*, seu *atrio*, in quo disponebantur imagines, Æn. 4, 666.

181. *Ab origine reges.*) Allusum aliqui putant ad populos Aborigines, quibus tunc Latinus imperabat. Hos quidam volunt primos fuisse Italiæ incolas, ibidem natos, non aliundè advectos, idcòque dictos *Aborigenes*, cujusmodi homines Græci vocant αὐτόχθονας. Alii ex variis nationibus vagis collectos, unde *Aberrigenes* dicti sint ab *aberrando.* Alii verò plures, Dionysio Halicarnasseo duce, eosdem putant fuisse cum OEnotris, qui ex Arcadia profecti, annis ante bellum Trojanum plusquàm quadringentis, in Italiam appulsi, montes patrio more incoluerint, indeque quasi cognomine quodam appellati sint *Aborigenes*, ab ὄρος, *mons.* Videtur Virgilius primam opinionem tenere, Æn. 8, 314. De *postibus*, Æn. 2, 442. De *cristis galearum*, Æn. 6, 779. De *rostris*, in prora navium prominentibus, Æn. 5, 143.

187. *Quirinali lituo*, etc.) *Lituus*, hìc baculus est au-

Succinctus trabeâ, lævâque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percussum virgâ, versumque venenis,

ferebat scutulum: *Picus*, quem amatrix Circe, correpta *nimiâ* cupiditate, percussum aureâ virgâ et transforma-

gurum, in summa parte incurvus, quo cœli regiones ad consulendos avium volatus distinguebant; alibi tuba est, ejusdem formæ, Æn. 6, 167. Igitur *succinctus* ad *trabeam* duntaxat pertinet, non ad *lituum*: nemo enim *cinctus* baculo dici potest. *Quirinalis* dicitur: quia ex Plutarcho, Romulus augurandi mirè peritus fuit, ob eamque rem lituum solebat gestare: qui deinde studiosè servatus in curia Saliorum, quæ est in Palatio, cùm ea deflagrasset, inventus est integer, ut est apud Cicer. de Divin. l. 1, 30. Cùm ergo Romulus appellatus sit *Quirinus*, ideò lituus hic *Quirinalis*, per anticipationem vocatur.

188. *Parvâ succinctus trabeâ.*) *Trabea*, toga fuit communis sive albi coloris: in eo dissimilis *prætextæ*, quòd *prætexta* purpureo limbo tantùm in ima ora prætexeretur; trabea multis fasciis virgisque purpureis, instar trabium transversis ac discurrentibus, ornaretur, iisque, vel intextis, vel assutis. Ornamentum fuit equitum in decursione publica, quæ Idibus Julii fiebat: item et Consulum in aperiendo Jani templo: aliquando etiam augurum, qualis hîc ornatus Pici describitur. A Romulo trabeam usurpatam, prætextam a Tullo Hostilio primùm inventam habemus ex Plinio, l. 9, 39. Quare Virgilius, qui eam attribuit Pico, prolepsi sive anticipatione usus est. Dicitur hæc Pici trabea, *parva* id est *stricta*, *brevis*, atque *angusta*, quales initio togæ fuerunt; non laxior et fusior, quales deinde luxus induxit. De *ancilibus*, scutis minoribus ac rotundis, Æn. 8, 664.

189. *Picus equûm domitor*, etc.) *Studiosus equorum* dicitur ab Ovid. Metam. 14, 322, mutatusque in avem picum, *picanço verde*, a Circe; quòd, ob fidem uxori suæ Canenti servandam, ejus amorem sprevisset. Fingitur mutatus in picum: quia avis illa maximi usûs fuit in captandis auguriis, qua in arte idem rex excelluit, unde et augurali habitu hic describitur. Vocatur Circe *conjux*, id est, *amatrix*, quæ conjugis loco optabat esse: ut Ecl. 8, 18: *Conjugis indignæ Nisæ deceptus amore.*

Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo Divûm, patriâque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore :
Dicite, Dardanidæ (neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis æquore cursum)
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cœrula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis :
Ne fugite hospitium ; neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte suâ, veterisque Dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes : his ortus ut agris

:um venenis, fecit avem ; et variavit coloribus *ejus* alas. Latinus sedens intra tale templum Deorum et avitam domum, accersivit Trojanos ad se sub tecta : et prior dixit hæc ore tranquillo *iis* ingressis : o Trojani (neque enim ignoramus et urbem et genus *vestrum*, et cogniti direxistis *huc* mari navigationem) dicite, quid petitis? quæ causa tulit per tot maria cœrulea ad litus *Italicum* naves *vestras*, aut cujus *rei* indigentes? Sive pulsi errore viarum, sive procellis (qualia multa navigantes tolerant per altum mare) ingressi estis ripas fluvii *nostri*, et statis in portu; ne fugiatis *hoc* hospitium : et ne nesciatis Latinos *esse* populum Saturni, non justum per vincula legum, *sed* sponte suâ, et continentem se *in* consuetudine *illius* antiqui Dei. Et sane recordor (*quanquam* fama *illa* minùs nota *est* ob vetustatem) Auruncos senes ita narra-

191. *Sparsitque coloribus alas.*) Purpureo et fulvo, quibus pici pennæ distinctæ sunt. De *Teucris* et *Dardanidis*, Trojanis, Æn. 1, 239.

202. *Latinos Saturni gentem*, etc.) Indicat ætatem auream. De qua, Ecl. 4, 6. Georg. 1, 125. De *Saturni* in Italia regno, Æn. 8, 319. De *Auruncis* et *Ausonibus*, suprà v. 55.

Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Coriti Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, et numerum Divorum altaribus auget.
Dixerat: et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni: nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris;
Nec sidus regione viæ, litusque fefellit.
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes

re: quomodò Dardanus natus *in* his arvis pervenit ad Idæas urbes Phrygiæ, et *ad* Samum Thraciam, quæ nunc vocatur Samothracia. Nunc palatium aureum cœli siderei excipit solio illum hinc profectum e Tyrrhena urbe Coriti, et *donatus* aris auget numerum Divorum. Dixerat: et Ilioneus sic respondit voce verbis ejus: Rex, eximia proles Fauni: nec nigra tempestas coegit nos agitatos mari intrare *in* regnum vestrum; nec astrum, aut litus abduxit *nos* a *recta* regione viæ. Omnes consultò et animis libentibus appellimur ad hanc urbem, ejecti regnis, quæ Sol oriens ex ultimo cœlo spectabat olim amplissima. Initium nostræ stirpis *est* a Jove, Trojana juventus gloriatur

207. *Dardanus Idæas*, etc.) Hoc narravimus, Æn. 3, 167; Æn. 1, 239. De *Ida*, monte Troadis in Phrygia, Æn. 1, 385. De *Tyrrhena* regione, Æn. 2, 781.

208. *Threiciamque Samum. Samos* triplex. I. Maxima, ad occidentem sinûs Corinthiaci, in mari Ionio, nunc *Cephalone*, de qua, Æn. 3, 271. II. Minor, ad occidentem Ioniæ, in mari Icario, nunc adhuc *Samo*, de qua, Æn. 1, 20. III. Minima, ad meridiem Thraciæ contra ostia Hebri fluvii, in mari Ægæo, communiùs *Samothracia* dicta, nunc *Samandrachi*: de qua hìc sermo est. De *Corito* oppido Tusciæ, nunc *Cortona*, Æn. 3, 170.

217. *Regnis, quæ maxima*, etc.) Priamus enim maximæ parti minoris Asiæ imperabat, Æn. 3, 1. *De ortu*

Gaudet avo : rex ipse Jovis de gente suprema,
Troius Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Dîs sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores : nec vestra feretur
Fama levis, tantique abolescet gratia facti :
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.

Jove parente : rex Æneas Trojanus, ipse e summa familia Jovis, misit nos ad tuam domum, si terra ultima celat aliquem interfuso Oceano : si zona Solis torridi, porrecta in medio quatuor zonarum, separat aliquem a *ceteris hominibus : is* quoque audivit, quanta procella *belli*, erumpens e crudelibus Mycenis, pererraverit agros Idæos, et quo fato geminus orbis Europæ atque Asiæ commissus sit. Ab illo excidio, jactati per tot maria immensa, poscimus *pro* Diis domesticis sedem angustam, et litus securum et aquam atque aerem communem omnibus. Non erimus dedecori regno *tuo*, nec levis fama vestra *inde* habebitur, nec delebitur gratia tanti beneficii, nec pœnitebit Italos admisisse sinu *suo* Trojam. Juro per fata Æneæ, et *per*

Dardani a Jove, Æn. 3, 167.

220. *Jovis de gente ..... Æneas.*) Et paterno genere, per Dardanum; et materno, per Venerem. *Idæi campi* Trojani, ubi mons Ida, Æn. 2, 801. *Mycenis*, urbe Peloponnesi, Agamemnonis regiâ, Æn. 1, 288 : *Europæ atque Asiæ orbis :* Græci qui ex Europa; Trojani qui ex Asia. *Orbis*, pro *mundi parte* hic sumitur.

225. *Audiit, et si quem*, etc.) Intelligit incolas, si qui sunt zonæ frigidæ; quæ ultra oceanum, ad meridianum et septentrionalem polum hinc inde recedit : et incolas zonæ torridæ, quæ in medio orbis itineri Solis subjacet. De his tribus zonis et aliis duabus temperatis, Georg. 1, 233.

Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis:
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantûm)
Et petiêre sibi et voluêre adjungere gentes.
Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis. Hinc Dardanus ortus,
Huc repetit: jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tibrim, et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Trojâ ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cùm jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras,

dextram *ejus* potentem, seu fide, seu bello et armis, si ullus expertus est *eam*: multi populi, multæ nationes, et petierunt, et voluerunt nos sociare sibi: ne sperne *nos*, quia sponte portamus manibus tænias et verba supplicantium. Sed voluntas Deorum coegit nos jussis suis quærere regionem vestram. Dardanus hinc ortus *est*, huc revertitur: et Apollo magnis oraculis impellit nos ad Tibrim Tyrrhenum, et *ad* fluenta sacra fontis Numici. Præterea Æneas offert tibi exigua dona præteritæ fortunæ, reliquias servatas e Troja incensa. Anchises pater *ejus* libabat hâc *paterâ* aureâ ante altaria: hic erat ornatus Priami, quando *juxta* consuetudinem reddebat jus populis convocatis, et sceptrum, et sacra tiara, et vestes, opus Trojanarum *mulierum*. *Inter* talia verba Ilionei, Latinus tenet vultum defixum intuendo, et stat immotus loco, volvens

237. *Præferimus manibus vittas.*) Supplices, tam apud Latinos, quàm apud Græcos, solebant olivæ ramum præferre, revinctum laneis vittis; quæ in manus supplicum dependebant: unde dicuntur passim etiam *velamina*, et *infulæ*; quòd velarent manus et quasi vincirent: capitum verò infulæ vulgò etiam essent e tæniis vittisque laneis, Æn. 2, 133.

242. *Tyrrhenum ad Tibrim*, etc.) De eo, Æn. 2, 781. De *Numico*, suprà v. 150. De *libatione ad aras*, Æn. 1, 740.

247. *Sacerque tiaras.*) Pileus fuit omnium ferè orien-

Iliadumque labor, vestes.
Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret,
Intentos volvens oculos: nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantùm,
Quantùm in connubio natæ thalamoque moratur,
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa a sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis: hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dî nostra incepta secundent,
Auguriumque suum. Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno: non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas (nostrî si tanta cupido est,

oculos attentos: nec purpura colorata, nec sceptrum Priami tam movet regem, quàm attendit ad conjugium et nuptias filiæ, et meditatur in animo oraculum antiqui Fauni: hunc *esse* illum generum profectum e peregrina regione, destinatum fatis; et *hunc* vocari in regnum æquali potestate: hinc orituram sobolem illustrem virtutibus, et quæ potentiâ subjiciat totum orbem. Denique lætus ait: Dii prospera reddant nostra consilia, et sua auguria. *Vir* Trojane, concedetur *tibi* quod cupis. Nec contemno dona *vestra*: regnante Latino, non deficiet vobis fœcunditas divitis agri, aut abundantia Trojæ. Tantummodò veniat ipse Æneas; si tantum est *ipsi* desiderium nostrî, si protalium principum, igitur et Phrygum; oblongus, rotundus, in acumen desinens, pendulis ad aures vittis insignitus: cujus acumen erectum quidem reges ferebant: ceteri ab rege illustres viri paulùm inflexum.

248. *Iliadumque labor vestes.*) Vestes acu pictæ, quod *Phrygum* inventum fuit: undè et *Phrygiones*, dicuntur ejusmodi artifices. *Iliades*, Trojanæ mulieres, Phrygiæ.

254. *Sortem.*) Oraculum, Æn. 4, 346. De *paribus auspiciis*, pro, *pari potestate*, Æn. 4, 102.

262. *Uber agri.*) Substantivè, pro *ubertate terræ*, Georg. 2, 185.

Si jungi hospitio properat, sociusque vocari)
Adveniat; vultus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et (si quid veri mens augurat) opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplò Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:

perat conjungi *mecum jure* hospitii, et appellari socius, et ne timeat vultus benevolos. Erit mihi pars fœderis, tetigisse dextram regis. Vos verò jam reportate regi mea dicta. Est mihi filia, quam non oracula ex patrio sacrario, non multa prodigia *e* cœlo *missa* permittunt me sociare marito nationis nostræ. Edicunt hoc superesse Latio: *nempe* venturum *esse* generum e peregrinis regionibus, qui posteritate *suâ* extollat ad sidera nostrum nomen. Et opinor hunc illum *esse* quem fata petunt; et *id* cupio, si *mea* mens conjicit aliquid veri. Hæc locutus pater, elegit equos ex omni multitudine. Trecenti *bene* curati erant in altis stabulis. Statim imperat equos, coopertos purpurâ et variatis stragulis, dari singulis Trojanis *per* ordinem: aureæ phaleræ pendent demissæ in pectora: tecti auro mor-

266. *Tyranni.*) *Regis.* Sic enim Plato, et Isocrates, et Græci poetæ tragici, bonum etiam principem appellant. De *adyto*, Æn. 2, 297.

277. *Instratos ostro alipedes.*) *Alipedes* equi veloces et quasi alatis pedibus: *Ostro*, purpurâ e sanguine ostrei expressâ, Georg. 2, 506. *Pictis tapetis*, stragulis purpureis, sed acu pictis et variatis: pictura enim de acu sæpe dicitur: reperitur *tapes*, *tapete*, *tapetum*.

278. *Monilia.*) *Phaleras* quidam interpretantur. Et verò phaleræ sunt Plinio, pensilia ornamenta: quanquam Suidæ sunt scutula in fronte, Herodoto tegumenta circa maxillas.

Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminosque jugales,
Semine ab æthereo, spirantes naribus ignem:
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Suppositâ de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat;
Et lætum Æneam, classemque ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,
Deseruisse rates: stetit acri fixa dolore:
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:

dent sub dentibus aurum rutilum. *Imperat* dari Ænææ absenti currum et geminos *equos* jugales, ex origine cœlesti, exhalantes ignem naribus: de stirpe illorum, quos ingeniosa Circe, suffurata patri *suo Soli*, creaverat nothos e matre supositâ. Trojani *post* talia munera et verba Latini revertuntur excelsi in equis, et referunt pacem. Ecce autem aspera uxor Jovis referebat se ab Argis Inachiis, et ibat elata per aerem; et procul ab usque Pachyno Siculo vidit ex aere lætum Æneam et classem Trojanam. Videt *Trojanos* jam struere domos, jam confidere regioni, reliquisse naves: stetit affixa *illic*, præ gravi dolore: deinde movens caput, emisit e pectore hæc verba:

282. *Patri quos Dædala Circe*, etc.) Fingitur hic a Virgilio Circe, Solis filia, paternis equis equam clam supposuisse, quæ hos Latini equos ex eorum semine pepererit: unde *nothi* dicuntur, id est, non legitimi, quorum tamen notus est pater: quorum enim ignotus est, ii dicuntur *spurii*: *Circe* dicitur *Dædala*, id est, ingeniosa, a Dædalo ingenioso artifice, Æn. 6, 14. Dicitur autem *Circe* a quibusdam fuisse Marica illa nympha, mater Latini, de qua v. 47.

286. *Inachiis Argis*. De *Argis*, urbe Peloponnesi, Junoni carâ, Æn. 1, 19, 288. *Inachii* dicuntur, vel ab Inacho Argivorum rege; vel ab Inacho fluvio, qui propè urbem fluit, ex Strabone, l. 8. De *Pachyno*, promontorio Siciliæ meridiali, *cabo Passaro*, Æn. 3, 699.

Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuêre capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenêre viam? At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent: odiis aut exsaturata quievi.
Quin etiam patriâ excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tibridis alveo,
Securi pelagi atque meî. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras

Vah gentem odiosam, et fata Trojanorum opposita voluntati meæ! An *potuerunt* perire in campis Sigeis? an capti potuerunt capi? an Troja combusta combussit homines? *Ergo* repererunt iter per medios exercitus et medias flammas? At, opinor, mea potestas denique jacet lassa: aut satiata deposui odium. Immo etiam ausa *sum* persequi inter aquas *eos* expulsos patriâ, et toto mari me objicere *iis* exulibus. Vires cœli et maris consumptæ *sunt* contra Trojanos. Quid profuerunt mihi Syrtes, aut Scylla, aut magna Charybdis? teguntur alveo desiderato Tibridis, tuti a mari atque a me. Mars potuit evertere crudelem nationem Lapitharum: ipse pater Deorum permisit

291. *Fata Phrygum.*) De *fatis*, Æn. 1, 243. De *Phrygia*, ibid. 385. De *Sigeo*, Troadis promontorio, Æn. 5, 500. De *numine*, Æn. 1, 137. De *Teucris*, ibid. 239.

302. *Quid Syrtes*, etc.) In Libyco mari vadosi sinus, Æn. 1, 115. De *Scylla* scopulo, et *Charybdi* voragine in freto Siculo, Æn. 3, 420.

304. *Mars perdere gentem Lapithûm*, etc.) Pirithous, Lapitharum rex, de quo Æn. 6, 601, 617, ad suas cum Hippodame nuptias cùm Centauros Deosque omnes, uno excepto Marte, invitâsset; Mars utramque gentem Lapithas et Centauros, clade utrinque maximâ inter pocula commisit. Ita Servius, quem sequuntur ceteri interpretes. De *Lapithis*, et *Centauris*, Thessaliæ gentibus, Georg. 2, 456; Georg. 3, 38.

Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus, aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti;
Vincor ab Ænea. Quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est:
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
Attrahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.

furori Dianæ veterem Calydona: quam tantam *pœnam* sceleris merentibus Lapithis aut Calydone? Sed ego, magna uxor Jovis, quæ potui nihil omittere intentatum, quæ converti me in omnia; superor ab Ænea. Quòd si mea divinitas non est satis potens, non sanè dubitabo invocare quicquid usquam est: si non possum flectere superos, commovebo inferos. Sit *ita*, non permittitur *mihi* arcere *eos ab* regno Latini; et Lavinia fatis destinatur *Æneæ* uxor certissima: sed licet differre, et adhibere moras tantis rebus; sed licet evertere populos utriusque regis. Gener et socer faciant *fœdus* hoc præmio suorum. Puella, *ha-*

306. *Calydona Dianæ*, etc.) OEnius Calydonis rex, in Ætolia, circa ostia Eveni fluvii, cùm Diis omnibus, exceptâ Dianâ, primitias frugum obtulisset; irata Dea aprum immisit, a quo vastatus est latè ager Calydonius, donec a Meleagro OEnei filio fera occideretur. Ovid. Met. 8, 273.

312. *Acheronta.*) Numina inferorum, ubi *Acheron* fluvius, Æn. 6, 323.

315. *At trahere*, etc.) Quomodo Dii fatis obstare possint, diximus, Æn. 1, 243.

317. *Mercede suorum.*) Damno populorum; quæ *merces* ironicè dicitur. Ita Cicero, Tuscul. 3, 12: *Nam istuc, nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in anima, stuporis in corpore.*

Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantùm
Cisseis prægnans ignes enixa jugales:
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit.
Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odêre sorores

bebis pro dote sanguinem Trojanum et Rutulum; et Bellona destinatur tibi pronuba. Nec solùm *Hecuba filia* Cissei gravida peperit faces conjugales: Veneri etiam suus filius *erit* idem, et alter Paris, et fax iterum perniciosa contra Trojam recidivam. Postquàm protulit hæc verba, descendit tremenda *in* terras. Excitat ex domo dirarum sororum et infernis umbris Alecto luctuosam: cui bella tristia, et iræ, et insidiæ, et crimina perniciosa *sunt* cordi. Ipse etiam pater Pluton aversatur *hoc* monstrum, aver-

319. *Bellona... pronuba.*) *Bellona*, Dea bellorum præses, Martis soror, quæ eidem ad bellum eunti currum et equos parat: Græcis dicta *Enyo*. *Pronubæ*, mulieres dicebantur, quæ nuptias conciliabant, eaque administrabant quæ pertinebant ad nuptias, et nuptam in lecto collocabant: eas oportebat uni viro nuptas fuisse, ad bonum omen.

320. *Cisseis prægnans ignes*, etc.) Hecuba Priami uxor, Cissei Thraciæ regis filia, antequàm pareret Parin, visa est sibi facem utero gestare, Æn. 1, 32. *Ignes enixa jugales*, intellige Parin ipsum, vel incendium Trojæ, quod illius partûs et conjugii fructus fuit: dicitur enim *jugale* quicquid ad conjugium pertinet; et conjugium ipsum, *jugum*, Æn. 4, 59.

321. *Idem Veneri partus*, etc.) Æneas, Veneris filius, erit alter Paris, altera ruina Trojæ, quam a se excitatam in Italia iterum perdet.

322. *Recidiva Pergama.*) Explicant plerique *repullulantia*, *reparata*: ego simpliciter, *iterum cadentia*, ut Æn. 4, 344. Recidiva, propter mensuram syllabæ secundæ brevem, meliùs a *cado*, quàm a *cædo* derivatur. *Pergama*, arces Trojanæ urbis, Æn. 1, 470.

324. *Alecto*, etc.) De hac Furia, aliisque duabus, Georg. 3, 552; Æn. 6, 572. De *Plutone*, Georg. 4, 467.

Tartareæ monstrum : tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur :
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam : ne noster honos, infractave cedat
Fama loco ; neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos : tu verbera tectis
Funereasque inferre faces : tibi nomina mille,
Mille nocendi artes : fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli :
Arma velit poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis

santur sorores infernæ : tot convertit se in species, tam crudeles sunt figuræ *ejus*, tot dira producit serpentes. Juno animat eam his verbis, et loquitur talia : O virgo filia Noctis, concede mihi hunc laborem proprium, hoc officium : ne nostra gloria vel fama, victa, cedat locum ; et ne Trojani possint circumvenire Latinum *prætextu* conjugii, et invadere regionem Italam. Tu potes commovere in pugnas fratres conjunctissimos, et turbare odiis familias : tu immittere domibus verbera et mortiferas tædas : tibi *sunt* mille species et mille artes nocendi : concita animum fertilem, disturba pacem confectam, semina causas belli : *fac ut* juventus velit arma, simulque petat, et corripiat *ea*. Postea Alecto imbuta venenis Medusæis,

331. *Virgo sata Nocte.*) *Virginem* vocat Furiam : vel simpliciter pro *puella*, quomodo Pasiphae dicitur *virgo*, Ecl. 6, 52 : vel peculiari Furiarum nomine ; quæ sic dicuntur, quia severæ et in puniendo incorruptæ : unde Ajax flagellifer apud Sophoclem, v. 847, vocat eas, *semper virgines*. Noctis et Acherontis erant filiæ.

337. *Tibi nomina mille.*) Vel intelligit mille pestes, Furiarum quasi famulas, quæ passim in earum comitatu ponuntur a poetis distinctæ variis nominibus : ut sunt Luctus, Pavor, Fames, Discordia, etc. Vel intelligit *causas nocendi* : frequenter enim *nomen* pro *causa* sumitur : unde passim *quo nomine*, pro *qua de causa*.

341. *Gorgoneis venenis.*) Quia Medusa una e Gorgo-

Principiò Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ.
Quam super adventu Teucrûm, Turnique hymenæis,
Femineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic Dea cœruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem:
Vipeream inspirans animam, fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,

primò adit Latium et altam domum regis Laurentis, et obsidet portas quietas Amatæ: quam feminea sollicitudo et ira cruciabat, flagrantem ob adventum Trojanorum et nuptias Turni. Dea injicit ei colubrum unum e capillis cæruleis, et submittit in sinum usque ad profundum cor, ut acta in furorem *per* id monstrum evertat totam familiam. Ille lapsus inter vestes et pectus leve, serpit nullo tactu, et subrepit furenti infundens halitum vipereum: magnus *ille* coluber fit aureus torques *circa* collum, fit tænia longæ vittæ, et implicat capillos, et lubricus vagatur *per* membra. Et *quidem* dum prima pestis submissa humido

nibus, Æn. 2, 616, caput habuit serpentibus horridum: quod a se abscisum Perseus cùm per Africam circumferret, stillantes inde in terram sanguinis guttæ totidem in angues venenatos mutatæ sunt, unde multitudo tanta venenorum et serpentum in Africa, Ovid. Metam. 4, 620, et Apollonius, l. 4, 1514. De *Latio*, suprà, v. 54. De *Laurente* regione, v. 63. De *tyranni* nomine, v. 266. De *Teucris*, Æn. 1, 239. De *Hymenæo*, nuptiarum præside, Georg. 3, 60.

350. *Attactu nullo.*) Sensibili, quem Amata perciperet.

352. *Tænia vittæ.*) *Tænia*, extrema pars *vittæ*: promiscuè vulgò sumuntur. De sacro *vittarum* usu, Æn. 2, 133.

Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Molliùs, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super natâ lacrymans, Phrygiisque hymenæis :
Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret, natæque, tuìque?
Nec matris miseret : quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abductâ virgine, prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externâ petitur de gente Latinis,

veneno movet sensus, et immiscet flammas ossibus, et *nondum* animus excepit incendium toto pectore; *tum* locuta est tranquilliùs et solitâ consuetudine matrum, flens multum ob filiam et nuptias Trojanas : O pater, an Lavinia datur ducenda Trojanis ? nec miseret te, et filiæ, et tuì ? nec miseret *te* matris : quam perfidus *ille* prædo deseret primo vento, abiens mari, abreptâ virgine? Nonne pastor Phrygius sic intravit Spartam, et *sic* abstulit Helenam Ledæ filiam in urbem Trojanam? Quid *erit* tua sacra fides, quid antiquum studium tuorum, et dextra toties data cognato Turno? Si quæritur Latinis gener e gente aliena,

361. *Aquilone.*) Vento septentrionali, Ecl. 7, 51. Hic pro quolibet vento.

363. *At non sic Phrygius*, etc.) Legitur *An non ?* per simplicem interrogationem. Et *at non?* per interrogationem ironiæ conjunctam. *Pastor*, Paris qui primò pastor fuit, Æn. 1, 31. *Phrygius*, Trojanus e Phrygia, Æn. 1, 385. *Lacedæmona*, Spartam in Peloponneso, Æn. 2, 577. De *Helenæ ortu* ex Leda, et raptu, Æn. 1, 654. Æn. 6, 511.

366. *Consanguineo Turno.*) Matrem habebat Veniliam, sororem Amatæ.

367. *Si gener*, etc.) Eludit oraculum Fauni, de quo suprà v. 81 ; probatque illud in Turnum cadere : tum quia Rutuli non parebant Latinis, et sic externi poterant dici, quamvis vicini : tum quia e Græcis Argivis ortus erat Turnus; Æneas contra e Dardano Italo.

Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor; et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domûs repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt; penitusque in viscera lapsum

et id statutum est, et mandata patris Fauni urgent te : certè existimo alienam regionem *eam* omnem, quæ non subdita dominationi nostræ separatur *a nobis*, et *existimo* sic Deos loqui. Præterea si requiratur prima origo familiæ *Turni;* patres Turni sunt Inachus et Acrisius, et media Græcia. Postquàm frustra aggressa his verbis Latinum, cernit *eum* contra persistere; et *postquàm* furio-

372. *Inachus Acrisiusque*, etc.) *Inachus* Argivorum rex fuit, qui nomen fluvio ibidem dedit. *Acrisius* ex ejus fuit posteris : pater *Danaes*, quam cùm audiisset parituram esse filium, a quo ipse foret occidendus, turre virginem inclusit. Hæc illic vitiata a Jove, sub aurei imbris specie per tegulas delapso, peperit Perseum. Ideo inclusa cum puero in arca ab Acrisio, et in mare projecta allapsa est secundùm Græcos scriptores, ad insulam Seriphum, unam e Cycladibus in Ægæo mari, ibique a Polidecte suscepta est : secundùm Latinos, ad litus Apuliæ, ubi Pilumno regi, Turni avo, nupsit; et *Ardeam* condidit in Rutulorum finibus : Pilumnus Daunum, Daunus Turnum ex Venilia Amatæ sorore genuit.

Mediæque Mycenæ.) *Argos* et *Mycenæ*, vicinæ Peloponnesi urbes, ita ut commune Junonis templum haberent, inter utramque positum : ex Strab. lib. 8, uni eidemque principi parebat tota illa ditio, Acrisii tempore; nec distinctum Mycenis regnum constitutum est, nisi sub Pelopis posteris, ut notat ibidem Strabo. Quare ob viciniam et indistinctum diu imperium, *Argos* et *Mycenæ* promiscuè pro uno eodemque regno, ac ferè loco, habentur a poetis, imprimisque a Virgilio. Hæc sufficiant testimonia, pauca e multis : Æn. 2, 178, Sinon a Calchante admonitos ait fuisse Græcos, exscindi Trojam non posse, *omina ni repetant Argis :* id est, nisi Argos redeant : statimque refert eos, Calchantis admonitu, *patrias vento petiisse Mycenas.* Ergo Mycenæ et

Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum verò infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. Ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in sylvas, simulato numine Bacchi,

sum venenum colubri intimè lapsum *est* in viscera, et penetrat *eam* totam: tunc verò misera, commota magnis monstris, sævit ultra modum furiosa per vastam urbem; quemadmodum aliquando turbo cursitans sub torto flagello, quem pueri vacantes ludo agitant in magnum orbem circa atria spatiosa. Ille impulsus flagello vagatur sinuosis spatiis: turba ignara obstupescit, et agmen impube miratur buxum versatile: ictus adjiciunt vim *buxo*. *Regina* non lentior *quàm* ille cursus, vagatur per medias urbes et populos furentes. Immo præterea, ausa grandius crimen,

Argos pro eadem urbe usurpatæ. Item Æn. 6, 838, sic ait de duce Romano: *Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas:* id est, Argivorum regnum eruet. Constat enim ex Strabone loco citato, *Mycenas* non a Romanis, sed ab ipsis Argivis esse erutas, ita ut suo tempore ne vestigium quidem earum reperiretur. Itaque hic, *mediæque Mycenæ*, significant *mediam Græciam, mediam Peloponnesum:* partem pro toto, locum certum pro incerto.

377. *Lymphata.*) Furiosa. Vel a *Nymphis*, *lympharum* præsidibus, quæ eos, a quibus erant conspectæ, in furorem agebant: ita ferè Festus. Vel quòd in rabiem acti, *lympham*, id est, *aquam* timeant. Ita Isidorus.

382. *Buxum.*) *Buxus* arbor est: *buxum*, lignum arboris, *buxo*, ex quo fit *turbo*, lusorium instrumentum versatile, *pião*, *pitorra*.

385. *Bacchi*, etc.) De *eo*, deque *thyrsis*, hastis pampino vestitis, Ecl. 5, 29. De *Bacchis*, mulieribus eidem sacris, quarum furorem simulabat Amata, Æn. 4, 301. De vociferatione Bacchica *Evoe*, Æn. 6, 518. De *choro* seu saltatione mulierum circa Deorum simulacra, Æn. 4, 62. De verbo *lustro*, pro *circumeo*, Æn. 1, 612.

Majus adorsa nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat; et natam frondosis montibus abdit,
Quò thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur,
Evoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum
Vociferans. Etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem,
Fama volat: furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit nova quærere tecta.
Deseruêre domos: ventis dant colla comasque:
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: torvumque repentè
Clamat: Io, matres, audite ubi quæque, Latinæ.

et ausa majorem furorem, abit in sylvas, *sub* ficta religione Bacchi, et occultat filiam *in* montibus umbrosis: ut auferat *hoc* conjugium Trojanis, *aut* retardet nuptias, fremens, Evoe Bacche: clamans te unum dignum esse puellâ, *o Bacche*. Et verò rumor spargitur, puellam gestare pro te thyrsos teneros, circuire choris tuam *imaginem*, alere comam dicatam tibi: et eadem cupiditas impellit simul omnes matres inflammatas furiis *in* pectore, ad quærendas domos novas. Reliquerunt domos: præbent ventis colla et capillos: aliæ autem implent aerem tremulis clamoribus, et indutæ pellibus gestant hastas *ornatas* pampino. Ipsa *regina* in medio furiosa tenet pinum flammantem, et canit nuptias filiæ *suæ* et Turni, volvens oculos sanguinolentos, et subitò clamat immaniter: Io, matres Latinæ, audite omnes ubicumque *estis*: si quis amor

391. *Tibi pascere crinem.*) Mos apud Græcos, Romanos, Barbaros, capillos Diis sacrare: idque fiebat duobus modis, vel eos fluentes et incæduos alendo; vel detondendo, et templis appendendo, aut mortuorum tumulis injiciendo.

397. *Pinum sustinet.*) Facem nuptialem, quæ frequenter e pinu, Ecl. 8, 29. Faces eas non tantùm a pueris, sed a matre etiam latas præcipuè apud Græcos, probat Cerdanus ex Euripide et Apollonio.

400. *Io.*) Vox est omnes propè affectus exprimens, dolorem, gaudium, etc. De

Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet:
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
Talem inter sylvas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquàm visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini;
Protinus hinc fuscis tristis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros; quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundâsse colonis,

restat piis animis erga miseram Amatam, si sollicitat *vos* cura auctoritatis maternæ, resolvite tænias capillorum, celebrate mecum orgia. Sic undique per sylvas, per deserta ferarum, Alecto impellit reginam furiis Bacchi. Postquàm Dea funesta visa est *sibi* satis stimulavisse primas iras, et turbâsse omnem familiam atque consilium Latini; statim aufertur nigris alis inde ad muros Rutuli audacis: quam urbem Danae dicitur condidisse civibus Acrisioneis,

orgiis, Bacchi sacris, Æn. 4, 301.

403. *Solvite crinales vittas.*) Quæ virginum et matronarum capillos coercebant, non meretricum. Unde Ovid. de Arte, l. 1, 30: *Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.* Eas resolvere, furoris et inverecundiæ nota fuit, Baccharumque mos.

410. *Acrisioneis colonis*, etc.) Quod fabulæ de *arca* Danaes effutiunt, ut suprà narravimus, v. 372; hoc videtur hìc Virgilius de *navi* interpretari, quâ, cum Argivis aliquot, fugam Danae in Italiam ceperit: quò allapsa, favente vento meridiali *Noto*, condidit ibidem Ardeam, in gratiam *colonorum* Argivorum, quos advexerat secum e regno *Acrisii* patris sui. *Ardea*, urbs fuit regia Rutulorum, in finibus Latii, mare Tyrrhenum versùs, ad orientem Laurenti; nunc vicus nomen retinens. Nomen, vel ab *Ardea* ave, cujus ex augurio condita est, teste Hygino apud Senecam, quem qui sequuntur explicant hìc vocem *avis*, de *volucri*; videturque Ovidius, Met. 14, 574, allusisse ad illam urbis originem, cùm eamdem ab Ænea excisam, et in *Ardeam* avem mutatam fingit. Vel potiùs dicta est ab *arduo* situ: unde sic legimus duce Servio, et MSS. apud Pierium compluribus: *locus Ardua quondam dictus avis*, id est, *majoribus*.

Præcipiti delata Noto : locus Ardua quondam
Dictus avis, et nunc magnum manet Ardea nomen.
Sed fortuna fuit. Tectis hîc Turnus in altis
Jam mediam nigrâ carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem et furialia membra
Exuit : in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat : induit albos
Cum vitta crines : tum ramum innectit olivæ.
Fit Calybe, Junonis anus, templique sacerdos :
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert :
Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres.
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis :

huc advecta celeri vento : locus *ille* appellatus *est* olim a majoribus Ardua, et nunc nomen insigne restat Ardea. Sed casus *ita* tulit. Illic Turnus tenebrosâ nocte jam capiebat medium somnum in sublimi domo. Alecto deponit sævum vultum, et membra furiosa : mutat se in speciem vetulæ, et sulcat rugis frontem fœdam : assumit capillos albos cum tænia ! tum implicat *iis* coronam olivæ. Fit Calybe, vetula Junonis, et sacerdos *ejus* templi : et exhibet se juveni præ oculis cum iis verbis : Turne, an feres tot labores abire frustra, et tua regna transmitti Trojanis advenis ? Rex abnuit tibi matrimonium et præmia parata sanguine, et hæres peregrinus quæritur ad regnum. I modò, illuse, expone te inutilibus periculis ; i, supera Tus-

413. *Fortuna fuit*, etc.) Vel ad superiora refertur : *Fortuna casusque fuit, ut nomen urbi tamdiu remanserit, tot aliis urbium nominibus aut mutatis aut sepultis.* Vel ad subsequentia : *Fortuna casusque fuit, quod Turnus tum dormiebat*, etc.

418. *Cum vitta crines*, etc.) *Calyben*, poeta sacerdotem fingit templi Junonii : quod Ardeæ fuisse indicat : unde favor Junonis in Turnum. *Vittas* illa sive *infulam* sacerdotalem gerebat, Æn. 2, 133 : *Innectit ramum olivæ*, in coronam, infulæ superpositam.

Tyrrhenas, i, sterne acies: rege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placidâ cùm nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Lætus in arma para: et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre, duces, pictasque exure carinas.
Cœlestûm vis magna jubet. Rex ipse Latinus
Ni dare conjugium, et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Tibridis alveo,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostrî.
Sed te victa situ verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet; et arma
Regum inter, falsâ vatem formidine ludit:

cos exercitus; protege pace Latinos. Ipsa autem omnipotens *Juno* filia Saturni palam jussit me dicere hæc tibi, dum dormis tranquillâ nocte. Age igitur, et lætus cura juventutem armari et emitti portis ad bellum: et succende duces Phrygios, qui sederunt ad pulchrum fluvium, et pictas naves. Magna potestas Deorum *hoc* imperat. Ipse rex Latinus, nisi consentit conficere matrimonium, et stare promissis, sentiat et experiatur denique Turnum in bello. Tum juvenis ridens vatem, ita vicissim ore reponit verba: Non, ut putas, nuntius *ille* fugit meas aures, classem ingressam esse fluvium Tibrim: ne mihi finge tantas *causas* timendi, regina Juno non est oblita nostrî. Sed, o mater, senectus fracta annis et imbecilla ad *cognoscen-*

426. *Thyrrenas, i, sterne acies.*) Adversùs quos Latinis bellum gerentibus opem Turnus sæpe tulerat. De *iis*, Æn. 2, 781. De *Junone*, Saturni filia, Æn. 1, 27. De *Phrygiis*, Trojanis, Æn. 1, 385.

440. *Victa situ, verique effœta.*) *Situs*, squalor est ex vetustate contractus, Æn. 6, 462. *Effœta*, dicitur mulier quæ cessavit fœtus emittere et parere: unde *veri effœta*, erit, quæ cessavit vera dicere et cognoscere; quales vetulæ, quæ falsa sæpe pro veris accipiunt.

Cura tibi Divûm effigies et templa tueri :
Bella viri pacemque gerant queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus,
Diriguêre oculi : tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina, cunctantem et quærentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore :
En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsâ formidine ludit.
Respice ad hæc : adsum dirarum ab sede sororum :
Bella manu, lethumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rupit pavor ; ossaque et artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli,

dam veritatem frustra agitat te curis, et decipit vatem falso timore super bellis regum : cura *sit* tibi custodire simulacra et templa Deorum : viri, quibus bella debent esse curæ, administrent bella et pacem. Alecto erupit in furorem talibus verbis. At repentinus tremor invadit membra juvenis loquentis : oculi cohorruerunt : tot colubris sibilat Furia, tam horrendum vultus *ejus* exhibet se. Tum *Alecto* contorquens oculos ignitos, repulit morantem et parantem loqui plura, et extulit duos colubros, et sonuit flagello, et adjecit hæc ore furioso : Ecce ego *sum illa* obruta annis, quam senectus imbecilla *ad cognoscendum* verum decipit falso metu inter bella regum. Attende ad ista : venio e domo sororum funestarum : fero *in* manibus bella et mortem. Sic locuta torquet tædam *in* juvenem, et figit sub pectore faces fumantes nigrâ luce. Magnus timor abstulit illi somnum ; et sudor profusus toto corpore rigavit et ossa et membra. *Ille* furens poscit arma, quærit arma *per*

447. *Erinnys sibilat hydris.*) *Erinnys*, commune Furiarum nomen, Æn. 2. *Hydrus*, vel *hydra* : propriè serpentis genus in aquis degens, ab ὕδωρ, *aqua*.

Ira super. Magno veluti cùm flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantque æstu latices : furit intus aquæ vis,
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis :
Nec jam se capit unda ; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem, pollutâ pace, Latinum
Indicit primis juvenum : et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem :
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, Divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet, atque juventæ ;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis,
Arte novâ speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hîc subitam canibus rabiem Cocytia virgo

lectum et domum. Fervet cupido armorum, et vesana rabies belli, et præterea ira. Sicut quando flamma *excitata* e virgis supponitur magno crepitu lateribus *ollæ* æreæ spumantis, et undæ ardore subsiliunt : *tum* violentia aquæ furit intus, et fluvius fumidus altè exundat spumis : nec jam unda continet se, vapor niger surgit in aerem. Itaque ruptâ pace, imperat præcipuis juvenum iter ad regem : et jubet arma instrui, *suos* Italiam tueri, et pellere hostem ultra terminos *regionis* : *ait* se satis esse *contra* utrosque et Latinos et Trojanos. Postquàm protulit hæc verba, et invocavit Deos ad vota *sua audienda*, Rutuli mutuò incitant se ad bellum. Hunc incitat eximia species pulchritudinis et juventutis *regis sui* ; illum reges *ejus* majores, istum manus *ejus* clara factis. Dum Turnus implet Rutulos audaciâ animosâ, Alecto Stygiis alis immittit se in Trojanos : intuita *per* novam fraudem locum *in* litore, ubi formosus Ascanius persequebatur feras insidiis

470. *Venire.*) Esse. Sic Georg. 1, 29 : *An Deus immensi venias maris.* De *Teucris*, Æn. 1, 239. De *Styge* et *Cocyto*, Æn. 6, 323.

Objicit, et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima malorum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat formâ præstanti et cornibus ingens:
Tyrrheidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et latè custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Sylvia curâ
Mollibus intexens ornabat cornua sertis;
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis: rursusque ad limina nota
Ipse domum serâ quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovêre canes, fluvio cùm fortè secundo
Defluueret, ripâque æstus viridante levaret.
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius curvo direxit spicula cornu:

et cursu. Hic puella Cocytia immittit canibus furorem repentinum, et percellit nares odore cognito, ut agiles insequerentur cervum: quod fuit primum caput calamitatum, et inflammavit ad bellum animos rusticos. Cervus erat eximiâ specie, et altis cornibus: quem filii Tyrrhei alebant abstractum ab uberibus matris, et *ipse* pater Tyrrheus, cui subdita erant armenta regis, et commissa erat latè cura agrorum. Sylvia soror *eorum* omni studio decorabat *illum* docilem imperio, cingens *ei* cornua floribus teneris; et pectebat cervum, et lavabat in puris fontibus. Ille patiens *tangi* manu, et assuetus mensæ domini, vagabatur per sylvas: et postea referebat se ipse ad domum cognitam, quamvis provectâ nocte. Canes furiosæ venantis Ascanii excitaverunt illum procul errantem, cùm fortè enatasset prono fluvio, et leniret calorem in herbosa ripa. Ipse quoque Ascanius, inflammatus cupiditate pul-

485. *Tyrrheusque pater.*) Hunc fuisse Latino pecoris custodem ait Dionys. Halic. et ad eum deinde, mortuo Æneâ, fugisse Laviniam, ut diximus, Æn. 6, 763.

489. *Ferum.*) Natura ferum animal, cultu mansuetum. Sic equum appellavit, Æn. 2, 51: *Inque feri curvam compagibus alvum.*

Nec dextræ erranti Deus abfuit, actaque multo
Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque, cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne replevit.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera sylvis)
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut fortè coactis
Sciudebat, raptâ spirans immane securi.
At sæva e speculis tempus Dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit stabuli, et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: quâ protinus omne

chræ laudis, curvato *arcu* corneo intendit sagittam: nec defuit Alecto manui incertæ, et *sagitta* arundinea impulsa magno stridore transiit per uterum et per ilia cervi. At cervus vulneratus fugit in notam domum, et gemens intravit stabulum, et sanguinolentus ac similis petenti *opem*, implevit questu totam domum. Sylvia soror feriens humeros manibus, prima petit opem, et inclamat duros rusticos. Illi repentini adveniunt: nam Furia exasperans *eos* clam latet in sylvis: hic armatus titione præusto, hic nodis gravis fustis: furor convertit *in* arma quicquid obvium est unicuique quærenti *arma*. Tyrrheus, cùm fortè findere adactis cuneis quercum fissilem in quatuor *partes*, horrendum iratus, correptâ securi convocat multitudinem. At crudelis Furia, nacta e speculis tempus nocendi, conscendit altum culmen stabuli, et de supremo vertice canit signum pastorale, et curvo cornu contendit vocem infernam: quâ sta-

498. *Deus.*) *Alecto*: nam *Deus* etiam genere communi, de fœmina dicitur, Æn. 2, 632.

499. *Ilia.*) Partes imi ventris, circa summas coxas.

509. *Quadrifidam quercum.*) Fissilem in quatuor partes, id est, in multas partes: numerus certus pro incerto.

514. *Tartaream vocem.*)

Contremuit nemus, et sylvæ intonuêre profundæ.
Audiit et Triviæ longè lacus, audiit amnis
Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini :
Et trepidæ matres pressêre ad pectora natos.
Tum verò ad vocem celeres, quâ buccinâ signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ : necnon et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxêre acies : non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque latè
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant.
Fluctus uti primo cœpit cùm albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, et altiùs undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.

tim omnis sylva intremuit, et intimæ arbores sonuêre. Audiit etiam procul lacus Dianæ, audiit fluvius Nar albus aquâ sulfureâ, et fontes Velini : et matres timidæ presserunt pueros ad ubera. Tunc autem agricolæ indociles correptis armis undique accurrunt prompti ad vocem, quâ dirum cornu impulit sonum : et juventus etiam Trojana castris patentibus immittit subsidium Ascanio. Ordinaverunt agmina : non jam pugnatur prælio rustico, fustibus duris, aut palis præustis : sed dimicant gladiis dubiis, et rigescit nigra seges strictorum ensium; et arma ærea. Sole percussa, emicant et emittunt splendorem ad nubes. Ut quando fluctus cœpit albescere primo vento, *tunc* mare tollit se sensim, et erigit undas altiùs, deinde surgit in

Tartarus, profundus inferorum locus, Æn. 6, 134.

516. *Triviæ lacus*, etc.) Lacus Dianæ Aricinæ, juxta Aricíam urbem, tribus circiter leucis Laurento dissitus, ad septentrionem, nunc *lago de Nemo*. *Trivia*, Dianæ nomen, a triviis ubi colebatur. Æn. 4, 511.

517. *Sulfureâ Nar albus aquâ.*) *Nar*, nunc *Nera*, fluvius Umbriam Sabinumque agrum disterminans, et influens in Tibrim. Nomen a Sabina voce *Nar*, quæ sulfur significat, ob vim odoremque aquarum.

Fontesque Velini.) Lacus *Velinus ab* ἕλος, *palus:* nunc *lago de pê de Luco*, ab oppido vicino : in Sabinorum

Hic juvenis primam ante aciem stridente sagittâ,
Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almon
Sternitur : hæsit enim sub gutture vulnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa : seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert, justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis.
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi Dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primæ commisit funera pugnæ,

aerem ex intimo fundo. Hic Almon juvenis, qui maximus erat filiorum Tyrrhei, prosternitur sagittâ sonante ante primum agmen : nam plaga hæsit sub jugulo, et sanguine obstruxit viam liquidæ vocis et levem spiritum. Multa corpora hominum *sternuntur* circa *illum* : *imprimis* senex Galesus, dum exhibet se conciliatorem pacis, qui unus *omnium* fuit olim æquissimus, et ditissimus agrorum Italicorum : quinque greges ovium et quinque armenta redibant illi, et scindebat terram centum aratris. At dum ea fiunt per agros Marte *adhuc* æquali, Furia compos facta promissi, postquàm inchoavit bellum sanguine, et incepit cæ-

finibus exonerans se in Narem fluvium.

537. *Ausoniis arvis.*) Italicis, v. 54.

538. *Quina redibant.*) E pastu in stabula.

540. *Æquo Marte.*) Antequam Latinorum præcipui occisi essent, dum adhuc æqua utrinque esset fortuna prælii. Sic Donatus, quem malo sequi, quàm Servium, qui explicat *aperto Marte* : aut Ascensium, qui interpretatur *æquo et plano campo*. De *Marte*, Ecl. 9, 12.

541. *Promissi Dea facta potens.*) Compos facta rei, quam Junoni effecturam se promiserat.

542. *Imbuit.*) *Tinxit*, *perfudit* : metaphoricè, *incepit*, *instituit* : per translationem a *lanis*, *vasculis*, quæ primùm liquore aliquo perfunduntur : vel a primis infantum potionibus, quas puerilis vocis imitatione *buas* ab antiquis dictas esse Nonius ex Catone et Varrone testatur. Si igitur hìc sumatur propriâ significatione, sensus erit : *Tinxit sanguine bellum*, id est, *bellica arma*; ut mox v. 554 : *Sanguis novus imbuit arma*. Si sumatur me-

Deserit Hesperiam; et cœli convexa per auras,
Junonem victrix affatur voce superbâ:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coeant, et fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros;
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant: spargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum et fraudis abunde est:
Stant belli causæ: pugnatur cominus armis.

dem primi prælii; relinquit Italiam, et vecta per spatia cœli, victrix alloquitur verbis superbis Junonem: Ecce dissensio conflata est tibi *per* bellum triste: nunc jube *ut* conveniant in societatem et faciant pacem. Si quidem perfudi Trojanos Italico sanguine; præterea hoc adjiciam illis *rebus*, si tua voluntas mihi nota *fiat*: incitabo rumoribus vicinas urbes ad bellum, et inflammabo animos furiosa cupiditate Martis, ut undecumque accurrant *ad* subsidium: diffundam prælia per campos. Tunc Juno vicissim ait: Satis est terroris et doli: manent causæ belli: cer-

taphoricè, sensus erit: *incepit bellum sanguine*: quo more dixit Propertius, l. 4, 10, 5: *Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ*: id est, *incipis, instituis, das exemplum*. De *Hesperia*, Italia, Æn. 1, 534.

543. *Convexa per auras.*) *Convecta*. Sic Georg. 4, 293: *Usque coloratis amnis devexus ab Indis*: id est, *devectus*.

546. *Dic in amicitiam*, etc.) Fac, si potes, ut in amicitiam redeant. Et est ironica Furiæ jactatio, quasi dicat: eas ego turbas excitavi, quas nec tu ipsa Juno componere possis. *Ausonio sanguine*, v. 54.

547. *Quandoquidem*, etc.) Ceteri conjungunt cum superioribus: ego subsequentibus adjicio, hoc sensu: quandoquidem tam feliciter Trojanos Rutulis commisi; permitte mihi, ut alias etiam gentes huic bello admisceam. De *Marte*, Ecl. 9, 12. De *Hymenæo*, Georg. 3, 60. De *Venere*, Æn. 1, 260. De *Olympo*, Ecl. 5, 56. De *Cocyto*, Æn. 6, 323.

Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia et tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super æthereas errare licentiùs auras
Haud pater ille velit summi regnator Olympi.
Cede locis : ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces :
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus, Italiæ in medio sub montibus altis,
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles : densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sónitum saxis et torto vortice torrens.

tatur cominus armis : sanguis novus tinxit arma, quæ casus prima obtulit. Eximia soboles Veneris, et ipse rex Latinus peragant talia conjugia et tales nuptias. Ipse pater rector supremi cœli nollet te vagari liberiùs super spatia cœlestia. Recede *ex his* locis : si aliquod discrimen superest in hoc negotio, ego ipsa regam *illud*. Saturni filia protulerat talia verba : Furia verò explicat alas sonantes colubris, et adit regionem Cocyti, relinquens *loca* alta et superna. Est locus in medio Italiæ, sub altis montibus, insignis et celebratus famâ in regionibus plurimis, *nempe* valles Amsancti. Latus sylvæ, nigrum spissis foliis, premit utrinque hunc *locum*, et *in* medio *ejus* torrens tumultuosus edit strepitum saxis erumpente vortice. Osten-

565. *Amsancti valles*, etc.) In Hirpinis, qui Apuliam ab oriente, Campaniam ab occidente habent : medio ferè spatio, inter mare superum sive Hadriaticum, et inferum sive Tyrrhenum : est vallis, in qua lacus *Amsanctus*, nunc *Ufiti*, a Mephitis templo quod ibi olim fuit, ut diximus, suprà v. 83, aquis nigris, et odore teterrimis, in medio lacus ad viri proceritatem ingenti fragore ebullientibus. Unum ex ostiis inferorum Itali credidère, et inde *Amsanctus* dictus est, id est, *circum sacer : ambi* enim, vel *ambo*, veteribus fuit *circum*, ab ἀμφί. *Ditis*, Plutonis, Georg. 4, 467. *Acheronte*, Æn. 6, 323. *Erinnys*, Furia, Æn. 2, 337.

Hîc specus horrendum, et sævi spiracula Ditis
Monstrantur; ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: queis condita Erinnys,
Invisum numen, terras cœlumque levabat.
Nec minùs interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus; cæsosque reportant
Almonem puerum, fœdatique ora Galesi;
Implorantque Deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine, cædis et ignis
Terrorem ingeminat; Teucrosque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata Deûm, perverso numine poscunt.

duntur hîc antrum horribile, et ostia sævi Plutonis et magna vorago apertis inferis pandit aditus pestiferos; quibus abscondita Furia, odiosa Dea, liberabat cœlum et terras. Interea filia Saturni non segniùs addit bello manum ultimam. Omnis multitudo pastorum recurrit e prælio in urbem: et referunt occisos Almonem puerum et caput Galesi cæsi, et invocant Deos, et precantur Latinum. Turnus adest, et in medio cadaverum auget timorem cædis et incendii: ait*que* Trojanos admitti in regna, gentem Phrygiam associari, se ejici domo. Tunc *illi*, quorum matres percitæ Baccho percurrunt sylvas inaccessas *cum* choreis, conveniunt undique congregati, et exercent bellum; neque enim levis est auctoritas Amatæ. Statim omnes iratis Diis, flagitant dirum bellum, contra auspi

575. *Fœdati.*) Vulnerati, cæsi. Vide Æn. 2, 55: *Ferro Argolicas fœdare latebras.*

577. *Crimine.*) Cæsis cadaveribus, quorum cædem Turnus crimini vertebat Trojanis. De *Teucris*, Æn. 1, 239. De *Phrygia*, ibid. 385. De *Baccho*, ejusque *thiasis*, seu choreis, Ecl. 5, 29.

Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: scopuli ne quicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.
Verùm ubi nulla datur cæcum exuperare potestas
Consilium, et sævæ nutu Junonis eunt res,
Multa Deos, aurasque pater testatus inanes:
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procellâ.
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri! te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque Deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura locutus,
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Moserat Hesperio in Latio, quem protinus urbes

cia, contra voluntatem Deorum. Certatim cinguntdomum regis Latini: ille obsistit, velut rupes maris immobilis: veluti rupes maris, magnâ tempestate instante, quæ multis fluctibus circum sonantibus sustentat se mole suâ: frustra scopuli et saxa spumantia circumstrepunt, et alga impacta appellitur lateri. Sed quandoquidem nulla offertur facultas evertendi insanum consilium, et res fiunt ad arbitrium duræ Junonis, pater sæpius attestatus Deos et aerem vacuum, ait: Heu! vincimur fatis, et raptamur tempestate. O miseri, *vos* ipsi persolvetis has pœnas sacrilego sanguine. O Turne, spectabit te crimen et tristis pœna: et tardioribus precibus implorabis Deos. Nam quies est mihi parata, et omnis portus est in conspectu: *tantùm* privabor morte felici. Nec plura locutus, clausit se domo, et deposuit regimen rerum. Erat consuetudo in Latio Italico,

598. *Nam mihi*, etc.) Nam mihi nihil timeo, cùm sit in propinquo portus mortis: cujus non amittam quietem, sed tantùm honores fortasse, et pompam funebrem: captâ et vastatâ a Trojanis urbe meâ.

601. *Hesperio in Latio*, etc.) De *Hesperia*, Italia,

Albanæ coluêre sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima movent in prælia Martem :
Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisve, Arabisve parant; seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

quam urbes Albanæ solemnem perpetuò servaverunt: *quam* nunc Romani potentissimi orbis servant, quando concitant Martem in prima certamina : seu parant inferre manu triste bellum Getis, aut Hyrcanis, aut Arabibus; seu proficisci contra Indos, et persequi Auroræ *populos*, et re-

Æn. 1, 534. De *Latio* suprà, 54. De *Alba*, Ascanii regia urbe, Æn. 1, 275. Æn. 8, 48.

604. *Sive Getis*, etc.) Populis Daciæ, Thracum vicinis, circa ostia Danubii, Georg. 1, 115. De his triumphaverat paulò ante hæc Virgilii tempora M. Licinius Crassus proconsul, Augusti auspiciis, anno, U. C. 726.

605. *Hyrcanisve, Arabisve*, etc.) *Hyrcania*, olim Parthiæ pars, Æn. 4, 367. Huic nullum privatim bellum a Romanis illatum est; sed Parthis, quorum imperio continebatur *Arabia* : cujus populi *Arabes*, vel *Arabi*, ingens Asiæ quasi peninsula, Syriæ, Mesopotamiæ, et Parthorum imperio contermina : Georg. 2, 115. Hanc penetrare et subigere tentavit Augustus, anno U. C. 730, duce expeditionis Ælio Gallo, juxta Strabonem; non Ælio Largo, ut mendosè legitur apud Dionem; neque Cornelio Gallo, de quo Ecl. 10, ut malè Casaubonum in Strabonis l. 17, commentari ostendit Valesius in Ammianum.

Tendere ad Indos, Auroramque, etc.) Constat ex Dione, Indos pacem sanxisse cum Augusto, et ad eum dona advexisse, cùm Sami hiemaret, sub finem anni 734, aut initium sequentis : cum Augustus in urbem rediret ex Asia et Syria, ubi multa composuerat. Constat Phraatem regem Parthorum, veritum ne bello ab Augusto peteretur, eidem in Syria versanti signa captivosque remisisse, quotquot Crassi Antoniique cladibus Parthi ceperant; idque accidisse circa æstatem anni 734. At cùm hæc propiùs accedunt ad mortem Virgilii, quæ anno U. C. 735 contigit; non dubito quin Virgilius, non quidem de hac ipsa signorum receptione, et itinere Augusti; sed de ejus apparatu explicandus sit : quæ omnia contigere circa annum 732. Nam, ut habet Dio, Augustus itineri se dedit, antequàm ini-

Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,
Religione sacræ, et sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, Quirinali trabeâ cinctuque Gabino,

petere signa a Parthis. Sunt duæ portæ belli, appellant eas hoc nomine, venerabiles religione et metu crudelis Martis: centum vectes ærei, et æternæ vires ferri claudunt *eas;* et Janus custos non recedit a portis. Quando stat Senatoribus certum consilium belli; ipse consul, notabilis trabeâ Romuleâ et cinctu Gabino, aperit illas et striden-

rent magistratum consules anni 733. Idem signa et captivos a Parthis repetiit sub finem anni 731; quo fortè tempore etiam legatos ab Indis de pace accepit: siquidem ait Dio, eos pacem per legatos priùs petiisse quàm eam Sami conficerent. Atque hinc Virgilius, qui hæc Romæ tum videbat, ad bellum tendere existimavit, cùm tamen deinde pace perfecta sint. De *Indis*, Georg. 1, 57. De *Aurora*, Georg. 1, 144. De *Parthis*, Ecl. 1, 63.

607. *Sunt geminæ*, etc.) Virgilius utitur anticipatione. Templum enim Jani ad bellum aperiri, non nisi a Numa, secundo Romanorum rege, institutum est. Cetera pete ex Æn. 1, 298.

609. *Vectes.*) *Vectis*, instrumentum in modum trabis aut pali crassioris, quo vel januæ adversùs vim muniuntur, vel promoventur impelluntur que moles onerum, vel diruuntur muri; a *vehendo* dictum: idque ex ære, ferro, ligno.

610. *Custos limine Janus.*) Vel quia statua ejus in limine bifrons: vel quia præerat omnibus januis, quæ ab ipso sic dictæ sunt. Præerat enim omnibus initiis, domorum, quæ *januæ* sunt; anni, qui mensis *Januarius*, etc. Primus rex fuit et antiquissimus Italiæ, qui Saturnum hospitio excepit. Hunc aliqui Noe, aliqui Japhet Noe filium putant. Vini usum in Italiam invexit, arasque, et templa, et portarum ac clavium usum. Ab aliis primus dicitur Deorum. *Bifrons* pingitur, vel quia cum Saturno regnum partitus est; et maximâ conjunctione cum eodem vixit: vel quòd ob summam prudentiam, præterita sciret, futura prævideret: vel quòd Italiæ gentes a feris moribus ad mansuetiores traduxerit, quæ duplex vita duplici vultu notatur: vel quòd Græcus origine, ut quidam volunt, linguâ duplici loqueretur.

612. *Quirinali trabeâ, cinctuque Gabino*, etc.) De *trabea*, quæ *Quirinalis* ab

Insignis reserat stridentia limina consul ;
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, et cœcis se condidit umbris.
Tum regina Deûm, cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis antè.
Pars pedes ire parat campis : pars arduus altis
Pulverulentus equis furit : omnes arma requirunt:

tes *earum* cardines; ipse inclamat bellum : tuum reliqua juventus imitatur *eum*, et æreæ tubæ respondent concentu rauco. Tunc quoque Latinus cogebatur indicere bellum Trojanis illo ritu, et aperire funestas portas. *Sed* pater abstinuit a tactu *portarum*, et abhorrens fugit turpe ministerium, et abscondit se in obscuris tenebris. Tunc regina Deorum *filia* Saturni, delapsa *e* cœlo, ipsa percussit manu portas obsistentes, et emoto cardine fregit postes belli ferratos. Italia, priùs quieta et non turbata, nunc flagrat. *Hi* partim volunt ire pedites per agros : partim sæviunt sublimes et *excitantes* pulverem altis equis : omnes

inventore *Romulo* dicta est, suprà, v. 188. *Cinctus Gabinus* fuit, cùm togæ lacinia, quæ sinistro brachio vulgò imponebatur, inde subducta, in tergum ita rejiciebatur, ut contracta retraheretur ad pectus, itaque ita in nodum necteretur : qui nodus sive cinctus, togam contrahebat, brevioremque et strictiorem reddebat. Ita Ferrarius, qui de re vestiaria quàm accuratissimè scripsit. Nomen et originem derivat Servius a Gabiis, Latii urbe : ubi cùm cives sacris operarentur togati, subitò ingruentibus hostibus, cùm non esset spatium arma sumendi, sic succinctis contractisque togis ad pugnam exierunt. Hoc ritu Consul bella indicebat, duces et imperatores spolia hostium cremabant, sacra sæpe bello faciebant, devovebant se, etc.

621. *Cardine verso*, etc.] De *cardine* portarum, Æn. 1, 453. De *postibus*, Æn. 2, 442. De *Ausonia*, Italia, suprà, v. 53.

Pars leves clypeos et spicula lucida tergunt
Arvinâ pingui, subiguntque in cote secures:
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant: Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, et turrigeræ Antemnæ,
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum crates: alii thoracas ahenos,
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc et falcis honos; huc omnis aratri

quærunt arma: partim purgant arvinâ pingui scuta polita et spicula splendida, et acuunt secures in cote: et placet portare vexilla, et audire sonitum tubarum. Itaque quinque magnæ urbes defixis incudibus recudunt tela: Atina potens, et Tibur excelsum, et Ardea, et Crustumerium, et Antemnæ turritæ, cavant tutas galeas capitum, et texunt e salice crates clypeorum: alii excudunt loricas æreas, vel politas ocreas argento flexili. Illuc abiit studium vomeris et falcis, illuc omnis cura aratri: reco-

627. *Arvinâ pingui*, etc.) Est sevum, sive pinguedo illa, quæ inter carnem et cutem animalium est. *Cos*, feminini generis, lapis est quo cultri acuuntur.

630. *Atina*, etc.) Urbs in septentrionali regione Volscorum, in Apennini jugo, nunc adhuc nomen retinens.

Tibur, nunc *Tivoli*, in septentrionali parte veteris Latii, prope cataractam Anienis fluvii e rupibus præcipitantis: *superbum* dicitur, vel ob illas rupes, propter quas *supinum* dicitur ab Horatio, Od. l. 3, 4, 23: et *altum* a Martiali, Epig. lib. 7, 12: vel ob superbiam, quâ cum Romanis jam potentissimis ausi sunt bellum gerere, anno U. C. circiter 400.

631. *Ardea*, etc.) *Ardea*, Rutulorum caput, suprà, v. 410.

Crustumerium, vel *Crustumeria*, non longè ab urbe Roma: in illo Sabinæ regionis angulo, quem Anio in Tiberim procurrens efficit: nunc fortè *Marcilhiano velho*.

Antemnæ, vel *Antemna*, nunc dirutum oppidum, ad confluentem Anienis in Tiberim, sed in Latio, non in Sabinis: ideo sic dictum, quòd *ante amnes* positum sit.

633. *Umbonum crates*.) Scutorum fulcra e salice, quæ deinde corio vestiebant. *Umbo*, media pars est scuti eminentior, Æn. 2, 546.

Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses:
Classica jamque sonant: it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad juga cogit equos, clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete:
Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Complerent campos acies, quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris; quibus arserit armis,

quunt patrios gladios *in* fornacibus: et jam buccinæ sonant: datur symbolum, signum belli. Hic festinus extrahit galeam e tecto: ille jungit ad currum equos frementes, instruiturque clypeo et lorica *cum* triplici licio auri, et armatur fideli gladio. Nunc, o Musæ, aperite Helicona, et suggerite *mihi* cantus *istos*: quinam reges excitati *fuerint* ad bellum; quinam exercitus secuti unumquemque operuerint campos; quibus hominibus abundaverit jam tunc tellus Italica nutrix *mea*, quibus bellis

637. *Classica*, etc.) *Tubæ*: sic dictæ, quòd iis multitudo *calaretur*, id est, *vocaretur*, sive ad bellum, sive ad concionem: unde et *classes* dictæ sunt, tum exercitus, non tantùm navales, sed etiam terrestres, tum civium partes ad censum distributæ. *Tuba* autem propriè recta fuit, a *tubo* sive canali dicta. *Cornu*, omnino flexum, a *boum* cornibus: ex quibus factum est priusquàm ære conflaretur, unde dicta est *buccina*. *Lituus* paulùm incurvus, figuræ inter tubam et cornu mediæ.

Tessera.) Propriè figura est, sex constans æquis lateribus, omni ex parte quadrata; lusoriis talis, quales hodie habemus, non absimilis. Varios habuit usus, præcipuè in bello: ubi significabat signum illud, quod ab imperatoribus ad tribunos, a tribunis ad centuriones, et per eos ad alios deinde milites pertinebat: vel ut milites invicem se cognoscerent, vel ut iis imperatorum mandata innotescerent. Aliquando inscripta fuit, aliquando vocalis: ut frequenter sub Cæsare *Venus genitrix*, sub Mario *Lar Deus*, sub Sylla *Apollo Delphicus*.

639. *Adjuga cogit equos.*) Tunc enim viri principes e curru pugnabant. De *lorica auro trilice*, Æn. 3, 467.

641. *Helicona, Deæ*, etc.) *Deæ*, Musæ, Ecl. 3, 60. *Helicon*, mons Bœotiæ, Musis sacer, Parnasso vicinus.

Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis :
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus : quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllinâ nequicquam ex urbe secutos
Mille viros, dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palmâ per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus : clypeoque, insigne paternum,
Centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram.

flagraverit. Nam *vos*, Divæ, meministis, et potestis narrare *illa* : vix levis rumor famæ pervenit ad nos. Primus Mezentius contemptor Deorum asper incipit bellum e Tyrrhena regione, et instruit exercitum. Lausus filius huic propè *adest* : quo nemo alter fuit formosior, excepto corpore Laurentis Turni. Lausus *ille*, domitor equorum, et victor ferarum, ducit mille viros frustra secutos *ipsum* ex urbe Agyllina, dignus qui felicior esset paterno regno, et cui Mezentius non fuisset pater. Post hos formosus Aventinus, genitus formoso Hercule, ostentat per campos currum illustrem victoriâ, et equos victores : et præfert *in* scuto insigne patris ; *nempe* centum serpentes, et hydram

647. *Tyrrhenis ab oris*, etc.) De *Tyrrhena* regione, sive *Tuscia* et *Etruria*, Æn. 2, 781. De *Mezentio*, Æn. 8, 481. De *Laurente Turno*, suprà, v. 63.

652. *Agyllinâ nequicquam ex urbe*, etc.) *Agylla*, urbs Etruriæ, ferè in confinio Latii, leucâ paulò plus unâ distans a litore, a Pelasgis e Thessalia profectis condita et appellata ; a Tyrrhenis verò e Lydia oriundis capta, et *Care* dicta : nunc *Cerveteri* : regia Mezentii : unde expulsus a suis, cum reliquiis fidelium sibi subditorum Turno se conjunxerat. *Nequicquam* ; cùm et Mezentius et Lausus et Turnus hoc bello morituri essent.

657. *Insigne paternum, centum angues*, etc.) Insigne ad

Collis Aventini sylvâ quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit auras,
Mixta Deo mulier: postquàm Laurentia victor
Geryone extincto Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones;

circumdatam serpentibus. Rhea sacerdos, mulier conjuncta Deo, protulit illum in auras lucis furtim in sylva collis Aventini: postquàm Hercules victor ab occiso Geryone pervenit in regionem Laurentem, et lavit vaccas Hispanas in fluvio Tusco. *Milites ejus* præferunt manu ad pugnam pila et duros dolones; et certant acumine tereti,

memoriam paternæ victoriæ compositum: scilicet debellatæ hydræ, in angues innumeros pullulantis, Æn. 8, 300.

659. *Collis Aventini*, etc.) Unius e collibus, quibus insidet Roma, nunc *monte de S. Sabina*. Ambiguum relinquit Virgilius, an colli nomen ab illo Herculis filio, an illi potiùs a colle nomen fuerit. Cùm autem *Rheam sacerdotem* appellat, Herculi in sylvis furtivo amore conjunctam; præludit ad *Rheam Sylviam* Vestalem, quæ deinde circa hunc eumdem locum, ex Marte Romulum concepit, Æn. 1, 278.

662. *Geryone extincto Tirynthius*, etc.) *Geryon*, *Geryonis;* vel *Geryones*, *Geryonæ;* vel *Geryoneus*, *Geryonei;* rex fuit Hispaniæ: qui tria dicitur habuisse corpora, quòd tribus etiam insulis Hispaniæ adjacentibus imperaret, Balearicæ majori, minori, et Ebusæ: vel quòd tres essent fratres amore conjunctissimi, quibus devictis, Hercules eorum armenta diripuerit, et secum in Italiam advexerit.

Tirynthius, nomen Herculis: *Tiryns*, urbs fuit Argis vicina, ubi nutritus est Hercules. De *Laurentibus arvis*, suprà, v. 63.

663. *Tyrrheno in flumine*, etc.) *Tiberi*, qui Tyrrhenos seu Etruriam a Latio dividit: unde dicitur quoque, Æn. 3, 781, *Lydius*, a Tyrrheno Lydo, qui regnum ibi constituit.

Iberia, nomen Hispaniæ ab Ibero fluvio, qui nunc est *Ebro*.

664. *Pila... dolones*, etc.) Milites Aventinæ regionis armat poeta, I. *Pilis*, quæ propria deinde fuerunt tela Romanorum, hastilia manum implentia, septem circiter pedes longa, quorum tertia pars in ferreum mucronem hamatum abibat. II. *Dolonibus*, contis ingentibus ligneis, quibus vel præfixum erat ferrum ita breve, ut vix appareret; vel ferrum ipsum latebat intra lignum,

665 Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.
Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum setâ, cum dentibus albis,
Indutus capiti : sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
670 Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus :
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur.

et veru Sabello. Ipse pedes, quassans pellem ingentem leonis, impexam horribilibus pilis cum dentibus candidis, et cinctus eâ *circa* caput : sic intrabat domum regiam terribilis, et apertus circa humeros indumento Herculeo. Postea duo fratres relinquunt muros Tiburtinos, populum appellatum nomine Tiburti fratris *eorum*, *nempe* Catillus, et generosus Coras, juvenes Argivi : et inter media arma incedunt ante primum agmen. Quemadmodum duo Cen-

indeque cùm erat opus evibrabatur : ideò nomen habebat a *dolo*. III. *Verutis*, quæ vocat *veru Sabellum* et *teretem mucronem* : quæ in eo tantùm videntur a pilis diversa fuisse, quòd ferrum tenuius haberent, pila latius. Porro *veru Sabellum* et *teres mucro*, non sunt diversa; sed res eadem per disjunctionem expressa, ut, Georg. 2, 192 : *Pateris libamus et auro*.

665. *Sabello*.) Vel *Sabino*, vel *Samnitico*. Hoc enim nomen utrique genti commune fuisse ostendit Cluverius passim in antiqua Italia; quòd utrique communis origo esset : nempe ab *Ausonibus*, qui deinde *Opici* sive *Osci*, tum *Sabelli*; deinde in plures divisi partes, *Samnites* ad ortum, *Sabini* ad occasum dicti sunt. Et situs quidem Sabinorum, qui Romæ et Aventino colli propiores fuerunt, probat hìc *Sabellum* de *Sabinis* debere intelligi.

669. *Herculeo amictu*.) Hercules enim indutus vulgò fuit pelle Nemæi leonis, a se occisi.

670. *Tiburtia*, etc.) De *Tibure* urbe, v. 630.

672. *Argiva juventus*.) *Coras*; *Tiburs*, *Tiburtus* vel *Tiburnus*; et *Catillus*, primâ brevi apud Statium, longâ apud Virgilium, seu *Catilus*, quo dactylo usus est Horatius : *filii fuêre Amphiarai Argivi juxta multos*; conditores Tiburis et aliarum in Italia urbium, quo venerunt post prodigialem ad Thebas necem patris, de qua, Æn. 6, 445.

Ceu duo nubigenæ cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. Hunc legio latè comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ

tauri nubium filii, cùm descendunt e summo cacumine montis, deserentes celeri cursu Omolen et Othryn nivosum: *tum* sylva præbet *illis* currentibus latum spatium, et arbuscula cedunt magno fragore. Neque abfuit Cæculus, conditor urbis Prænestinæ: quem regem omnia secula putaverunt natum Vulcano inter pecudes agrestes, et repertum *in* ignibus. Multitudo rusticana latè cingit ipsum: et homines qui habitant Præneste excelsum, et qui campos

674. *Nubigenæ.... Centauri.*) Superiore parte humanâ, inferiore equinâ: Ixione et nube geniti, Thessaliæ populi, Georg. 3, 38, Æn. 6, 286.

675. *Omolen, Othrynque.*) Montes Thessaliæ. De *virgultis*, Georg. 2, 21.

678. *Prænestinæ*, etc.) *Præneste*, antiqui Latii urbs ad orientem Romæ, nunc *Palestrina*. Hanc a Prænestе Ulyssis nepote conditam aliqui aiunt: Virgilius et alii quidam a Cæculo, quem e Digitiorum fratrum sorore conceptum narrant, cùm eam Vulcanus sub scintillæ specie vitiâsset; et a matre abjectum juxta templum Jovis, ad ignem repertum esse, cùm ei fumus oculos aliquantulum læsisset, unde Cæculus appellatus est. Hæc e Solino et Servio fabula concinnata. Suspicor tamen hunc Cæculum non fundatorem propriè urbis Prænestinæ dici, sed tantùm instauratorem. Causam suspicandi videbimus, Æn. 8, 561. Hujus amplissima ditio hìc describitur, ab urbe Prænestina ad Circæum ferè montem, longo circuitu Laurentes ac Rutulos amplexa. De *Vulcano*, ignis præside, Georg. 1, 295. De *Legione*, quæ hìc impropriè sumitur pro quovis agmine, Georg. 2, 280.

682. *Gabinæ Junonis*, etc.) Enumerat populos sub Cæculi signis militantes. I. Igitur *Prænestinos*. II. *Gabios*, urbem ubi religiosè Juno colebatur, de qua, Æn. 6, 773. III. *Anienem*, *Anio*,

Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt : quos, dives Anagnia, pascis :
Quos Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clypei currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti : vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,

Gabinæ Junonis, et frigidum Anienem, et rupes Hernicas irriguas rivis : quos alis, opulenta Anagnia : quos *tu*, o pater Amasene. Arma non *sunt* illis omnibus ; nec sonant *iis* scuta aut currus : maxima pars fundit glandes plumbi lividi : pars præfert manu duo spicula, et habet *ad* tegumentum capitis pileos fulvos de pelle lupi : relinquunt plantas sinistri pedis nudas, calceus crudi *corii* operit alteras. At Messapus, domitor equorum, soboles Nep-

Anien, vel *Anienus*, fluvius est disterminans vetus Latium a Sabinis, deinde in Tiberim influens : hodie dicitur *Teverone* : habebatque fontes in finibus septentrionalibus Hernicorum. IV. *Hernica saxa*, etc. *Hernici*, populi fuerunt novi Latii ad orientem, inter Æquos, Marsos, et Volscos : Sabini fuisse generis vulgò putantur, si quidem ait Servius *herna* Sabinis dici *saxa*, unde genti nomen. Horum caput *Anagnia*. Horum fines ad meridiem ferè attingit fons *Amaseni* fluvii, nunc *Toppia* : qui inde per Pomptinas paludes, circa Circæum promontorium, in mare Tyrrhenum evolvitur.

686. *Glandes liventis plumbi*, etc.) Armat poeta milites Cæculi, I. *Fundâ* et *glandibus plumbeis*. II. *Spiculis* duobus, id est, meo judicio, hastilibus minoribus ac tenuioribus, quorum crassities unius digiti, ferrum pedale, lignum tripedale : quæ inter arma velitum describit Lipsius. III. *Galeris* e lupina pelle, id est, pileis turbinatis et in acumen desinentibus. IV. *Perone*, hoc est, calceamento rustico e crudo corio ad tutelam dextri pedis, cum sinister nudus esset : qui mos Ætolorum fuit : unde Macrobius Hernicos non e Sabinis, sed e Pelasgis oriundos putat, per quos hunc morem Ætolicum acceperint.

691. *Messapus*, etc.) Græcus ex Anthedonia, Bœotiæ regione, ubi Messa-

Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jampridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant.

luni, quem nemini licitum erat occidere nec igne, nec ferro, repentè concitat ad pugnas subditos dudum otiosos ac turmas desuetas bello, et resumit arma. Hi duces *Messapi regunt* exercitus Fescenninos et justos Faliscos. Hi incolunt rupes Soractis, et campos Flavinios, et lacum Ciminum cum monte, et sylvas Capenas. Incedebant digesti ordine, et celebrabant regem *suum*. Quemadmodum

pio monti nomen dedit: postmodum profectus in Italiam, occupavit extremam ejus peninsulam ad orientem, quæ Messapia ab eo, deinde Calabria vocata est. Dicitur *Neptunia proles*, ob navigandi peritiam; *equûm domitor*, quia equus Neptuno sacer est, Georg. 1, 14. Huic tamen regnum Virgilius a Calabria longè diversum attribuit, nempe in orientali Etruriæ parte, ad septentrionem Romæ.

695. *Fescenninas acies*, etc.) Sub Messapo erant. I. *Fescennia* sive *Fescennium*, oppidum Etruriæ, paulò infra confluentem Naris in Tiberim: unde orta est licentia Nuptialium carminum, quæ *Fescennina* dicta sunt: nunc quibusdam dicitur *Galese*. II. *Falisci*: populi paulò infra Fescennium: quorum urbs *Falerii*, quæ *Faliscum* aliquando appellatur. *Æquos* dixit, quia legum duodecim tabularum aliqua supplementa Romani ab iis acceperant. Ita Servius. III. *Soracte*: mons in agro Falisco: nunc *monte de S. Silvestre*. Dixit *arces* pro *rupibus* illius montis: ut Georg. 4, 461: *Flerunt Rhodopeiæ arces*. IV. *Flavinia arva*: vel urbs, vel agger, præterquàm Virgilii et Silii versibus ignotus. V. *Ciminus*: mons et lacus cum *Ciminia sylva*, ad occidentem in Etruriam interior subit. Suspicatur Cluverius montem eum esse, qui modò nuncupatur *de Viterbo*; lacum, *de Roncilhone*. VI. *Capena*: urbs cum luco et templo Feroniæ, ad ripam Tiberis, inter agrum Faliscum et Veientem fuit: nunc *Canepina*. De *Cycnorum* cantu, Ecl. 8, 55. De *Asia* palude in Lydia, Georg. 1, 383.

Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cùm sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos: sonat amnis et Asia longè
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aeriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar:
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens

dum aliquando candentes cycni in serenis nubibus, cùm referunt se e pastu, et emittunt numerosam vocem per colla oblonga: tum resonat amnis et palus Asiâ procul repercussâ. Nec ullus existimaret strui armatum exercitum ex tanta multitudine, sed aeriam nubem raucarum avium impelli ex alto mari ad litora. Ecce Clausus, ex antiquo sanguine Sabinorum, ducens magnam turbam, et ipse instar magnæ turbæ: *is* a quo nunc et tribus et gens Claudia

706. *Sabinorum*, etc.) *Sabini*, orti juxta aliquos ex Lacedæmoniis; juxta diligentissimum scriptorem Cluverium, ex Opicis et Ausonibus indigenis Campaniæ habitatoribus: eam habuerunt Italiæ partem, quæ est ad septentrionem Latii: inter fluvios Narem, Tiberim, Anienem, et montem Apenninum: nunc regio retinet ferè nomen, estque sub ditione Pontificia.

707. *Clausus.*) *Atta Clausus*, post exactos reges, cum tota familia et quinque millibus clientum et amicorum, e Sabinorum urbe Regillo, Romam transmigravit: utque ad formam Romanam nomen aptaret suum, Appius Claudius dici voluit. Ideo in patriciorum numerum admissus est: ager ei trans Anienem fluvium attributus: et cùm Romulus populum Romanum in tres partes distribuisset, quas ideo dixerat *tribus*, nimirum *Tatiensem*, *Rhamnensem*, et *Lucerensem*, fuerunt a posteris aliæ complures additæ, inter quas *Claudia* tribus. At hic Clausus, de quo Virgilius, e majoribus illius Claudii fuisse fingitur. De voce *instar*, Æn. 6, 865. De *Latio*, suprà, v. 54.

Per Latium, postquàm in partem data Roma Sabinis.
Unà ingens Amiterna cohors, priscique Quirites :
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ :
Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini ;

propagatur per Latium, ex quo *tempore* Roma ex parte concessa est Sabinis. Simul magna cohors Amiterna, et antiqui Cures : omnis multitudo Ereti, et Mutuscæ oliviferæ : qui occupant urbem Nomentum, et roscidos cam-

709. *In partem data Roma Sabinis.*) Bis id contigit. Primò post prælia pro raptis Sabinis Romanos inter ac Sabinos diu commissa : quæ sic composita sunt, ut Romulus et Tatius communiter regnum administrarent, Sabini Romam commigrarent e Curibus suis ; et Roma quidem Romuli servaret nomen, Romani verò Quirites a Curibus, Sabinorum urbe, dicerentur. Secundò id contigit in Clauso, qui, ut diximus, post expulsos reges admissus est : et de hac secunda admissione poetam puto explicandum.

710. *Amiterna cohors*, etc.) Loca enumerantur varia Sabinorum. I. *Amiternum*, urbs in latere orientali regionis illius et Apennini jugis, nunc excisa, prope oppidulum *S. Vittorino*. II. *Prisci Quirites*. Non Romani, sed Curenses, ex urbe Curibus, unde Romani Quirites dicti sunt : in parte regionis planè opposita et occidentali, nunc *Vescovio de Sabina*. III. *Eretum*, vicus in angulo meridiali, ferè ad confluentem Alliæ et Tiberis, nunc *monte Rifundo*. IV. *Nomentum*, Ereto vicinum ad orientem, nunc *Lamentano*. V. *Mutuscæ*, aliter *Trebula*, vicus in septentrionali parte, ultra paludem Reatinam, nunc *monte Leone*. VI. *Rosea rura Velini*, pars agri Reatini, sic a Plinio, Varrone, Festo appellata, a *rore*, qui fertilissimum tractum illum efficit circa *Velinum* fluvium, nunc *Velino ;* et *Velinum* lacum, nunc *lago de pé de Luco*. VII. *Tetrica* et *Severus*, montes incerti sitûs : a Blondo circa fontem Fabaris fluvii collocantur, in parte occidentali ; hic *monte Negro*, ille *monte de S. João :* a Cluverio, in angulo septentrionali circa Nursiam urbem, ubi *a gruta de Sibylla*. VIII. *Casperia* paulò suprà Cures, oppidum, nunc *Aspra*. IX. *Foruli*, vicus in rupe circa Amiternum, excisus. X. *Himella* fluvius propè Casperiam nascens, in Tiberim, infrà Cures delabitur. Nunc *Aia*. XI. De *Tibri*, Æn. 8, 330. XII. *Fabaris*, vel

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque et flumen Himellæ:
Qui Tiberim Fabarimque bibunt: quos frigida misit
Nursia; et Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.
Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis:
Vel quàm Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.

pos Velini *lacus*; qui rupes horridas Tetricæ, et montem Severum, et Casperiam, et Forulos, et fluvium Himellum: qui potant Fabarim et Tiberim: quos Nursia nivosa mittit, et classes Hortinæ, et gentes Latinæ: et quos Allia, nomen funestum, dividens interfluit. *Tam multi*, quàm multi fluctus agitantur *in* mari Africano, quando asper Orion occidit in aquas hibernas: vel quàm densæ aristæ coquuntur Sole novo, aut *in* agris Hermi, aut *in*

Farfarus, in orientalem Tiberis ripam influens, nunc *Farsa*. XIII. *Nursia*, ultima Sabinarum urbium ad septentrionem, inter Apennini pruinas, quare *frigida* appellatur; nunc *Norcia*. XIV. *Hortanum*, vel *Horta*, urbs apud confluentes Naris ac Tiberis, in Etruria quidem, sed Sabinis contermina: nunc *Orta*. *Classes*, exercitum terrestrem interpretor, non navalem, ut diximus suprà, v. 631. XV. *Latini*, qui Sabinis contermini sunt ad meridiem, suprà, v. 54. XVI. *Allia*, fluvius in orientalem Tiberis ripam irrumpens, paulò infra Eretum: ubi Romani a Gallis Senonensibus graviter deinde cæsi sunt, nunc *rio de Mosso*.

718. *Libyco.... marmore*, etc.) Æn. 1, 162. *Orion*: astrum formidabile, non tantùm ortu, ut diximus, Æn. 1, 539; sed etiam occasu hiberno. De *Orione*, Æn. 3, 517.

720. *Quàm Sole novo*, etc.) Per *Solem novum*, non *ver*; sed æstatem primam intelligit, quâ maturescunt aristæ.

721. *Hermus.*) Lydiæ fluvius. regionis feracissimæ, Georg. 2, 137. *Lycia*, ferax

Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris; et quos de collibus altis
Aurunci misêre patres; Sidicinaque juxta
Æquora; quique Cales linquunt; amnisque vadosi

arvis flaventibus Lyciæ. Clypei resonant, et terra tremit commota pulsu pedum. Hinc Halesus Agamemnonius, hostis Trojanæ gentis, alligat equos currui, et adducit Turno mille bellicosos populos. Adsunt, qui findunt rastris Massicum fœcundum vino; et quos Aurunci patres miserunt e montibus excelsis; et *qui sunt* prope mare Sidicinum; et qui proficiscuntur Calibus; et accola Vulturni flumi-

item frumenti; meridialis Asiæ minoris regio, Æn. 4, 143.

723. *Agamemnonius*, etc.) Agamemnonis filius aliquis nothus; qui horrore paternæ cædis, de qua, Æn. 3, 54, in Italiam fugiens, dicitur ab Ovidio et Solino, Faliscorum urbem condidisse. Quibus tamen non assentitur Virgilius; qui longè alia in parte regnum ejus constituit, nempe circa Campaniam, quæ est ad orientem Latii, habetque ad orientem Picentinos et Hirpinos; ad septentrionem Samnium; ad meridiem mare.

726. *Massica qui*, etc.) Campaniæ gentes et loca præcipua. I. *Massicus mons*, ad mare, in confinio novi Latii, ad occidentem agri Falerni, tractus totus vino percelebris; nunc *monte de Dragone*. De *Baccho*, Ecl. 5, 69. De *rastris*, Georg. 1, 160. II. *Aurunci*, reliquiæ Opicorum sive Ausonum in Italia, qui inter Campaniam et Volscos consederunt, suprà, v. 54. III. *Sidicini*, pars eorumdem Opicorum alia, quæ in mediterraneis Auruncorum finibus consedit, circa Teanum urbem, et juxta Virgilium etiam ad litus aliquantum pertinuit. IV. *Cales*, plurali numero, oppidum supra Massicum montem Campaniæ: nunc *Calvi*. V. *Vulturnus*, etiamnum retinens nomen, fluvius Campaniæ, ipsam a Samnio magnâ parte disterminans, et ad meridiem agri Falerni in mare influens. VI. *Saticula*, vel *Satricula*, urbs ad orientem Vulturni et Capuæ, tunc *Caserta*. VII. *Osci*, nomen diminutum ab *Opicis*, gente Ausoniâ, et hujus regionis indigenâ.

Accola Vulturni : pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello :
Lævas cetra tegit : falcati cominus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Œbale, quem generâsse Telon Sebethide Nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas cùm regna teneret
Jam senior : patriis sed non et filius arvis
Contentus, latè jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, et quæ rigat æquora Sarnus ;

nis vadosi : et similiter durus Saticulus, et agmen Oscorum. Arma sunt illis aclides teretes, sed mos est eas alligare loro flexili : cetra protegit sinistras manus : curvi gladii *sunt illis ad pugnandum* cominus. Neque tu omitteris non memoratus versibus nostris, o Œbale, quem Telon dicitur genuisse *e* Nympha Sebethide, cùm jam senex obtineret Capreas regnum Teleboarum : at verò *filius* non contentus paternâ regione, jam tum latè occupat imperio gentes Sarrastes, et campos quos Sarnus perluit ; et

730. *Teretes aclides*, etc.) Arma Campanorum. I. *Aclides teretes* : id est : vel exigua missilia, quod censent aliqui, quia plures ab eodem gestantur apud Valerium : vel clavæ breves, eminentibus hinc inde acuminibus asperæ, loro sive flagello alligatæ, ut post impactum vulnus revocari possent. II. *Cetra*, scutum loreum, Afris Hispanisque familiare : vocem putat Maurorum Vossius. III. *Ensis*, in falcis modum curvatus : *harpen* appellat Ovidius tribuitque Perseo, ab ἅρπη, *falx*.

734. *Sebethide Nymphâ.*) Filiâ *Sebethi*, ad Neapolim fluvii, *rio da Magdalena*.

735. *Teleboûm Capreas*, etc.) *Capreæ*, plurali numero, insula est contra Surrentinum promontorium, deliciæ olim Tiberii Cæsaris, nunc *Capri* : quam tenuerunt Teleboæ, ex Acarnania, Epiri regione profecti.

738. *Sarrastes*, etc.) Parebant Œbalo populi circa Surrentinum promontorium ; nempe Campani orientales, Hirpini, et Picentini. I. *Sarnus* fluvius loca tractus illius alluit, nunc *Sarno* : fluens per Campaniam, ex Hirpinorum finibus, in illud sinûs Neapolitani latus, quod Surrentino promontorio terminatur. Hujus accolas vocat *Sarrastes*. II. *Rufæ*, vel *Rufræ*, vel *Rufrium*, nunc

Quique Rufas, Batulumque tenent, atque arva
Celennæ;
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere catejas,
Tegmina queis capitum raptus de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,
Ufens, insignem famâ et felicibus armis:
Horrida præcipuè cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:

qui habitant Rufas et Batulum, et agros Celennæ; et quos muri Abellæ fructiferæ despiciunt: solent vibrare catejas more Teutonico: quibus cortices detracti e subere *sunt* galeæ capitum, et *quibus* splendent æreæ peltæ, splendent gladii ærei. Te quoque, o Ufens, montosæ Nursæ miserunt ad bellum illustrem famâ et pugnis felicibus: *te*, *inquam*, cui præsertim *paret* Æquicola, natio aspera, et assueta frequenti venatione sylvarum, *in* dura terra: *hi*

Ruvo: urbs ad orientem remotior, in extremis Hirpinis Lucaniam versùs. III. *Batulum* et *Celennæ*: urbes ignoti sitûs. IV. *Abella*, nunc *Avella*: urbs ad septentrionem Sarni: in angulo Campaniæ Samnitibus et Hirpinis confini: excelso situ, quare *despectare* subjectos populos videtur: ferax nucum, quæ inde *avellanæ* dictæ sunt, quas non *mala* quidem, sed *poma* appellat Plinius, l. 15, 22.

741. *Teutonico*, etc.) Arma populorum illorum. I. *Cateja*, quæ ab Aventino tormenti genus fuisse dicitur, unde torquebantur saxa: melius ab Isidoro, telum, quod propter gravitatem non longè evolabat, sed vi maximâ perfringebat. Hæc Gallorum erat propria, *Teutonumque*: qui Germaniæ erant populi, circa Cimbricam Chersonesum, ubi nunc *Dania*. II. *Galea* e cortice suberis, qui levissimus et spississimus est, *cortiça*. III. *Pelta ærata*, quæ breve scutum fuit, in modum Lunæ mediæ, vel hederacei folii: eaque, vel tota ærea; vel ærea lamina protecta. IV. *Ensis æreus*.

744. *Et te montosæ*, etc.) *Æqui*, vel *Æquicoli*, seu *Æquiculi*, quam hic *Æquicolam gentem* appellat Virgilius, fuêre ad orientem superioris partis antiqui Latii: a fontibus Anienis, ferè ad usque Tibur: nunc pars est Campaniæ Romanæ: ibi urbs olim fuit *Nursæ*, jam ignoti sitûs. De *venatu*, pro *venatui*, Ecl. 5, 29.

Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus olivâ.
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, et Marsis quæsitæ in montibus herbæ.

armati colunt terram, et semper placet *eis* congerere novas prædas, ac vivere latrociniis. Præterea venit quoque Umbro generossimus, missu regis Archippi, sacerdos ex Marrubia natione, ornatus super cassidem foliis oleæ felicis: qui solebat cantu et tactu infundere soporem generî viperarum, et hydris noxiè halantibus; et mitigabat furorem *earum*, et sanabat arte morsus. Sed non potuit sanare vulnus Trojani teli: neque carmina soporifera, et gramina collecta in Marsis montibus, profuerunt ei con-

750. *Marrubia*, etc.) *Marsi:* ad orientem ac septentrionem Æquorum, inter continua Apennini juga: gens orta, vel juxta Plinium, Gellium, Solinum, e Circes filio; a quo vim adversùs venena et serpentes dicitur accepisse: vel e Sabinis, quod propter linguæ communionem Cluverio magis placet: vel juxta alios, a Marsya rege Lydorum. Loca Marsorum præcipua fuerunt. I. *Archippe*, urbs olim, quæ hiatu terræ hausta et in Fucinum lacum dissoluta est: quo ex nomine Virgilius Archippi regis nomen finxit. II. *Marrubium* vel *Marruvium*, regionis caput, in ejus meridianis finibus, infra lacum Fucinum, juxta fontes Liris fluvii: ea nunc *Morrea* dicitur. III. *Lucus* sive *nemus Angitiæ*, quæ fuit juxta Solinum soror Circes, venitque cum ea in Italiam, et vicina Fucino lacui occupavit. Lucus hic ad occidentem lacûs situs fuit: hodie oppidum *Luco*. IV. *Fucinus* lacus, ferè in media regione, propiùs tamen ad meridiem descendens: nunc *lago Fucino*; vel a vicino oppido, *lago de Celano*. De *hydris*, suprà, v. 447. De *Dardania*, Trojana, Æn. 1, 239.

Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius : insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.

tra plagas. Te sylva Angitiæ, te Fucinus aquis pellucidis, te puri lacus luxerunt. Veniebat quoque Virbius, soboles Hippolyti clarissima bello : quem mater Aricia misit illustrem, educatum *in* sylvis Egeriæ, juxta litus humidum, ubi *est* ara Dianæ pinguis et placida. Quippe *ex*

761. *Hippolyti proles*, etc.) *Hippolytus*, Thesei Athenarum regis filius, a noverca Phædra frustra interpellatus de stupro, ideoque ab eadem de vi in se parata falsò delatus ad patrem : cùm ad litus maris currum ageret, devotus a patre, equis subito marini monstri incursu efferatis raptatus ac discerptus est. Diana ejus cultu et castitate commota, per Æsculapium, Phœbi et Coronidis filium, revocavit eum in vitam, commendavitque ipsum Egeriæ Nymphæ Aricini nemoris : ubi inter minores Divos cultus fuit, appellatusque Virbius, quod inter *viros bis* fuerat. Fingitur a Virgilio filium habuisse sibi cognominem, qui Turni auxilio venerit.

762. *Mater Aricia*, etc.) Vel est *Aricia*, urbs antiqua Latii, tribus circiter leucis Laurento dissita ad septentrionem, nunc *a Liccia* : quæ *mater* dicitur, quomodo Italia, Georg. 2, 173 : *magna parens frugum, magna virûm*. Vel *Aricia* quædam Nympha, quam videtur fingere Virgilius amatam ab Hippolyto Virbio, matremque secundi hujus Virbii : quæ Ariciæ urbi nomen dederit; ut Virbius vicino Ariciæ colli, cujus Persius et Cornutus meminerunt.

763. *Egeriæ lucis*, etc.) Circa Ariciam, nemus ingens fuit dicatum Dianæ, vel Egeriæ, ubi nunc oppidum *Nemo :* item templum Dianæ Scythicæ vel Tauricæ; et lacus Dianæ Aricinæ, nunc *lago de Nemo*. Lacus multis impletur fontibus, quorum præcipuus fons *Egeriæ* dictus est. Hanc Nympham Numa Pompilius Romanorum rex secundus, sibi esse conjugem fingebat; ab eaque legum instituta se accipere. Eamdem fingit Ovidius, ex morte Numæ nimiùm dolentem, Dianæ miseratione in fontem illum conversam fuisse.

764. *Placabilis ara Dianæ.*) In Taurica Chersoneso colebatur Diana sanguine ex-

765 Namque ferunt famâ Hippolytum, postquàm arte novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætherea et superas cœli venisse sub auras,
Pœoniis revocatum herbis, et amore Dianæ.

fama narrant Hippolytum resuscitatum herbis medicinalibus et amore Dianæ, iterum venisse sub astra cœlestia, et sub aerem superiorem cœli : postquàm obiisset fraude novercæ, et solvisset sanguine pœnas patri, discerptus *ab*

terorum hominum, quotquot illuc appellebant. Diana Iphigeniam Agamemnonis filiam, e sacrificio subductam, et illuc ex Aulide translatam, sibi in sacerdotem consecraverat, Æn. 2, 116. Orestes Agamemnonis filius, ad ulciscendam necem patris, matrem Clytemnestram interfecerat, Æn. 3, 531. Ideò furiis agitatus, inter cetera piacula, jussus dicitur in Tauricam abire Chersonesum, indeque Dianæ simulacrum eripere. Eò igitur cum amico Pylade profectus, jussu regis Thoantis tantùm non immolatus est : sed agnitus a sorore clam cum ea Dianæ simulacrum abduxit : et, ut est magna fabularum varietas, Mycenas illud transtulit, juxta Hyginum; Athenas, juxta Euripidem; juxta Latinos plerosque Græcorum æmulos, Ariciam. Suspicatur Cluverius hanc religionem ab Italis per Pelasgos et Arcadas esse acceptam. Constat verò victimas humanas his omnibus locis esse mactatas ad memoriam Taurici sacrificii, non tantâ tamen apud Aricinos immanitate. Neque enim illic omnes exteri immolabantur : sed servus aliquis fugitivus, in illo nemore tamdiu sacerdotio fungebatur sub *regis nemorensis* nomine, donec ab alio fugitivo provocatus ad certamen, ab eo occideretur. Unde *placabilis* ara illa dicitur a Virgilio; et a Valerio Argonaut. 2, 304 : *soli non mitis Aricia regi*. Perstabat adhuc illa religio Caligulæ tempore : cujus in vita Suetonius, c. 35 : *Nemorensi regi quòd multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.*

769. *Pœoniis herbis*, etc.) Herbis medicis : *Pœon* enim, etsi certum medici nomen inducitur ab Homero, Iliad. 5, 899, et alibi; videtur tamen commune medicorum rerumque medicarum fuisse nomen, ab Apolline medicorum Deo deductum, qui *Pœan* ipse dictus est; qua de causa diximus, Æn. 6, 657.

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et Nymphæ Egeriæ nemorique relegat:
Solus ubi in sylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam Triviæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quòd litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.
Filius ardentes haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.

equis efferatis. Tunc pater omnipotens, ægre ferens illum hominem emergere ex infernis tenebris ad lucem vitæ, ipse demisit fulmine ad aquas infernas filium Apollinis, inventorem talis medicinæ, et artis. Sed alma Diana abscondit Hippolytum arcanis locis, et dimisit ad Egeriam Nympham et *ad* sylvam : ut illic solus in sylvis Italicis incognitus duceret vitam, et illic diceretur Virbius, mutato nomine. Unde etiam equi corneis ungulis expelluntur a templo et sylvis dicatis Dianæ : quia territi monstris marinis abjecerunt in litore currum et juvenem. Filius *ejus Virbii* nihilominus impellebat ardentes equos in planitie campi, et curru ibat ad bella. Ipse Turnus egregio cor-

773. *Phœbigenam*, etc.) *Æsculapium* Phœbo et Coronide genitum, Phlegiæ Lapitharum regis filiâ, Æn. 6, 818. Hic Æsculapius, cùm arte medendi insignis, non unum Hippolytum, sed alios complures ad vitam revocasset; fulmine adactus est ad inferos a Jove : Apollo Cyclopas, fabricatores fulminis, sagittis confixit : Jupiter Apollinem ob eam cædem cœlo expulit, coegitque mortali regi servire, Georg. 3, 2. De *Styge*, Æn. 6, 323. De *Trivia*, Diana, quæ colebatur in triviis, Æn. 5, 511.

781. *Haud secius*, etc.) Nihilominus, non segniùs : etsi pater Hippolytus ab equis laceratus fuisset, suprà, v. 761. De voce *secius*, Georg. 2, 277. De *Chimæra*, Æn. 6, 288. De *Ætneis ignibus*, qui pro quibuslibet hîc sumuntur, Æn. 3, 578. De *jubis equinis* in apice galeæ, Æn. 3, 468.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, et toto vertice supra est.
Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes :
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
(Argumentum ingens) et custos virginis Argus,
Cœlatâque amnem fundens pater Inachus urnâ.
Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densantur campis, Argivaque pubes

pore incedit inter primos, gestans arma, et supereminet toto capite. Huic cassis excelsa, cristata tribus jubis, sustinet Chimæram emittentem gutture flammas Ætnæas : tantò magis illa fremens et minax diris flammis, quantò magis sæviunt prælia fuso sanguine. At Io, *ex* auro, cornibus erectis, jam operta pilis, jam bos, ornabat politum clypeum *Turni* (argumentum illustre), et Argus custos puellæ, et Inachus *ejus* pater emittens fluvium *ex* urna cœlata. Nubes peditum sequitur *Turnum*, et agmina scutata congregantur totis campis, et juventus Græca, et

789. *Io*, etc.) Inachus Argivorum rex fluvio ibidem nomen dedit : unde pro *fluvio* ipse sumitur a poetis. Hujus fluvii filia *Io* cùm amaretur a Jove, ab eodem, ne a Junone agnosceretur, in juvencam est conversa. Juno juvencam a Jove petiit, acceptamque dedit custodiendam pastori, cui centum erant oculi, nomen Argus. Is a Mercurio sopitus fistulæ cantu, et obtruncatus est. Juno pastoris oculos pavoni imposuit suo, juvencam furore perculit : quæ in Ægyptum usque fugiens, ibi tandem a Jove pristinæ reddita est formæ : nupsitque Osiridi regi, et ab Ægyptiis sub Isidis nomine culta est. Hanc fabulam imposuit Turnus clypeo, qui originem ab Inacho ducere gloriabatur, suprà, v. 372.

794. *Argivaque pubes*, etc.) Populos enumerat, qui ducem Turnum sequebantur, non quòd omnes ei subditi, sed quòd ei milites mitterent suos. I. *Argivi* : haud dubiè ipsi *Ardeæ* incolæ, ex Danae Argiva orti, v. 382 : unde *Acrisionei* vocati sunt, v. 410. II. *Aurunci* : reliquiæ

Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant; Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque *jugum*: queis Juppiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco:
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas

turmæ Auruncæ, et Rutuli, et antiqui Sicani, et agmina Sacrana et Labicani picti *secundùm* clypeos: qui colunt tuas sylvas, o Tibri, et sacram ripam Numici; et scindunt vomere colles Rutulos, et montem Circæum: quibus agris imperat Jupiter Anxurus, et Feronia gaudens sylvâ virente: quâ porrigitur nigra palus Pomptina, et

Ausonum, inter Volscos et Campanos considentes, v. 54. Hos tamen aliis etiam locis sparsos fuisse videtur, Æn. 11, 316. III. *Rutuli*: populi Latinis consanguinitate quidem et connubiis ac vicinitate conjuncti; sed Turno tamen, non Latino subditi: quorum præcipua sedes, ab oriente, Antio Volscorum oppido maritimo; ab occidente, Numicio amne; a meridie, Lanuvio Latinorum urbe, continebatur. IV. *Sicani*: vel fuerunt certæ cujusdam urbis in Latio populi, si quidem eos Plinius, l. 3, 5, numerat inter quinquaginta tres Latii populos qui suo tempore sine vestigiis interierant. Vel reliquiæ Siculorum, quos omnino primos Italiæ incolas contendit fuisse Cluverius ex Dionysio: qui deinde ab Aboriginibus et Pelasgis e Græcia profectis pulsi, in *Sicaniam* insulam fugerunt, eamque suo ducisque sui nomine *Siciliam* appellaverunt: unde Siculi, quotquot erant in Italia superstites, ex sociorum suorum victoria, Sicani etiam sunt dicti. V. *Sacrani*: quorum originem Cluverius, ex Festo, Servio, ac Dionysio ita concinnat, ut velit partem fuisse Pelasgorum et Aboriginum, qui post pulsos a se Siculos vicissim a Sabinis ex meridie ingruentibus pulsi sint Reate oppido, ultra Anienem fluvium, et sedes circa locum, ubi nunc est Roma, quæsiverint: unde, quia Reate *sacra* Cybeles magno erant in honore, *Sacrani* appellati sint. VI. *Labici*, *Labicani* vel *Lavicani*: quorum urbs *Labicum*, nunc *Lagaruolo*, in septentrionali veteris Latii parte supra Tusculum. VII. *Accolæ Tiberis*, de quo, Æn. 8, 330. De *saltibus*, pro *sylvis*, Ecl. 6, 55. VIII. *Accola Numicii*, fluvii, de quo suprà,

Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes ære catervas,

qua frigidus Ufens pandit *sibi* viam per profundas valles, et mergitur in mare. Præter illos Camilla venit e natione Volsca, ducens turmam equitum et catervas fulgen-

v. 150. IX. *Circæi*, incolæ Circæi montis et promontorii, quo Latium vetus ad orientem terminatur : mons hodie *Circello*, Æn. 3, 386. X. *Anxur*, neutro masculinoque genere : ubi Jupiter ab urbe dictus *Anxur*, aut *Anxurus*, singulari cultu colebatur. Urbs postea a Græcis propter situs asperitatem, dicta est Τραχινη, *Trachine*, a τραχὺς, *asper* : indeque *Tarracina*, vel *Terracina*, nunc *Terracine*, ad orientem Circæi montis apud Volscos. XI. *Feroniæ* lucus, cum fonte ac templo, fuit inter Circæos et Terracinam. Quænam autem hæc fuerit Dea, ambigitur. XII. *Saturæ palus* : quæ et *Pometina*, inde et *Pomptina* et *Pontina* dicta est, maritimam ferè omnem Volscorum regionem prætexens, longitudine leucarum circiter duodecim : a loco quem vocabant olim *tres tabernas*; nunc *Cisterna*, ad usque *Terracinam* : quæ pars ejus extrema ad orientem, eadem latissima erat : duobus fluviis ibi restagnantibus, *Amaseno* nunc *Toppia*, et *Ufente* nunc *Aufente*, a quo palus ipsa etiamnum appellatur, *a lagôa Aufente*. Unde porro *Pomptina* dicta sit, patet; nempe ab urbe Volscorum *Suessa Pometia*, mediterraneâ illâ quidem, sed cujus ager ad mare pertinens abibat in has paludes. Unde autem *Saturæ* nomen acceperit, non ita liquet. Ego sic statuo : Virgilium voluisse utrumque Pomptinæ paludis terminum hic significare : ab oriente quidem *Ufentem* fluvium; ab occidente verò fluvium *Asturam*, ejusdem nunc nominis. Quippe huc *Asturam*, Strabo Στόραν, Festus *Sturam*, vetus codex apud Sigonium in librum octavum Livii, *Saturam* vocat.

803. *Volsca de gente Camilla.*) *Volsci*, gens bellicosa, Rutulos et Latinos, ab occidente, Auruncos et Campanos ab oriente, Hernicos et Æquos a septentrione attingens : incerti generis, sed linguæ a Latina diversæ ac sibi propriæ. E mediterraneis hujus regionis urbibus milites advexisse puto Camillam, cùm maritimæ ferè Turnum sequerentur. Hujus Camillæ casus et origo narrantur, Æn. 11, 535.

804. *Florentes ære catervas.*) *Ornatas, fulgentes* : metaphora, de qua, Georg. 2, 6. De *calathis*, canistris, ubi fila et lanæ et alia reponuntur, Ecl. 2, 46. *Mi-*

Bellatrix : non illa colo calathisve Minervæ
Fœmineas assueta manus ; sed prælia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina ; nec teneras cursu læsisset aristas :
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter ; celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis ; ut regius ostro
Velet honos leves humeros ; ut fibula crinem
Auro internectat ; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixâ cuspide myrtum.

tes æreis ***armis,*** bellicosa ***puella;*** non illa ***quidem*** puella assueta ***secundùm*** fœmineas manus colo et calathis Minervæ ; sed ***assueta*** tolerare difficiles pugnas, et præcurrere ventos cursu pedum. Illa vel volasset per summas herbas segetis non tangendo, nec fregisset currendo teneros calamos : vel habuisset iter per medium mare sustentata undis tumidis, nec madefecisset aquis teneros pedes. Omnis juventus egressa domibus et agris, et turba matrum admiratur illam et aspicit incedentem, attendens stupentibus animis ; quomodo regalis ornatus tegat purpurâ nitidos humeros ; quomodo fibula colligat crinem auro ; quomodo ipsa ferat Lyciam pharetram, et myrtum pastoralem armatam cuspide.

nervæ tribuuntur, quia lanificii textiliumque operum habetur præses, *Æn.* 5, 284.

814. ***Ostro velut honos***, etc.) ***Purpura*** ex ostrei sive muricis sanguine expressa, Georg. 2, 506. ***Lyciam pharetram*** tribuit, pro ***qualibet insigni pharetra*** : quia sagittandi arte Lycii nobiles. De illa Asiæ minoris meridiana regione, *Æn.* 4, 143. ***Myrtum***, hastilibus ob ligni firmitatem aptam arborem fuisse, jam notavit Virgilius, Georg. 2, 447. ***Pastoralem*** appellat, quia vita sylvestri ac pastorali instituta a Metabo fuerat Camilla, ut videbitur, *Æn.* 11, 569.

ÆNEIDOS

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Turnus Venulum ad Diomedem mittit, ut eum ad belli societatem alliciat. Æneas, Tiberini fluvii monitu, iter eodem consilio suscipit ad Evandrum, qui ex Arcadia profugus in Palatino monte consederat. Evander, sacris Herculis tum intentus, Æneam iisdem adhibet : eorum originem edocet, victoriam scilicet Herculi de Caco, regionis illius insigni olim prædone. Tum Æneam quadringentorum equitum subsidio juvat : iisdem Pallantem filium præficit : Æneam ad Tyrrhenos, expulso Mezentio regem poscentes, cum certa regni auxiliique spe dimittit. Æneas postridie, parte alterâ copiarum secundo flumine ad suos remissâ, cum altera Tyrrhenos adit. Interim Venus arma Æneæ suo defert a Vulcano fabricata ; clypeum imprimis, in quo Æneas res præclare olim gerendas a Romanis posteris mirâ arte cœlatas admiratur. Præcipuus eo in opere locus est Augusto, cujus egregiam de Antonio et Cleopatra Ægypti regina victoriam triplicemque triumphum diligentiùs poeta describit.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acres concussit equos, utque impulit arma;
Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera. Ductores primi, Messapus et Ufens,
Contemptorque Deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem;

Postquàm Turnus sustulit ex arce Laurenti vexillum belli, et tubæ sonuerunt rauco strepitu; et postquàm excitavit generosos equos, et postquàm commovit arma; statim animi turbati *fuerunt*: simul totum Latium conspirat *ut in* tumultu subito, et juventus ferox furit. Præcipui duces Messapus et Ufens, et Mezentius contemptor Deorum, colligunt undecumque subsidia, et spoliant agricolis arva spatiosa. Venulus mittitur etiam ad urbem magni Diomedis; ut poscat opem, et doceat *Diomedem urbe*, quam Turnus, adnitente Amatâ, habenis rerum a Latino relictis, belli sedem fecerat, Æn. 7, 63. De cornibus, tubis, Æn. 7, 637.

1. *Belli signum.*) Virgilius loquitur hic ex more Romanorum, apud quos triplex erat militiæ genus. *Sacramentum*, cùm milites jurabant se, non nisi confectis militiæ temporibus, sive stipendiis, ex reipublicæ exercitu discessuros. *Conjuratio*, cùm in subito tumultu dux, cui singulos sacramento adigere non vacabat, e Capitolio duplex attollebat vexillum; roseum unum, quò pedites; cæruleum, quò equites conveniebant; simulque jurabant omnes. *Evocatio*, cùm diversi diversas in partes ad cogendos exercitus mittebantur. Ita ferè Servius. *Vexillum* autem Romanis fuit *velum* minus, quadratum, ex hasta suspensum. De *Laurenti*

3. *Concussit equos*, etc.) Excitavit equos sonitu cornuum: milites impulsu armorum, id est, allisis ad clypeos hastis: cujus moris innumera sunt apud auctores vestigia. De *Latio*, Æn. 7, 54. De *Messapo*, ibid. 691. De *Ufente*, ibid. 744. De *Mezentio*, ibid. 647.

9. *Diomedis ad urbem*, etc.) *Argos*, vel *Argyrippam* urbem in Apulia Daunia, conditam a Diomede. De *ea*, deque *Diomede*, Æn. 11, 243. De *Teucris*, Æn. 1, 139. De *Penatibus* Æneæ, Trojâ advectis, Æn. 2, 717.

Qui petat auxilium, et Latio consistere Teucros,
Advectum Æneam classi, victosque Penates
Inferre, et fatis regem se dicere posci,
Edoceat; multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, et latè Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis; quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat; manifestiùs ipsi,
Quàm Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
Atque animum nunc hùc celerem, nunc dividit illùc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis,
Sole repercussum aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat latè loca; jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cùm pater in ripa gelidique sub ætheris axe

dem, Trojanos stare *in* Latio, Æneam navibus appulsum *esse*, et inducere Deos *suos* victos *a Græcis*, et dicere se vocari fatis *in* regnum, et plurimas nationes sociare se *huic* homini Trojano, et *ejus* nomen latè spargi *in* Latio; et *addat*, cognosci *ab* ipso *Diomede* clariùs, quàm a rege Turno, aut a rege Latino, quid *Æneas* machinetur his consiliis, quem optet exitum certaminis, si fortuna *ipsi* faveat. Talia *fiunt* per Latium: quæ omnia cernens Trojanus heros, agitatur magnis fluctibus curarum; et modò huc, modò illuc distrahit mentem vagam, et differt in partes diversas, et volvit per omnia. Veluti quando lux tremula, *emissa* a Sole aut specie rutilantis Lunæ, resiliens e vasis æreis, pervagatur latè cuncta loca; et jam *extollitur* in aerem, et perstringit laquearia *supremi tecti*. Nox erat, et profundus somnus tenebat animalia lassa, et genus volucrum ac pe-

18. *Laomedontius heros.*) Æneas, ex eadem, quâ Laomedon, rex Trojanus, familia, Georg. 3, 35. De *laquearibus*, interstitiis trabium, Æn. 1, 730.

28. *Ætheris axe.*) Sub aperto aere, Æn. 2, 512.

Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic Deus ipse loci, fluvio Tiberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus: eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
O sate gente Deûm, Trojanum ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis:
Hîc tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates:
Neu belli terrere minis, tumor omnis et iræ
Concessêre Deûm.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hîc locus urbis erit, requies ea certa laborum:

corum, per omnes terras: quando pater Æneas, sollicitus animo *ob* difficile bellum, decubuit in ripa et sub axe frigidi aeris, et permisit corpori tardam quietem. Ipse Tiberinus senex, Deus regionis, flumine amœno, visus *est* erigere se inter populeas arbores: linum subtile tegebat eum viridi veste, et opaca arundo inumbrabat capillos. Tunc *cœpit* alloqui *Æneam*, et auferre sollicitudinem his verbis: O nate *ex* familia Deorum, qui reducis ad nos urbem Trojanam ex hostibus, et tueris Pergama perpetua, exspectate in terra Laurente et campis Latinis: hîc sedes certa est tibi, certi Penates, ne cesses *ab incepto*: neve terrearis comminatione belli: omnis indignatio et iræ Deorum cessaverunt. Et ne existimes somnum suggerere *tibi* hæc inania; mox magna sus, *a te* inventa sub ilicibus litoreis, *quæ* peperit fœtus triginta porcellorum, jacebit humi strata, alba *ipsa*, *et* porcelli albi circa mammas. Hic erit locus urbis, hæc certa quies a

De *Tiberino*, infrà v. 330. De *carbaso*, lini specie, Æn. 4, 417. De *Pergamis*, arce Trojæ, Æn. 1, 470. De *Laurente* agro, Æn. 7, 63. De *Penatibus*, Æn. 2, 717. 37. *Revehis nobis.*) Gens enim Trojana per Dardanum ex Italia olim profecta erat, Æn. 3, 167.

Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc, quâ ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegêre locum, et posuêre in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine, Pallanteum.
Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina :

laboribus, ex quo *præsagio*, annis triginta recurrentibus, Ascanius fundabit Albam urbem nobili nomine. Non prædico *tibi* dubia. Jam attende, dicam *tibi* paucis *verbis* quomodo conficias quod imminet, *ad obtinendam* victoriam. Arcades, gens orta a Pallante, qui secuti *sunt* socii Evandrum regem et vexilla *ejus*, elegerunt sedem *in* his regionibus, et fundaverunt in montibus urbem Pallanteum è nomine Pallantis proavi *Evandri*. Hi semper bellum gerunt

48. *Albam*, etc.) Cognomento *longam*, ob situm, inter lacum et montem inde Albanum appellatum, Româ dissitam quindecim circiter millibus ad orientem. Hæc ab Ascanio condita : postquàm annos triginta Lavinii regnatum esset, ex augurio repertæ albæ suis, cum triginta porcellis, ut habent Romani scriptores. At anni illi triginta de quibus Tiberinus loquitur, non ab hoc ipso Æneæ adventu numerandi sunt, sed ab urbe Lavinio condita; aut potiùs ab ipsa Æneæ morte; qui tres annos regnavit, ut dictum est, Æn. 1, 270.

51. *Arcades*, etc.) *Arcadia*, regio est Peloponnesi media, Ecl. 4, 58. Hinc prolectus est Evander : vel ob occisum ex errore patrem, ut narrat Servius, vel ad educendam coloniam, ut vult Pausanias in Arcadicis, conseditque juxta Tiberim in monte et oppidulo quod vocavit *Palantium*, *Pallanteum*, *Palatium* : vel ab urbe Arcadiæ Pallantio, unde profecti fuerant, juxta Pausaniam, Dionysium, et Livium : vel a Pallante Arcadiæ rege, proavo suo, juxta Virgilium. Matrem habuit, juxta Solinum, *Nicostratam*, quæ ob fatidica carmina *Carmentis* a Latinis dicta est : patrem, juxta plerosque, Mercurium. Condita deinde Roma est in eo monte, qui *Palatinus* dictus est, nunc *Palacio maior* seu *Palatino*.

Hos castris adhibe socios, et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam;
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge, age, nate Deâ; primisque cadentibus astris
Junoni fer ritè preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis: mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Cœruleus Tibris, cœlo gratissimus amnis.
Hîc mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens: mox Æneam somnusque reliquit.
Surgit et ætherii spectans orientia Solis
Lumina, ritè cavis undam de flumine palmis

cum populo Latino: hos adjunge socios exercitui *tuo*, et alliga *tibi* per fœdus. Ego ipse ducam te *per* ripas *meas* et rectum fluvium, ut sublevatus vincas *facilè* remis fluvium adversùs *te fluentem*. Age, surge, fili Veneris; et primis stellis occidentibus, offer religiosè preces Junoni, et placa submissis votis iram et minas *ejus;* exhibebis honorem mihi, *quando eris* victor. Ego sum *ille*, quem vides lambentem ripas tumidis aquis, et dividentem agros fertiles, Tibris cœruleus, fluvius acceptissimus Diis. Hîc mihi *est* ampla domus, fons erumpit apud altas urbes. *Sic* locutus *est* fluvius; deinde mersit se profundis aquis, descendens *ad* intima: nox et somnus deseruit Æneam. Surgit, et aspiciens surgentem lucem cœlestis Solis, hausit religiosè cavis

57. *Recto flumine.*) Absque errore, expedito itinere.

59. *Cadentibus astris.*) Decedentibus, sub primam diei lucem, Æn. 4, 81.

63. *Pinguia culta.*) Loca culta et pinguia, Georg. 1, 153.

65. *Magna domus.*) Præter allatam interpretationem, affertur hæc alia, sed durior. *Hîc mihi magna domus exit:* assurgit paulatim, lapsu temporis: id est, fundabitur, erigetur. Et Romam innuit, quæ his in regionibus ædificanda erat, caput reliquarum urbium futura. De *fonte Tibris*, infrà, v. 530.

69. *Undam de flumine.*) Ad lavandas purgandasque manus ante preces: qui mos multis exemplis ab interpretibus firmatur. Æn. 2, 719.

Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces :
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est :
Tuque o Tibri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Ænean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis o tantùm, et propiùs tua numina firmes.
Sic memorat; geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat : socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum :
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus,

manibus aquam de fluvio, et emisit ad cœlum talia verba : Nymphæ, Nymphæ Laurentes, a quibus est origo fluviorum; et tu, o Tibri pater, cum tuo sacro fluvio, admittite Æneam, et denique protegite *a* periculis. Quocumque fonte *tua* aqua detinet te, miserescentem calamitatum nostrarum; quacumque regione erumpis formosissimus : semper decoraberis cultu meo, semper muneribus meis, o *tu qui es* amnis cornutus, rex aquarum Italicarum. Succurre tantummodo, et præsenti *auxilio* confirma vim tuorum *promissorum*. Sic loquitur; et eligit duas naves e classe, et accommodat *ad* remigandum : simul accingit socios armis. Ecce autem prodigium repentinum et admirandum visu; sus alba, ejusdem coloris ac fœtus albus, jacuit

71. *Genus amnibus*, etc.) Nymphæ, aquarum et fontium quorumlibet præsides : quorum ex colluvie fiunt augenturque fluvii. De *Laurentis regione*, Æn. 7, 63.

77. *Corniger Hesperidum*, etc.) *Rex* Italicarum aquarum, non magnitudine suâ, qui honos Eridano tribui debet; et verò tribuitur, Georg. 1, 482; sed ob futuram magnitudinem reginæ urbis Romæ, quam præterfluet. Deinde potest Æneas hunc ei honorem habere, cùm nondum Eridanum, aut majorem ullum in Italia fluvium vide-

Quam pius Æneas, tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Tibris eâ fluvium, quàm longa est, nocte tumentem
Leniit; et tacitâ refluens ita substitit undâ,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longè
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque secant placido æquore sylvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cùm muros, arcemque procul, et rara domorum

per sylvam, et cernitur in viridi litore, quam adeò pius Æneas tibi immolat, tibi o maxima Juno, offerens *tibi* sacrificia, et constituit ante altaria cum turba *porcellorum*. Tibris *per* eam noctem, quàm longa fuit, sedavit flumen *suum* inflatum: et retrò fluens stetit fluctibus sic tranquillis; ut æquaret planitiem aquarum in modum mollis stagni et quietæ paludis, *ita* ut labor abesset in remigando. Igitur rumore prospero deproperant iter susceptum. Abies oblita *pice* decurrit fluctibus; et aquæ mirantur, sylva inassueta *his spectaculis* miratur clypeos hominum procul splendentes, et pictas naves vehi flumine. Illi remigando traducunt noctem et diem, et præter vehuntur longos circuitus et inumbrantur diversis arboribus, et trajiciunt virides sylvas tranquillo flumine. Sol ardens pervenerat *ad* medium spatium cœli, cùm longe aspiciunt muros, et arcem, et pauca

rit. De *cornibus fluviorum*, Georg. 4, 371. De *Hesperia*, Italia, Æn. 1, 534. De *biremibus*, Æn. 5, 119.

99. *Rumore secundo.*) Sparso inter milites, de successu itineris bene ominantes. De *Abiete*, *abeto*, arbore quæ hìc pro *nave* sumitur, Georg. 2, 68.

Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit : tum res inopes Evandrus habebat.
Ociùs advertunt proras, urbique propinquant.
Fortè die solemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno Divisque ferebat,
Ante urbem, in luco. Pallas huic filius unà,
Unà omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Thura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas vidêre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis :
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis : audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse,
Et procul e tumulo : Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?

culmina domorum, quæ Romana magnitudo nunc extulit *ad* cœlum : tunc Evander possidebat rem angustam. Statim appellunt *illuc* naves, et accedunt *ad* urbem. Fortè illo die rex Arcadius *Evander* offerebat solemne sacrificium magno filio Amphitryonis et Diis, ante urbem, in sylva. Simul Pallas filius *Evandri*, simul præcipui omnes juvenum, et senatus inops, offerebant thura huic *Deo*, et sanguis calidus fumabat ante altaria. Quando conspexerunt altas naves, et *viros* appelli inter umbrosam sylvam, et incurvari in remos tranquillos, terrentur aspectu inopino, et omnes surgunt relictis mensis : quos audax Pallas prohibet abrumpere cæremonias, et ipse correptâ hastâ currit obviam, et eminus exclamat e tumulo : O juvenes, quæ causa impulit vos explorare iter incognitum? quò itis? qui *estis secundùm* genus? unde *estis secundùm* patriam?

103. *Amphitryoniadæ.*) Herculi, infrà, v. 288.

105. *Senatus.*) Concilium senum : quod deinde a Romulo et Romanis vocatum est *senatus*.

110. *Mensis.*) Ubi vescebantur sacris carnibus ; et pars hæc erat sacrificii. De *sacrificiis non interrumpendis*, Æn. 3, 405. De *olivæ ramo tæniis ornato, ad pacem petendam*, Æn. 7, 237. De *Dardaniis* ducibus, Æn. 1, 239. De *Penatibus*, pro *domo*, Æn. 2, 717.

Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egêre superbo.
Evandrum petimus: ferte hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere, o quicumque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede Penatibus, hospes.
Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui Danaûm quòd ductor et Arcas,

an pacem huc portatis, an bellum? Tunc pater Æneas sic loquitur e summa puppe, et præfert manu ramum oleæ pacificæ: Cernis Trojanos et arma infensa Latinis, quos profugos Latini expulerunt bello feroci. Adimus Evandrum: referte *illi* ista, et dicite venisse electos principes Trojæ, implorantes societatem armorum. Pallas obstupuit attonitus tanto nomine: Exi, *ait*, o *tu* quisquis es, et affare præsens parentem meum, et ingredere domos nostras *ut* hospes. Simul accepit *eum* manu, et perstitit amplectens dexteram. Progredientes intrant sylvam, et recedunt *a* fluvio. Tunc Æneas alloquitur regem amico sermone: Optime Græcorum, cui fortuna voluit me supplicare, et proferre ramos ornatos tæniis: equidem non metui, quòd esses *dux* Græcorum, et Arcas, et quòd ab

129. *Danaûm, quod*, etc.) De *Danais*, Græcis, Æn. 1, 34. De *Arcadia*, Ecl. 4, 58. De *Atrídis*, Atrei filiis: Agamemnone, Æn. 3, 54: et Menelao, Æn. 2, 264. His quomodo conjunctus esset Evander, variè exponit Servius: multi repetunt ex Atlante, cujus septem filiæ fuerunt: quarum ex una et Jove Tantalus Atrei avus prognatus est; ex alia, nempe Maia, Mercurius pater Evandri.

Quòdque a stirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et sancta oracula Divûm,
Cognatique patres, tua terris dedita fama,
Conjunxêre tibi, et fatis egêre volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis et auctor,
Electrâ, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, æthereos humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem

origine cognatus duobus Atrei filiis; sed pietas mea, et sacra monita Deorum, et majores *nostri* consanguinei, et fama tua sparsa per *terras*, sociaverunt me tibi, et *auctoritate* fatorum impulerunt me *jam* volentem. Dardanus, primus parens et fundator urbis Trojanæ, natus, quemadmodum Græci testantur, Electrâ *filiâ* Atlantis, appulsus *est ad* Teucros: maximus Atlas, qui portat humeris orbes cœlestes, genuit Electram. Mercurius parens est vester, quem candida Maia peperit conceptum *in* frigido cacumine Cyllenes. At, si aliquam damus *fidem iis quæ* audivimus, Atlas, idem Atlas qui portat astra cœli, genuit Maiam. Ita gens utriusque dividit se ab eodem sanguine. Confisus his *rebus*, non adhibui cum calliditate legationes

131. *Mea me virtus*, etc.) Conscientia virtutis meæ, quâ nihil mihi videbar commisisse, quod odio tuo dignum esset.

134. *Dardanus*, etc.) De *Dardani origine*, Æn. 3, 167. De *Atlante*, Æn. 4 247. De *Electra*, et *Maia*, et *Pleiadibus* sororibus, Georg. 1, 138. De *Mercurio*, et *Cyllene* monte Arcadiæ, Æn. 1, 301.

138. *Vobis Mercurius pater est.*) Vel *vobis Arcadibus*: quia natus ille in Arcadia. Vel *vobis Evandro et Pallanti*: diximus enim v. 51, Mercurium habitum esse patrem Evandri.

Tentamenta tuî pepigi : meme ipse meumque
Objeci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur, nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant ;
Et mare quod supra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem : sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata juventus.
Dixerat Æneas : ille os oculosque loquentis
Jamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert : Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio agnoscoque libens ! ut verba parentis
Et vocem Anchisæ magni vultumque recordor !
Nam memini Hesiones visentem regna sororis

et prima experimenta tuæ *voluntatis* : ego meme texposui, et accessi supplex ad domum *tuam*. Eadem natio Rutula, quæ te *persequitur* bello inhumano, nos etiam persequitur : si nos ejiciat, nihil putat defuturum, quominus subjiciat sub ditionem suam omnem omnino Italiam ; et occupet mare quod allambit *eam* supra, et quod infra. Accipe et præbe fidem : sunt nobis corpora robusta *ad* bellum, sunt animi, et juvenes insignes rebus *gestis*. Æneas *sic* dixerat : Evander jamdiu circumspiciebat oculis vultum et oculos et omne corpus dicentis. Tunc ita respondet pauca : O generosissime Trojanorum, quàm libenter agnosco te et excipio ! quàm *bene* reminiscor sermonem et vocem et speciem magni patris *tui* Anchisæ ! nam memini Priamum, filium Laomedontis, invisentem regnum sororis *suæ* Hesiones, et

146. *Daunia.*) *Rutula*, a Dauno rege, patre Turni, Æn. 7, 794. De *Hesperia*, Æn. 1, 534.

149. *Et mare, quod*, etc.) *Superum*, sive Hadriaticum : ad septentrionem Italiæ ; *inferum*, sive Tyrrhenum, ad meridiem.

157. *Hesiones*, etc.) *Hesione*, Laomedontis filia, uxor Telamonis *Salaminis* insulæ regis, inter Peloponnesum et Atticam, Æn. 3, 476. De *Arcadia*, Ecl. 4, 58.

Visentem regna sororis Priamum.) Alii non visentem animi causâ ; sed captivum illuc abductum a Telamone sororis marito aiunt : ut jam dictum, Æn. 3, 476.

Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram.
Accessi, et cupidus Phenei sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frænaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo et quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra:
Et lux cùm primùm terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes

euntem Salamina, continuo *itinere* perlustrâsse frigidam regionem Arcadiæ. Tunc prima juventus tegebat mihi malas lanugine; et admirabar principes Trojanos, et admirabar ipsum Laomedontis filium: sed Anchises incedebat sublimior omnibus. Animus fervebat mihi juvenili desiderio alloquendi hominem, et sociandi dexteram dextræ. Adivi *eum*, et cupidus deduxi eum ad urbem Pheneum. Ille abiens donavit mihi illustrem pharetram, et sagittas Lycias, et chlamydem intextam auro, et fræna duo aurea, quæ meus *filius* Pallas modò habet. Itaque hæc etiam dextra, quam rogatis, jam *a* me sociata est fœdere *vobiscum*; et quando primùm dies crastina se referet terris, remittam vos refectos subsidio, et adjuvabo viribus *meis*. Interim, quandoquidem accessistis huc *ut* amici, perficite benevoli nobiscum hæc annua sacrificia, quæ non licet

De *Laomedonte* Priami patre, Georg. 1, 502.

165. *Phenei.*) *Pheneum* vel *Pheneus*, Arcadiæ urbs et lacus, apud Cyllenen montem. De *Lycia* regione, cujus commendabantur sagittæ et pharetræ, Æn. 4, 143.

Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis.
Hæc ubi dicta : dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili :
Præcipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
Postquàm exempta fames, et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait : Non hæc solemnia nobis,

differre, et jam inde assuescite epulis sociorum. Postquàm hæc dicta *fuerunt* : imperat cibos et pocula seducta referri, et ipse constituit homines in herbida sede : et admittit principem Æneam in torum et pellem setosi leonis, et inducit in solium *ex* acere. Tunc juvenes electi et sacerdos aræ certatim portant viscera tosta taurorum ; et accumulant in calathis munera confecti panis, et proferunt vinum. Æneas, et simul Trojana juventus, comedit dorsum longi bovis et viscera piacularia. Postquàm fames ablata fuit, et cupido comedendi satiata, rex Evander

De *chlamyde*, *casaco*, Æn. 3, 484.

175. *Sublata.... pocula.*) Metu navium adventantium. De *toris*, herbeis sedilibus, Æn. 3, 224. *Acerno*, ex acere arbore, *bordo*. De more *sedendi* ad mensas, Æn. 1, 702. De *assis* et *elixis* carnibus, Æn. 1, 215. De *Cerere*, pro *pane*, Æn. 1, 181. De *Baccho*, pro *vino*, Ecl. 5, 69.

183. *Perpetui tergo bovis*, etc.) Boves constat integros ad ignem et epulas apponi solitos apud veteres : et apud Homerum aliosque apponi præcipuè viris principibus *dorsum*, illudque διηνέκες *longum*, *continuum*, *porrectum*, quod hìc *perpetuum* dicitur. *Exta lustralia* : quæ religiosè comesa, *lustrare*, id est, purgare putabantur, Æn. 3, 279. De *extis*, Æn. 4, 64.

185. *Evandrus.*) Græca forma, Εὔανδρος, Latina, *Evander*.

Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio veterumve ignara Deorum
Imposuit: sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primùm saxis suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxêre ruinam.
Hîc spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis, semperque recenti
Cæde tepebat humus: foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes magnâ se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque Dei: nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus,
Alcides aderat; taurosque hàc victor agebat

dixit: Non superstitio falsa, et inscia Deorum antiquorum, indixit nobis has cæremonias, has epulas ex consuetudine, hæc altaria tanti Dei: exequimur istud, o hospes Trojane, erepti *e* gravibus periculis; et renovamus meritum cultum. Considera nunc primò hanc rupem sustentatam saxis: quemadmodum moles longè disruptæ, et domus *in* monte stat vacua, et saxa accumulaverunt magnam ruinam. Hîc fuit caverna subducta *in* longam profunditatem, quam dira species Caci semihominis occupabat inviam luci Solis: et terra semper *illic* calida *erat* stragibus novis: et capita hominum fixa ad crudeles portas pendebant liventia tristi sanie. Vulcanus erat parens hujus monstri: *monstrum* eructans ore nigros ignes Vulcani, efferebat se vastâ mole. Tandem tempus attulit nobis cupientibus opem et præsentiam Dei. Nam venit Hercules, illustris vindex, insignis morte et spoliis Geryonis

187. *Veterum ignara Deorum.*) Non colimus Herculem, recentiorem Deum, contemptu antiquiorum et majorum Deorum, quales Jupiter, Apollo, etc.

194. *Semihominis Caci*, etc.) Mediâ parte fera, me-

Ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intentatum scelerisve dolive fuisset,
Quattuor a stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem formâ superante juvencas;
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Caudâ in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea cùm jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic verò Alcidæ furiis exarserat atro

tricorporis; et victor pellebat *per* hanc *regionem* tauros magnos; et boves implebant vallem et fluvium. Sed animus latronis Caci concitatus, ne superesset quicquam criminis aut fraudis, quod non auderet aut tentaret, abducit a stabulis quatuor tauros eximio corpore, totidem vaccas pulchriore specie. Et ne aliqua vestigia restarent *ex* ungulis rectis, hos abductos caudâ in cavernam, et raptos aversis signis viæ, abscondebat vastâ rupe. Nulla signa ducebant ad cavernam *eum qui* quæsivisset. Interim cùm Hercules educeret *e* stabulis armenta jam saturata, et præpararet discessum, boves *in* egressu *cœperunt* boare, et tota sylva *cœpit* repleri questibus, et colles *cœperunt* deseri *cum* clamore. Una vaccarum remisit clamorem, et sub caverna spatiosa reboavit, et inclusa frustravit spem

diâ homo fuisse dicitur: nihil tamen ei affingit Virgilius ex fera, præter villosum pectus, infrà, v. 266. Huic Propertius tribuit tria capita, l. 4, 9. Livius pastorem ait fuisse, ferocem viribus. Nomen a κακὸς, *malus*. De *Geryone tergemino*, ejusque bobus ab Hercule direptis, Æn. 7, 662. De *Alcide*, nomine Herculis, infrà, v. 288.

Facies Caci tenebat: id est, *Cacus tenebat*. Sic Æn. 3, 591. *Ignoti nova forma viri.... manus ad litora tendit*, id est, *vir ignotus manus tendit*.

219. *Atro felle dolor.*) *Fellis* pro *bile*; in qua vi-

Felle dolor : rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur, et aerii cursu petit ardua montis.
Tum primùm nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit : pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis
Dejecit saxum, ferro quod et arte paternâ
Pendebat, fultosque emuniit obice postes :
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans, huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus irâ
Lustrat Aventini montem ; ter saxea tentat
Limina nequicquam ; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,

Caci. Tunc autem Herculi dolor inflammatus *est in* iras nigrâ bile : sumit manu arma, et truncum gravem nodis, et currendo contendit *ad* alta *spatia* montis. Tunc primò nostri *homines* aspexerunt Cacum metuentem et visu turbatum. Statim fugit celerior Euro, et currit *ad* cavernam : metus adjunxerat pennas pedibus. Postquàm clausit se ; et fractis vinculis demisit saxum ingens, quod pendebat ferro et arte patris *Vulcani*, et munivit portam defensam *hoc* obstaculo : ecce Hercules adest furiosus animo, et considerans omnem aditum, immittit oculos huc et illuc, stridens dentibus. Ter ardens furore circuit totum montem Aventinum ; ter invadit frustra saxeas portas ; ter sedit lassus *in* valle. Erat rupes acuta, saxis undequaque accisis, erecta e dorso cavernæ, visu excelsissima, latebra accom-

detur poeta iracundiam ponere.

220. *Arma. . . . nodisque gravatum robur.*) Vel eamdem rem dixit, *clavam quæ ipsius erant arma :* vel *alia arma præter clavam*, nempe sagittas ; quia v. 249, *desuper Alcides telis premit.* De *robore*, gravi ligno, Georg. 1, 162. De *Euro*, vento orientali, Georg. 1, 371.

226. *Arte paternâ.*) Cyclopes enim, ministri Vulcani, artem reperisse dicuntur muniendarum urbium, Æn. 6, 630. *Tirynthius*, nomen Herculis, Æn. 2, 662. *Aventinus* mons, Æn. 7, 657. Dixitque *montem Aventini*, quâ formâ *urbem Patavi*, Æn. 1, 251.

Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus : inde repentè
Impulit, impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ refluitque exterritus amnis.
At specus, et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbrosæ penitus patuêre cavernæ :
Non secùs ac si quâ penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, Dîs invisa; superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperatâ deprensum in luce repentè,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma

moda nidis avium funestarum. Cùm *illa* jugo curva penderet in fluvium *sibi* sinistrum, *Hercules* commovit illam, et abrupit erutam intimis radicibus, connixus *ab* dextra *parte* in *partem* oppositam : deinde statim propulit, quo pulsu magnum cœlum sonuit, ripæ dissiluerunt, et fluvius territus retrogressus est. At spelunca et magna aula Caci apparuit detecta, et antra tenebrosa intimè aperta sunt : non aliter quàm si terra per vim intimè distracta aperiat domos infernas, aperiat regna pallida, inaspecta *a* Diis; et *si* immanis vorago desuper aspiciatur, et umbræ tremant luce infusâ. Itaque Hercules desuper urget jaculis *Cacum* subitò interceptum in lumine inopino, et clausum *in* rupe cava, et vociferantem insueto *modo;* et adhibet cuncta arma, et opprimit ramis et magnis lapidibus. Ille

235. *Dirarum volucrum.*) Bubonum, corvorum, etc.

236. *Lævum.*) *Aventinus*, nunc *monte de S. Sabina*, Tiberim habet ad occidentem, quam Virgilius sinistram montis partem appellat. Hercules igitur stabat ad orientem illius rupis, quæ erat in monte : si quidem *dexter in adversum*. De *sinistra* et *dextra*, Ecl. 9, 15. De *Barathro*, Æn. 3, 421. De *Manibus*, Georg. 4, 469. Æn. 6, 743. De verbo *rudere*, Georg. 3, 374.

Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli est)
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu!
Evomit: involvitque domum caligine cæcâ,
Prospectum eripiens oculis: glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis; seque ipse per ignem
Præcipiti jecit saltu, quà plurimus undam
Fumus agit, nebulâque ingens specus æstuat atrâ.
Hìc Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit, in nodum complexus: et angit inhærens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis;
Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur; pedibusque informe cadaver
Protrahitur: nequeunt expleri corda tuendo

verò (nam nullum jam restat effugium discriminis) emittit gutture magnum fumum, *res* miranda dictu, et implet totam speluncam obscuris tenebris, auferens visum oculis: et colligit sub spelunca noctem fumidam, mixtis tenebris *cum* flamma. Hercules *præ* ira non toleravit *hoc;* et ipse immisit se præcipiti saltu per flammas, quâ *parte* multus fumus impellit *se in* undam, et magna spelunca exhalat nigram nubem. Tum apprehendit Cacum evomentem in tenebris inutiles ignes, comprimens *eum* in nodum: et incumbens stringit oculos extrusos, et jugulum aridum *sine* sanguine. Statim aperitur nigra spelunca portis fractis; et exponuntur luci vaccæ abductæ et prædæ ablatæ cum perjurio, et fœdum cadaver raptatur pedibus: animi nequeunt satiari, spectando oculos horribiles,

250. *Molaribus.*) Saxis grandibus, quæ molarum instar essent.

257. *Undam fumus agit.*) Vaporem, in modum undæ erumpentem, Georg. 2, 462.

263. *Abjuratæque rapinæ.*) Juxta Servium, *per vim retentæ:* juxta Gentilem, *emptæ absque persoluto pretio:* juxta Germanum et alios, quibus assentior, *quas*

Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavêre diem; primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum,
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris;

et faciem, et pectus semiferi *Caci* hispidum pilis, et ignes extinctos in gutture. Ab illo tempore solemnis est gloria *Herculis*, et posteri gaudentes coluerunt *hunc* diem : et primus institutor Potitius, et familia Pinaria, ministra Herculei sacrificii, collocavit hanc aram in *hac* sylva, quæ *ara* semper dicitur a nobis maxima, et quæ semper erit maxima. Agite igitur, o juvenes, in celebratione tantæ virtutis, coronate capillos foliis, et proferte manibus po-

quis habere se negat cum juramento et perjurio.

269. *Potitius*, etc.) Livius, l. 1, ait post cædem Caci, tum primum bove eximiâ de grege captâ sacrum Herculi factum, *adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, quæ tum familiæ maximè irrelytæ ea loca incolebant. Fortè ita evenit, ut Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta apponerentur: Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus vescerentur. Potitii, ab Evandro edocti, antistites sacri ejus per multas ætates fuerunt: donec tradito servis publicis solemni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum in pœnam interiit.* Quod excidium Potitiæ familiæ contigit sub Appio Claudio Censore, anno U. C. 442.

271. *Aram. . . quæ maxima*, etc.) Apud Livium, l. 1, sic Evander Herculem alloquitur : *Jove nate Hercules, salve, te mihi mater, veridica interpres Deûm, auctura cœlestium numerum cecinit; tibique aram hic dicatam iri, quam opulentissima olim in terris gens maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextrâ Hercules datâ, accipere se omen, impleturumque fata, arâ conditâ, atque dicatâ, ait.* Aram illam in foro boario Romæ perstitisse memorat, Ovid. Fast. 1, 585. Erat autem forum boarium inter montes Aventinum, Palatinum et Capitolinum.

Communemque vocate Deum, et date vina volentes.
Dixerat, Herculeâ bicolor cùm populus umbrâ
Velavitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer implevit dextram scyphus. Ociùs omnes
In mensam læti libant, Divosque precantur.
Devexo interea propior fit vesper Olympo;
Jamque sacerdotes, primusque Potitius, ibant
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,

cula, et invocate Deum communem, et offerte ei vina lubenti *animo*. *Sic* dixerat, cùm populus *arbor* gemini coloris, et texit capillos *omnium* umbrâ Herculeâ, et pependit implicata frondibus : et sacrum poculum replevit dextram *manum*. Statim omnes hilares projiciunt vinum in mensam, et orant Deos. Interim occiduo cœlo vesper fit vicinior : et jam sacerdotes, et primus Potitius, incedebant cincti pellibus juxta consuetudinem, et portabant faces. Renovant convivium, et portant jucunda munera mensæ secundæ, et operiunt altaria patinis plenis. Tunc Salii circa aras flammantes accedunt inter cantus, coro-

275. *Communem Deum.*) Dii *communes* vocantur : qui coluntur ab omnibus populis propter communem utilitatem : sic Mars propter bellum, Mercurius propter artes, Hercules propter debellata ubique monstra; et singulariter Hercules, qui Arcadibus, Italis ac Trojanis perinde venerandus erat. De *populo*, arbore viridi et pallidâ, Herculi sacrâ, *dlamo*, Ecl. 7, 61.

278. *Scyphus*, etc.) Græca vox, σκύφος, vas amplum, Herculi præcipuè addictum; ut *cantharus* Baccho, ex Macrob. De *libatione in mensam*, Æn. 1, 740.

282. *Pellibus in morem cincti.*) Vel in morem pastoritiæ vitæ, et Panos Arcadum Dei : vel potiùs in morem Herculis, qui leonis pelle indutus erat. De *instauratione* et renovatione epularum per *secundas mensas*, ubi poma, bellaria, melleæ placentæ, Æn. 1, 727.

284. *Lancibus.*) *Lanx*, patina est, a *latitudine* dicta.

285. *Salii.*) Primò instituti a Numa, duodecim numero, e patricio genere : duplicati deinde a Tullo

Populeis adsunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus; ille senum : qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt : ut prima novercæ
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues :

nati *circa* capita ramis populeis. Hic *est* chorus juvenum, ille senum : qui cantu memorant laudes et gesta Herculis : quemadmodum stringens occiderit manu prima monstra novercæ, et duos serpentes : quemadmodum idem ever-

Hostilio : armati saltabant ad tibiæ modulos, concussis hastâ brevibus scutis, quæ ancilia vocabant. Nomen a *saliendo* : unde licèt a Numa instituti sint, et in honorem Martis; tamen apud Evandrum in honorem Herculis inducuntur a Virgilio, qui vim nominis, non rationem temporis spectavit.

288. *Ut prima novercæ*, etc.) *Hercules* Jovis filius et Alcmenæ, quæ Amphitryonis Thebani uxor erat, Junonis novercæ odio multis laboribus expositus est : unde cùm *Alcides* vocaretur, ab *Alceo* Amphitryonis patre; vocatus est Ἡρακλῆς, *Hercules*, ab Ἥρα, *Juno*, et κλέος, *gloria*. Præcipui ejus labores hic recensentur. I. Cùm esset in cunis, immissos a Junone angues duos elisit. II. Trojam cepit sub Laomedonte, ob negatam sibi mercedem liberatæ a ceto Hesiones, Georg. 1, 502 : Æn. 3, 476. III. Cùm Eurytus Œchaliæ rex, in Thessalia, Jolen filiam ipsi promisisset uxorem, et postea denegasset, urbem diruit. IV. Antequàm nati essent Hercules, et Eurystheus Mycenarum rex : cùm esset in fatis, hunc alteri servitorum, qui posterior natus esset, effecit Juno, ut Hercules posterior nasceretur : quare subditus Eurystheo, ab eodem ad laboriosissimas expeditiones missus est : Juno hìc *iniqua* dicitur, non quidem *injusta*, quod in hymno impium fuisset; sed *infesta*, *infensa*. *Fata* sumuntur hìc pro *auctoritate* et *voluntate* Junonis : sic ait ipsa Juno, Æn. 7, 293 : *Fatis contraria nostris fata Phrygum*. V. Cùm hospitio benigne exceptus esset a Pholo Centauro et Centauri alii ad vini Herculi appositi odorem hostiliter incurrissent, dicitur eos sagittis confixisse. Virgilius tamen Pholum, non ut hospitem, sed ut hostem ejus memorat. *Bimembres* fingebantur Centauri, superiore parte humanâ, inferiore equinâ, Æn. 6, 286. *Nubigenæ*, quia nube et Ixione geniti, Georg.

Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque, Œchaliamque : ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres,
Hylæumque, Pholumque, manu; tu Cressia mactas
Prodigia, et vastum Nemeâ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuêre lacus: te janitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhœus,
Arduus, arma tenens : non te rationis egentem

terit bello illustres urbes, et Trojam et Œchaliam : quemadmodum toleraverit labores mille asperos, sub rege Eurystheo, per potestatem Junonis infensæ. Tu, o *heros* insuperabilis, occidis manu filios nubis bino corpore, et Hylæum, et Pholum, et monstra Cretica, et immanem leonem sub rupe Nemeâ. Flumina Stygia te timuerunt: te janitor inferorum jacens *in* antro sanguinolento super ossa semivorata. Nec te species ullæ *terruerunt;* non terruit ipse Typhœus, sublimis, intendens arma : non hydra Lernæa

3, 38. VI. Taurum agros Cretensium populantem non occidit quidem, sed ad Eurystheum adduxit. Hunc aiunt quidam immissum a Neptuno, quem Minos Cretæ rex offenderat : alii taurum fuisse, qui Europam Minois matrem in Cretam transtulerat : alii taurum, cujus amore insanierat Pasiphae Minois uxor, Æn. 6, 24. VII. Leonem, in sylva Nemea, prope Cleonas Argiæ urbem in Peloponneso, cùm neque sagittis neque impactâ clavâ occidere posset, unguibus apprehensum dissecuit : ejusque pellem, quòd non esset ferro penetrabilis, in vestem sibi assumpsit. VIII. Per Tænari promontorii antrum ingressus ad inferos, Cerberum canem, ad solium Plutonis metu fugientem, inde pertraxit ad Eurystheum, et reducere jussus est, Æn. 6, 395. De *Stygiis aquis*, et *Orco*; Æn. 6, 323. IX. Diis magno præsidio fuit contra Gigantes cœlum aggressos : quorum inter præcipuos fuit Typhœus, de quo Georg. 1, 279 : Æn. 9, 716. Ita Apollodorus. Unde patet vanitas fabularum : quæ eumdem Herculem, circa Eurysthei Theseique tempora florentem, jam inde a Gigantei belli ætate fuisse inter Deos do-

Lernæus turbâ capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis:
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo,
Et comitem Æneam juxta natumque tenebat

magnâ multitudine capitum circumcinxit te inopem consilii. Salve, vera progenies Jovis, adjuncte Diis *quasi* honor *eorum*: veni pede prospero et *ad* nos et *ad* tua sacrificia propitius. Memorant talia cantibus: super cetera addunt caverna Caci et ipsum exhalantem flammas. Tota sylva resonat strepitu, *et* colles resiliunt. Deinde absolutis cæremoniis divinis, omnes redeunt ad urbem. Rex obrutus senio incedebat, et ambulans habebat prope *se* Æneam

cent. X. Hydram, serpentem in aquis et terra vivacem, in Lerna palude degentem, Mycenas inter et Argos; capitibus septem, aut juxta alios, quinquaginta terribilem; quorum quoties unum abscissum erat, toties alia duplicato numero pullulabant, admoto ad singula vulnera igni tandem interfecit. XI. Cùm Dejanira ejus uxor suspectos haberet ejus in Iolen amores, misit ad eum vestem Nessi Centauri infectam sanguine, cui vim inesse audiverat ad amorem excitandum · quam ille cùm induisset, indeque sparso per membra incendio, vim doloris pati non posset, excitâ et succensâ pyrâ in OEta monte Thessaliæ, in eam immisit sese; et sic expurgatus omni contage mortali, transiisse ad Deos creditus est.

302. *Dexter.*) *Propitius*: de hac voce in bonam partem, Ecl. 1, 16.

307. *Obsitus ævo.*) Plautus in Menæchmis, Act. 5, 24: *Consitus sum senectute*: id est, *plenus annis*: quia agri *consiti* sive *obsiti* frugibus, *pleni* sunt frugibus. Ita plerique omnes. Ego explico *sparsus senectute*, sive *canis*: quia, quæ *seruntur*, *sparguntur*: et jam dixit Virgilius, Æn. 5, 416: *Temporibus geminis canebat sparsa senectus*: et sanè sic explicandus est Lucretius, l. 2, 210: *Sol etiam summo de vertice dissipat omnes ardorem in partes, et lumine conserit arva*; id est, *lumine spargit arva*.

Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Æneas, capiturque locis, et singula lætus
Exquiritque auditque virûm monimenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis et duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat; nec jungere tauros,
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto;
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,

comitem et filium *suum*, et solabatur *laborem* itineris multiplici colloquio. Æneas admiratur, et emittit leves oculos circa omnia, et delectatur *aspectu* locorum, et gaudens petit discitque singula vestigia veterum hominum. Tum Rex Evander, fundator arcis, quæ *deinde fuit* Romana, *ait:* Fauni et Nymphæ, natæ in illis locis, occupabant has sylvas, et natio hominum orta truncis et duris arboribus, quibus neque consuetudines, neque cultus erat; nec sciebant alligare tauros *jugo*, aut colligere divitias, aut moderatè uti *rebus* partis; sed arbores, et venatus durus victu nutriebat *eos*. Saturnus primus venit ab Olympo cœlesti, fugiens

313. *Romanæ conditor arcis.*) Conditor oppiduli in Palatino monte, ut diximus v. 51; cujus in ruinis Romulus deinde prima Romanæ urbis initia constituit, loco quadratam in formam munito. Livius, Plutarchus, Festus, etc.

314. *Indigenæ Fauni*, etc.) Videtur hîc per *Indigenas* intelligere *Aborigines populos*, eosque primos statuere Italiæ incolas, ut diximus, Æn. 7, 181; et ita censet Justinus. Quanquàm probabiliùs putat Cluverius primos fuisse Siculos; Aborigines verò Siculis posteriores, et aliunde advectos, nempe ex Arcadia; unde sacra eò intulerint Panos et Fauni, qui ab Arcadibus pastoritiæ vitæ deditis colebantur. De *Faunis*, Ecl. 6, 27. De *Nymphis*, Ecl. 2, 46.

315. *Robore nata.*) cùm enim in cavis arborum truncis primò habitarent, inde nati putabantur. De *robore*, ligno, Georg. 1, 161.

319. *Primus ab*, etc.) *Saturnus* Cretensis rex, a Jove filio primùm liberatus

Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit; Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea, quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Secula: sic placidâ populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia, et gentes venêre Sicanæ;

arma Jovis, et profugus erepto imperio. Hic congregavit gentem immansuetam et diffusam *per* montes excelsos, et imposuit *ei* leges; et voluit appellari Latium, quod tutò occultatus fuisset in hac regione. Aurea ætas, de qua loquuntur, fuit sub illo rege: ita continebat populos in tranquilla pace, donec subrepsit sensim seculum pejus et alterius coloris, et furor belli, et cupiditas possidendi. Tunc venerunt turmæ Ausoniæ, et nationes Siculæ, et Satur-

e manibus Titanum, qui eum, ortâ de regnandi jure controversiâ, carcere incluserant: monente oraculo, ut a filio sibi caveret; cùm eidem strueret insidias, occupatus a filio et e regno ejectus, navi Italiam venit: ibique exceptus a Jano antiquissimo rege, populos cum eo composuit legibus: unde propter morum castitatem e cœlo venisse creditus est, et aureum nomen suo seculo fecit. *Latium* Italiam appellavit, quòd in ea contra filii insidias latuisset. *Primus* venisse in Italiam ex aliis regionibus dicitur a Virgilio, qui putat Janum et Aborigines fuisse primos loci indigenas, a quibus Saturnus exceptus est. De *Latio*, Æn. 7, 54. De *Olympo* monte, pro *cœlo*, Ecl. 5, 56.

326. *Decolor ætas.*) *Argentea*, ab *aureo* colore deficiens: tum *ærea et ferrea*, Georg. 1, 125.

328. *Ausonia*, etc.) Et hinc patet, inter Italiæ populos non eum a Virgilio temporis ordinem statui, qui a scriptoribus reliquis statuitur: quanquàm fateor confusa admodum hîc esse omnia, nec sibi constare scriptores. Diximus enim *Siculos*, qui et *Sicani* deinde dicti sunt, primos fuisse Latii et Sabinæ regionis incolas, eosque indigenas, Æn. 7, 794; *Ausones* verò, primos item et indigenas habitatores Italiæ, fretum versùs Siculum, Æn. 7, 54. Virgilius verò censet utrosque esse advenas, Saturno posteriores. Tum hîc alter etiam notatur Virgilii error: quòd

Sæpiùs et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Tibris;
A quo post Itali fluvium cognomine Tibrim
Diximus : amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patriâ, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuêre locis : matrisque egêre tremenda
Carmentis Nymphæ monita, et Deus auctor Apollo.
Vix ea dicta : dehinc progressus, monstrat et aram,

nia regio sæpe mutavit nomen. Tunc *venerunt* reges, et Tibris ferox vasto corpore, a quo deinde *nos* Itali appellavimus flumen nomine Tibrim : *et* vetus Albula perdidit proprium nomen. Fortuna omnipotens et fatum inevitabile constituerunt his *in* sedibus me ejectum *e* patria, et quærentem ultima *spatia* maris : et terrifica vaticinia Carmentis Nymphæ matris *meæ*, et Deus Apollo suasor, duxerunt *me*. Vix ea prolata *fuerunt* : deinde progrediens,

Saturni ætatem ab Evandri Latinique temporibus hic longè removet; cùm effluxisse ab eo videatur ætatum quadruplex mutatio, aureæ, argenteæ, æreæ, ferreæ : tamen, Æn. 7, 473, Saturnum Latini proavum facit.

330. *Asperque immani corpore Tibris*, etc.) Rex Tuscorum, qui occisus juxta fluvium Albulam, huic nomen reliquit suum. Ita Festus et alii : Livius tamen et Ovidius hoc nomen repetunt a Tiberino Albanorum rege, qui eo demersus est. Oritur in Apennini jugis, in septentrionali Etruriæ parte, juxta Umbros; dividitque totam Etruriam, seu Tusciam, ad orientem ab Umbris, Sabinis, et Latio : unde quia Tuscis maximè objicitur, dicitur a poetis *Tuscus amnis*, potiùs quàm *Sabinus* aut *Latinus*. Evolvitur in mare Tuscum sive Tyrrhenum duobus ostiis : ad orientale ostium urbs est *Ostia*; prope occidentale urbs *Portus*.

336. *Carmentis*, etc.) Seu *Carmentæ* matris Evandri; quæ Græcis dicta *Themis* juxta Dionys. aut *Nicostrata*, juxta Solinum : Latinis dicta est *Carmenta*, quia futura *carmine* evulgabat. De *Apolline* vaticiniorum præside, Ecl. 3, 104.

337. *Progressus.*) Ex ripa orientali Tiberis et radicibus Aventini, progressus ad septentrionem, quo loco spectabat Aventinum ad meridiem, Capitolinum ad sep-

Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, et nobile Pallanteum,
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit; et gelidâ monstrat sub rupe Lupercal,

ostendit et aram, et portam Carmentalem, *quod* nomen *est* Romanum, quam narrant *esse* antiquum honorem Carmentis vatis aperientis fata: quæ prima prædixit Romanos illustres evasuros, et Pallanteum celebre *fore*. Postea *ostendit* magnam sylvam, quam Romulus *deinde* convertit *in* asylum; et ostendit Lupercal sub frigida rupe,

tentrionem, Palatinum ad orientem, ibidemque forum fuit deinde boarium, ubi ara Herculis maxima.

Aram.) Vel *Maximam* Herculis, suprà, v. 271. Vel aram ipsius *Carmentæ*, juxta Carmentalem portam, sub Capitolino monte; de qua Dionysius, l. 1. *Romano nomine* dictam ait Carmentalem; Carmenta enim nomen Latinum est. *Cecinit Æneadas magnos*: quia inter alia, Romanos cecinit gentem fore opulentissimam, suprà, v. 271. De *Pallanteo*, seu Palatino monte, v. 51.

342. *Asylum.*) Locum a Romulo constitutum inter querceta duo, Capitolinumque et Palatinum: quò quicumque confugerent e vicinis urbibus, salvi ac securi essent: quâ arte novam urbem suam frequentem effecit. De *asylo*, Æn. 2, 761.

343. *Lupercal.*) Locum in Palatino monte, ubi Arcades Evandro auctore templum exstruxerant Pani Arcadiæ Deo. Illic quot annis ludicrum celebrabatur, juvenibus passim discurrentibus nudis, cum scuticis e caprina pelle, quibus obvios quosque cædebant; mulieres præcipuè, quæ se his verberibus ad partum juvari existimabant: *Luperci* ipsi dicebantur. *Lupercal*, nomen deductum a *lupa*, seu *Lycæo* monte Arcadiæ, ubi Pan colebatur: est enim λύκος, *lupus*. Unde quidam Romulum putant hujus ludi auctorem esse, quòd eo in loco a *lupa* nutritus fuisset. *Parrhasia* dicta est Arcadia, ab Arcadiæ regione et oppido ejus nominis: cujus conditor fuit Parrhasius Lycaonis filius juxta Steph. De *Pane*, Deo, Æn. 2, 21.

Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Necnon et sacri monstrat nemus Argileti.
Testaturque locum; et lethum docet hospitis Argi,
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci, jam tum sylvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
(Quis Deus, incertum est), habitat Deus, Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cùm sæpe nigrantem

appellatum ex cultu Arcadio Panos Lycæi. Præterea ostendit quoque sacram sylvam Argileti, et attestatur locum ipsum, et narrat mortem hospitis Argi. Inde ducit *eum* ad locum Tarpeium et Capitolia, *quæ* jam aurea *sunt*, quondam *erant* aspera dumis incultis. Jam tunc horrida sanctitas *hujus* loci terrefaciebat trepidos rusticos, jam tunc metuebant sylvam et rupem. Deus, ait, tenet hanc sylvam, hunc collem cacumine sylvoso; dubium est quis *sit ille* Deus. Arcades putant se vidisse *illic* ipsum Jovem, cùm

345. *Nemus Argileti.*) Locum pariter inter Aventinum et Capitolinum circa forum boarium : quæ pars erat Argei campi. Nomen, juxta Varronem, vel ab argillosa hujus loci terra; vel ab *Argo*, quem ait Fabius Pictor fuisse hospitem Evandri : aiuntque passim interpretes hunc, ob affectati regni suspicionem, ab Arcadibus occisum fuisse, inscio Evandro, qui cum hoc loco sepultum præcipuis honoribus affecerit : quare *testatur locum* Evander, id est, locum attestatur, et quasi adjurat, se violati hospitii reum non esse. Alii nomen deducunt ab Argivis Herculis comitibus.

347. *Tarpeiam sedem*, etc.) Montem dictum primò *Saturnium*, ob Saturniam urbem in eo conditam a Jano, ad memoriam suæ cum Saturno societatis : deinde appellatum *Tarpeium*; denique *Capitolinum*, ab humano capite ibidem invento, cùm templi fundamenta Tarquinius Priscus jaceret. Ibi magnus honos habitus deinceps Capitolino Jovi, cujus futuri cultûs quædam quasi semina spargit hic Virgilius.

Ægida concuteret dextrâ, nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis, ad tecta subibant
Pauperis Evandri: passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit, hæc illum regia cepit.

sæpe quateret *manu* obscuram ægida, et commoveret nubes. Cernis præterea has urbes duas eversis muris, reliquias et vestigia antiquorum hominum. Janus pater fundavit hanc arcem, Saturnus istam: huic nomen fuit Janiculum, isti Saturnia. Talibus inter se colloquiis accedebant ad domum inopis Evandri: et passim spectabant armenta boare in foro *deinde dicto* Romano, et magnificis Carinis. Postquàm perventum est *ad* domum, ait *Evander*: Hercules victor intravit has portas, hæc aula excepit

354. *Ægida.*) Clypeum Jupiter sibi finxisse dicitur ex pelle Amaltheæ capræ, nutricis suæ, Georg. 4, 151; est autem αἴξ, *capra*. Sic vocat Homerus, non Jovis tantùm, sed Minervæ etiam et Apollinis clypeum: Virgilius item tribuit Minervæ, infrà, v. 435.

358. *Janiculum*, etc.) Montes Tibri interfluente discreti: *Janiculum* quidem ad occidentalem ripam; *Saturnius*, sive Capitolinus, ad orientalem: non tamen omnino adversi; nam Capitolinus ad septentrionem magis recedit. In utroque gemina olim urbs fuerat. De *Jano*, Æn. 7, 610. De *Saturno*, suprà, v. 319.

361. *Romanoque foro*, etc.) Deflexo ad orientem itinere, inter Capitolinum et Aventinum, spatium invisunt illud, ubi deinceps fuit, *forum maximum Romanum*, civilibus negotiis tractandis constitutum. Incipiebat autem a radicibus orientalibus Capitolini; ac deinde ad latus item orientale Aventini excurrebat: qua in ultima parte propiùs attingebat locum, qui *Carinæ* dictæ deinde sunt, *lautæ* ob magnificentiam et lautitiam ædificiorum, in quibus domus fuit Pompeii. Nominis ratio non affertur alia tolerabilis, nisi quòd locus in modum carinæ curvus, ac longus esset. De *Alcide*, suprà, v.

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit; stratisque locavit,
Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum aspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita, casurasque inimicis ignibus arces;

eum. O hospes, aude despicere divitias; et ostende te quoque parem Deo, et accede non offensus rebus inopibus. *Sic* locutus est, et induxit magnum Æneam sub culmina parvi tecti, et constituit in lectis *eum*, sustentatum frondibus et pelle ursæ Libycæ. Nox venit, et ambit terram alis obscuris. Sed Venus genitrix *Æneæ*, non frustrà territa animo, et commota minis Laurentum et asperâ seditione, alloquitur Vulcanum, et orditur hæc *verba* in aureo lecto mariti, et verbis immittit ei divinum amorem: Dum reges Græci evertebant armis Trojam *sibi* destinatam, et arces

288. De *ursa Libystide* seu *Libyca*, Æn. 5, 37.

370. *At Venus*, etc.) Expressus est hic locus ad imitationem Homeri: apud quem Thetis a Vulcano petit arma pro Achille filio, Iliad. 18, 369. Virgilius quidem hìc Homero superior est dignitate sententiarum. De *Venere*, Æn. 1, 260. De *Vulcano*, Georg. 1, 295. De *Laurentibus*, Æn. 7, 63. Porrò *thalamus* ille et aula Vulcani, ubi hoc habetur colloquium, in cœlo esse fingitur: siquidem v. 423, Vulcanus e cœlo descendit in officinam suam, ad arma fabricanda, circa Liparen insulam. In quo peccavit Homerus, qui aulam et officinam Vulcani simul in cœlo constituit.

374. *Argolici*, etc.) De *Argis* urbe regiâ Agamemnonis, Æn. 1, 288. De *Pergamis*, arce Trojæ, Æn. 1, 470.

Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ : nec te, carissime conjux,
Incassumve tuos volui exercere labores ;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc, Jovis imperiis, Rutulorum constitit oris :
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjux.
Aspice qui coeant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me excidiumque meorum.
Dixerat, et niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet : ille repentè
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit :
Non secus atque olim tonitru cùm rupta corusco

perituras flammis hostilibus ; nullum subsidium, nec arma artis et operis tui imploravi *a te* pro miseris Trojanis : nec volui adhibere frustrà te et tuam operam, o dulcissime marite ; quanquàm et debebam multa filiis Priami, et sæpe deploraveram asperam calamitatem Æneæ. Nunc *ille* jussu Jovis stetit in regione Rutulorum : itaque ipsa supplex, et peto arma a te, Deo mihi venerando ; mater *pro* filio. Te filia Nerei, te conjux Tithoni potuit expugnare fletu. Considera, quæ gentes conveniant, quæ urbes clausis portis acuant gladios, in me, et ruinam meorum. *Sic* locuta est Dea, et candidis brachiis ambiit hinc atque hinc dulci amplexu tardum *Vulcanum* : ille subitò suscepit ignem consuetum, et notus ardor penetravit medullas et irrepsit in ossa liquefacta : non aliter atque

379. *Priami.... natis.*) Paridi, a quo pulchritudinis præmium tulerat, pomum aureum, Æn. 1, 31 De *situ Rutulorum*, Æn. 7, 795.

383. *Filia Nerei*, etc.) *Thetis*, de qua, Ecl. 4, 32. pro filio Achille arma a Vulcano impetravit. *Aurora* Tithoni uxor, pro Memnone filio, ad Trojanum bellum proficiscente. De *Aurora*, Georg. 1, 249. De *Tithono*, Æn. 4, 585. De *Memnone*, Æn. 1, 493.

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis, et formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore :
Quid causas petis ex alto? fiducia cessit
Quò tibi, Diva, meî? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,
Quantùm ignes animæque valent : absiste, precando,
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit

cùm aliquando hiatus flammeus apertus fulgenti fulmine, rutilus pervolitat nubes. Uxor *id* animadvertit, gaudens fraudibus, et sciens *vim* pulchritudinis *suæ*. Tunc pater *Vulcanus* sic loquitur captus amore perpetuo : Cur causas repetis e longinquo? quò abiit a te confidentia in me, O Dea? tunc etiam fuisset mihi facile arma dare Trojanis, si *tunc* par voluntas fuisset *tibi*. Neque Jupiter omnipotens, neque fata prohibebant Trojam persistere, et Priamum vivere ad decem *alios* annos. Et jam, si vis pugnare, et *si* hoc tibi est consilium, possum *tibi* polliceri, quodcumque *est* studii in arte mea, quodcumque potest fabricari ferro et electro liquente, quantùm possunt flammæ et flatus : desine orando diffidere tuæ auctoritati. Locutus ea verba, tulit ei cupidos amplexus, et jacens in sinu uxoris quæsivit per *totum* corpus tranquillum som-

398. *Nec fata vetabant stare*, etc.) Fata a Diis non immutari, sed differri censebantur posse, Æn. 1, 243. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

402. *Electrum.*) Hic non *succinum* est, ut illud alterum Eclogæ 8; sed aurum, quintâ argenti portione mixtum; sive ex natura, sive ex arte temperies illa sit. De eo Plinius, l. 33, 4. Nomen ob fulgorem, a Sole, qui Græcis poetis vocatur ἠλέκτωρ.

404. *Indubitare.*) *Dubitare.* Et hic auget particula *in* : ut in vocibus *infractus*, *incanus*, pro *fractus*, *canus*.

Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum; cùm fœmina, primum
Cui tolerare colo vitam tenuique Minervâ,
Impositum cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo,
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis;

num. Deinde, postquàm prima quies abrupisset somnum, medio spatio noctis jam lapsæ; quando mulier, cui præcipuum *est* sustentare vitam colo et exiguâ arte, excitat ignem coopertum et cinerem superadditum *igni*, adjiciens noctem labori, et occupat famulas longo penso ad lucernas; ut queat tenere pudicum lectum mariti, et alere parvos liberos: non aliter præses ignis *Vulcanus*, nec tardior, surgit illo tempore e molli lecto ad laborem fabrilem. Prope latus Siculum et Liparen Æoliam assurgit in-

409. *Tenuique Minervâ.*) *Tenui arte*, ut enim Minerva texturæ, lanificio, et ejusmodi artibus præest, ita pro iis ipsis sumitur: quemadmodum Vulcanus pro *igne*, Bacchus pro *vino*. De *Minerva*, Æn. 2, 31.

412. *Castum ut servare cubile*, etc.) Ut otia vitet, infesta pudicitiæ.

416. *Insula Sicanium*, etc.) Ad latus septentrionale Siciliæ, non longè a promontorio Peloro et Italia, sunt insulæ septem, *Æoliæ* seu *Vulcaniæ* dictæ: maxima earum *Lipara*, hodie *Lipari*: inter quam et Siciliam est *Hiera*, id est, *sacra*, quia Vulcano dicata, unde hodieque dicitur *Volcano*: quam hic describit Virgilius. Ex hac præcipuè ignes erumpunt: quod inde fit, ut ait Solinus, c. 12: *quia ipsæ insulæ, naturâ soli igneâ, per occulta commercia, aut mutuantur Ætnæ incendia, aut submînistrant.* Totum enim illud Italiæ inferioris et Siciliæ solum, ut alibi monuimus, subterraneis montibus cavum et sulfure succensum est. De *iis*

Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.
Huc tunc Ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte politâ
Fulmen erat, toto Genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras, pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ

sula, alta fumantibus scopulis; sub qua *insula* spelunca et cavernæ Ætnææ resonant, excavatæ ignibus Cyclopum; et magni ictus auditi *ex* incudibus emittunt plangorem, et strident *in* cavernis massæ Chalybum, et flamma exspirat *e* fornacibus: sedes *est* Vulcani, et terra nomine Vulcania. Tunc Vulcanus ab alto cœlo descendit illuc. Cyclopes exercebant *artem* ferrariam sub immensa caverna, et Brontes, et Steropes, et Pyracmon nudus corpore. Erat illis inter manus fulmen inchoatum *ex his* quæ pater *Jupiter* multa torquet e cœlo; jam parte *aliquâ* perfectâ, pars restabat imperfecta. Adjecerant *ei* tres radios pluviæ,

insulis, Æn. 1, 56. De *Sicania*, Sicilia, Æn. 3, 687. De *Ætna*, monte ignivomo Siciliæ, ibid. 571. De *Cyclopibus*, ibid. 569.

421. *Stricturæ Chalybum.*) *Stricturæ*, ferrum, ut e fodinis extrahitur, in massas quasi terreas constrictum ac stipatum. *Chalybes*, populi vel Ponti, vel Hispaniæ, ferrariis fodinis et operibus insignes, Georg. 1, 58.

425. *Brontesque*, etc.) Nomina Cyclopum e Græcis poetis repetita: Brontes, a Βροντὴ, *tonitru;* Steropes, a στεροπὴ, *fulgur;* Pyracmon, a πῦρ, *ignis;* et ἄκμων, *incus.*

429. *Tres imbris torti radios*, etc.) Fulmina in antiquis marmoribus duodecim radiis effinguntur, in circulum dispositis: non rectis illis quidem, sed varios in angulos inflexis, qui trifidam in cuspidem singuli desinunt. Talis est forma Virgiliani hujus fulminis, de qua sic ferè Cerdanus: Solent torqueri fulmina, vel *grandinante cœlo*, vel *ruentibus magnis pluviis*, vel *aere fulguribus æs-*

Addiderant, rutili tres ignis et alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte aliâ Marti currumque rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant:
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes, et huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ:
Præcipitate moras. Nec plura effatus: at illi

tres nubis aquosæ, tres flammæ refulgentis et venti velocis. Nunc miscebant operi fulgura terrentia, et fragorem, et timorem, et iras *cum* igne persequente. *Ex* alia parte deproperabant Marti currum et rotas celeres, quibus ille commovet homines, quibus urbes; et certatim ornabant squamis et auro ægida horribilem, clypeum Palladis iratæ, et serpentes implicatos, et ipsam Medusam in pectore Deæ torquentem oculos *post* abscissum collum. O Cyclopes Ætnæi, ait *Vulcanus*, auferte hæc omnia, et deponite laborem inchoatum, et huc intendite animum. Arma *sunt* fabricanda forti viro: nunc opus est robore, nunc promptis manibus, nunc omni arte præcipuâ: accelerate

tuante, vel *ventis flantibus*. Grandinem intelligo, per *imbrem tortum*: pluviam immensam, per *aquosam nubem*: æstuantem aerem, per *ignem*: flatus ventorum per *Austrum*; hic enim ventus præ ceteris frequens tempestatibus est, ut diximus, Ecl. 2, 58. De *Marte*, Ecl. 9, 12. De *ægide*, clypeo Palladis, suprà, v. 354. De *Pallade*, Æn. 1, 43.

436. *Squamis, auroque*, etc.) Disjunctio pro *squamis aureis*, Georg. 2, 192. *Pateris libamus et auro*, pro *pateris aureis*. Significat clypeum Palladis squamoso corio serpentis ex auro tectum fuisse: ipsum verò Gorgonis, id est Medusæ, caput anguiferum, non in clypeo ut aliàs, sed in anteriore loricæ parte ad pectus affixum. De *Gorgone*, et Palladis *clypeo*, Æn. 2, 616.

Ociùs incubuêre omnes, pariterque laborem
Sortiti : fluit æs rivis, aurique metallum :
Vulnificusque chalybs vastâ fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt : alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque : alii stridentia tingunt
Æra lacu : gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multâ vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmina cantus.
Consurgit senior, tunicâque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis :

moras. Nec plura locutus est. Illi autem omnes statim adnixi *sunt*, et pariter diviserunt laborem : æs et metallum auri fluit *in* rivos, et chalybs vulnificus liquitur *in* ampla fornace. Componunt magnum clypeum, *sufficientem* solum adversùs cuncta arma Latinorum; et connectunt septem textus *rotundos* textibus : alii excipiunt et emittunt ventos follibus plenis vento : alii mergunt aquis æra stridula : caverna sonat incudibus *in ea* defixis. Illi inter se erigunt brachia multo conatu per ordinem, et forcipe mordaci vertunt massam. Dum pater Lemnius urget hæc in regionibus Æoliis, lux alma et cantus matutini avium sub tectis excitant Evandrum ex abjecto cubili. Senex surgit, et induitur tunicâ *circa* membra, et circumligat plantis calcea-

446. *Chalybs.*) Genus ferri densissimi ac durissimi, *aço*: a populis hujus nominis, de quibus suprà, v. 421.

453. *In numerum.*) Eo ordine, qui numerosum quemdam ictuum concentum referat.

454. *Pater Lemnius.*) *Vulcanus:* qui a Junone matre, propter deformitatem, e cœlo dejectus est in insulam Lemnum, nunc *Stalimene*, in Ægeo mari : ubi a Græcis pictus est officinam suam exercere, ob frequentia ibidem *fulmina*, Georg. 1, 295. De *insulis Æoliis*, suprà, v. 416.

458. *Tyrrhena pedum vincula.*) Calceamenta Tyrrheno more : quorum solea li-

Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris heros.
Nec minùs Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, et licito tandem sermone fruuntur:
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquàm
Res equidem Trojæ victas, aut regna fatebor:
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto

menta pedum Tusca: deinde accingit lateri et humeris gladium Arcadicum, revocans *in dextram* pelles pantheræ pendentes a sinistra. Præterea duo etiam canes custodes exeunt ex alta porta, et sequuntur passus domini. *Sic* ibat heros ad cubiculum et penetrale Æneæ, memor verborum et promissi officii. Nec minùs mane experrectus Æneas ferebat se *ad eum*. Pallas filius aderat comes illi *Evandro*, Achates huic *Æneæ*. *Cùm* occurrissent, sociant dextras *manus*, et sedent in media domo, denique utuntur libero colloquio. Rex primus hæc *dicit*: Maxime dux Trojanorum, quo salvo nunquàm sanè existimabo regnum vel res Trojæ eversas: sunt nobis parvæ vires ad subsidium belli

gnea erat, quatuor digitorum latitudine, lora autem inaurata: ex Polluce, l. 7, 22. Et notandum calceamenta veterum, ut ex antiquis statuis constat, ferè soleas fuisse, non latis integumentis desuper, sed vinculis tantùm lorisque aptas pedibus. De *Tyrrhenis*, vicinis tunc Evandro populis, mox, v. 479.

459. *Tegeæumensem.*) *Arcadicum*, a *Tegea* urbe Arcadiæ, ubi Pan colebatur.

460. *Pantheræ.*) Fera est maculosâ pelle, cujus mas est *pardus*.

472. *Pro nomine tanto*, etc.) Pro dignitate Trojani nominis: pro tanta causa, id est, tanto bello: *nomen* enim sæpe pro *causa* sumitur.

Exiguæ vires : hinc Tusco claudimur amni ;
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Jungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat : fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes, ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes ? quid facta tyranni
Effera? Dî capiti ipsius generique reservent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,

pro tanta dignitate : hinc coercemur fluvio Etrusco : inde Rutulus urget *nos*, et sonat armis circa mænia *nostra*. Ast ego meditor sociare tibi magnas nationes, et castra e regno divite : sors insperata ostendit *tibi* hanc *viam* salutis : *et* confers te huc fatis vocantibus. Non longè hinc habitatur sedes urbis Agyllinæ, structa lapidibus antiquis: quâ *parte* colonia Lydia, insignis bello, stetit olim in montibus Tuscis. Hanc *urbem*, *per* multos annos vigentem, Mezentius rex deinceps gubernavit, severo imperio et duris armis. Quid *prodesset* narrare immanes strages, quid crudelia facinora tyranni? Dii rependant *ista* capiti et familiæ ipsius. Immo etiam alligabat corpora mortua

De *Tusco* amne, *Tibri*, suprà v. 330. De *Rutulis*, Æn. 7, 795.

479. *Urbis Agyllinæ sedes*, etc.) Urbs erat Etruriæ, a Lydis dicta deinde, *Cære*, hodie *Cerveteri*, Æn. 7, 652. Aiunt Etruscos, sive indigenas, sive aliunde advectos eam Italiæ regionem, quæ est ad occidentem Tibris, incoluisse; hinc a Pelasgis ex Æmonia, quæ deinde Thessalia dicta est, profectis, bello petitos : qui post Agyllinam ibi conditam, a Tyrrhenis e Lydia profectis expulsi sunt. Hi sive Etrusci, sive Tyrrheni, etiam *Tusci* vocati sunt, a θύω, *sacrifico* : ob religionis cæremonias, quæ apud eos vigebant in primis in urbe *Cære* quam vocat Livius, l. 7, *sacrarium populi Romani*, *diversorium sacerdotum*, *ac receptaculum sacrorum* : ab hac religiones Deorum dictæ

Componens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus! et sanie taboque fluentes
Complexu in misero, longâ sic morte necabat.
At fessi tandem cives, infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsumque, domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes, Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis:
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre jubent. Retinet longævus haruspex,
Fata canens: o Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, et meritâ accendit Mezentius irâ:

corporibus vivis, committens et manus manibus, et vultus vultibus, o speciem supplicii! et sic occidebat lentâ nece *homines* diffluentes tabo et sanie in *hoc* miserando nexu. Sed cives denique pertæsi, obsident armati sævientem inaudito *modo*, et ipsum, et *ipsius* domum: jugulant *ejus* socios, immittunt flammas ad tecta. Ille elapsus inter strages *cœpit* fugere in regionem Rutulorum, et protegi armis Turni *excipientis eum* hospitio. Itaque tota Tuscia rebellavit legitimo furore; repetunt præsenti bello regem ad pœnam. Ego, o Ænea, dabo te ducem his millibus: naves enim *eorum* congregatæ toto litore fremunt, et volunt inferre signa. Senior aruspex cohibet *eos*, edicens *hæc* oracula: O juventus lectissima Lydiæ, flos et robur antiquorum hominum, quos indignatio legitima impellit adversùs hostem, et *quos* Mezentius inflammat justo

sunt *cæremoniæ*. Hinc multi scribunt *Thusci;* multi tamen *Tusci*, Græcis auctoribus, a quibus vocantur Τοῦσκοι. *Etruscorum* nomen unde ortum sit ignoratur.

498. *Aruspex.*) Qui exta *conspicit arvigæ*, vel *arugæ:* est autem *arviga*, (potiùs *arvix* ant. *pro* aries) hostia, ab ἄρυξ, *aries*, interposito dig. Æolico. Ita Vossius et Ainsworth. Qua in arte singularis fuit Etruscorum vatum peritia. De *Mœonia*, Lydia, Æn. 4, 216.

Nulli fas Italo tantam subjungere gentem :
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam,
Sed mihi tarda gelu seclisque effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni mixtus matre Sabellâ
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostrî,
Pallanta adjungam. Sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat : primis et te miretur ab annis.

furore : nemini Italo licet subdere tantam nationem : eligite duces exteros. Tunc exercitus Tyrrhenus territus oraculo Deorum, stetit *in* his arvis. Ipse Tarchon misit ad me legatos, et coronam cum sceptro, et addicit *has* notas regni : *rogans ut* veniam in castra, et accipiam regnum Tyrrhenum. At senectus pigra frigore et exhausta annis, et robur lentum ad fortia *consilia*, aufert mihi regnum. Impellerem *ad id* filium, nisi junctus *cum* matre Sabella, ex ea deduceret patrem patriæ. Tu cujus et annis, et patriæ oraculum favet, quem Dii vocant, intra *in regnum*, o dux generosissime Trojanorum et Italorum. Præterea sociabo tibi hunc Pallantem, *qui est* spes et solamen nostrum. Assuescat sub te institutore pati militiam et durum laborem belli, *et* contemplari gesta tua :

506. *Tarchon.*) Nomen apud Tyrrhenos insigne. Fuerat enim alter ejus nominis præfectus *Tyrrheni* regis, qui eo usus est ad condendas in ea regione urbes duodecim ex Strabone.

510. *Matre Sabella.*) Vel *Sabino*, vel *Samnitico* genere : hoc enim nomen inter utramque gentem ambiguum est : et Sabellam gentem Italiæ indigenam fuisse, non exteram, probat hic locus. Vide Æn. 7, 665. De *Cytherea*, Venere, Æn. 1, 261.

Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Æneas Anchisiades et fidus Achates.
Multaque dura suo tristi cum corde putabant:
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit; et ruere omnia visa repentè,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem, cœli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.
Obstupuêre animis alii: sed Troius heros
Agnovit sonitum, et Divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne verò, hospes, ne quære profectò
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram Diva creatrix,

et admiretur te a tenera ætate. Tradam huic ducentos equites Arcadas, selectam vim juventutis: et Pallas tradet tibi totidem suo nomine. Vix ea locutus erat: et Æneas filius Anchisæ et fidelis Achates tenebant vultum defixum, et meditabantur plurima difficilia cum sua tristi mente: nisi Venus misisset signum e cœlo patente. Quippe fulgur intortum e cœlo inopinatè erupit cum strepitu: et statim omnia visa *sunt* tremere, et sonus buccinæ Tyrrhenæ sonare per aerem. Aspiciunt *sursùm*: et rursus magnus fragor tonat: cernunt arma fulgere et commota resonare, inter nubes, *tempore* sereno, in parte cœli tranquilla. Ceteri territi sunt animo: sed princeps Trojanus cognovit sonum, et promissa Deæ matris. Tunc ait: Ne autem, *tu qui me excipis* hospitio, ne sanè petas *a me* qualem exitum prodigia ista prædicant: ego vocor e cœlo *ad bellum*. Dea mater monuit *se* daturam hoc indicium, si bel-

526. *Tyrrhenusque tubæ mugire*, etc.) *Tyrrhenus clangor* tubæ dicitur: quia Tyrrheni cornua et tubas dicuntur invenisse, ab Athenæo l. 4. Indicatque sonus ille Tyrrhenus, Æneam a Tyrrhenis ad regnum vocari.

Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quàm multa sub undas
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volves,
Tibri pater! poscant acies, et fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto:
Et primùm Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes:
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Posthinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstante virtute legit; pars cetera pronâ

lum immineret; et *se* allaturam per aerem armaturam Vulcani *manu factam ad* auxilium *meum*. Heu! quàm magnæ strages imminent Laurentibus miseris! O Turne, quale supplicium persolves mihi! O pater Tiberine, quàm multos clypeos, et cassides, et robusta cadavera impelles inter aquas *tuas!* nunc *Latini* petant bellum, et violent fœdera. Postquàm protulit hæc verba, erigit se e solio sublimi: et primò succendit igne Herculis aras *ubi ignis erat ferè* extinctus; et hilaris it *ad* Larem, quem *ab* hesterna *die noverat*, et *ad* exiguos Penates: immolat juxta consuetudinem oves electas: simul Evander, simul juventus Trojana. Deinde *Æneas* incedit ad naves, et redit *ad* socios: e quorum numero eligit insigniores virtute, qui comitentur se ad bellum; pars reliqua na-

537. *Laurentibus*, etc.) Latini regis populi, Æn. 7, 63. De *Turno*, ibid. 56 De *Tibri*, suprà, v. 330.

540. *Fœdera rumpant.*) Nam Latinus Æneam in socium et generum admiserat, Æn. 7, 260.

542. *Herculeis*, etc.) Non mihi videntur in lucum rediisse, ubi hesternâ die sacra Herculi fecerant; sed aras domesticas, in quibus ignis sopitus erat, excitasse prunis ex hesterno sacrificio asservatis: non enim ignem sacrum nisi ex sacro licebat accendere, ex Phædro, l. 4, f. 10. Vel novos ignes domi accenderunt in honorem Herculis. *Hesternum Larem* interpretor, vel qui pridie

Fertur aquâ, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subitò vulgata per urbem,
Ociùs ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiùsque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis,
Hæret inexpletum lacrymans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsa

vigat pronis undis, et lenta descendit secundo flumine, reditura *ad* Ascanium nuntia patris et rerum *ab eo gestarum*. Equi dantur Trojanis euntibus *in* regionem Etruscam: adducunt *ad* Æneam *equum* extra sortem *aliorum*, quem tegit flava pellis leonis resplendens unguibus auratis. Statim rumor spargitur emissus per urbem exiguam, equites ire celeriter ad arcem regis Etrusci. Matres *præ* timore renovant preces, et metus accedit prope *ad* periculum, et jam species belli videtur major. Tunc pater Evander amplexus dextram *Æneæ* abeuntis, inhæret *illi*, flens insatiabiliter et profert talia: O utinam Jupiter reddat mihi annos elapsos! *et me talem efficiat*, qualis eram, quando juxta ipsam *urbem* Præneste delevi primum exercitus ab iis fuerat, antequam decumberent: vel potiùs, quem Æneas, novus hospes, ab hesterna duntaxat die noverat, et colendum susceperat. De *Laribus* et *Penatibus*, Æn. 2, 717. De *eorum cultu*, Æn. 3, 177. De *ovibus bidentibus*, Æn. 4, 57.

561 *Præneste*, etc.) Æn. 7, 678, fundatorem Prænestinæ urbis appellavit Cæculum, qui erat hoc ipso bello in auxiliis Turni, proindeque firmæ adhuc ætatis. Quomodo igitur ab Evandro, nunc sene, tunc juvene occidi potuit Herilus sub ipsa Præneste? Nisi dicatur Præneste jam urbis formam habuisse tempore Herili, qui regnâsse ibidem videtur: munitiones verò a Cæculo accepisse. *Præneste* modò neutrius, modò fœminini est generis. *Herilus* hîc tricorpor ad similitudi-

Stravi, scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hâc Herilum dextrâ sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu! dederat; terna arma movenda;
Ter letho sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquàm,
Nate, tuo: neque finitimus Mezentius unquàm
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduâsset civibus urbem.
At vos, o superi, et Divûm tu maxime rector
Juppiter, Arcadii, quæso, miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant;
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro, patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
Nunc o, nunc liceat crudelem abrumpere vitam,

citum, et victor combussi congeriem clypeorum: et hæc manu misi ad inferos regem Herilum: cui nascenti genitrix Feronia dederat tres animas, et tria arma tractanda, *res* terribilis dictu! occidendus erat triplici morte: tamen hæc dextera eripuit illi omnes animas, et spoliavit *illum* totidem armis. Ego nunc nullatenus distraherer *a* jucundo amplexu tuo, o fili: nec unquàm vicinus Mezentius, illudens huic *meo* capiti, intulisset ense tot crudeles neces, *nec* privasset urbem tam multis incolis. Sed vos, o Dii, et tu Jupiter maxime rex Deorum, oro, miserescite regis Arcadis, et exaudite preces paternas. Si vestra potestas, si fata reliquunt mihi Pallanta salvum; si vivo visurus eum, et rediturus in commune *cum eo*: peto vitam, paratus ero tolerare quemlibet laborem. Si verò intentas *mihi* eventum aliquem asperum, o Fortuna; o jam jam liceat finire molestam vitam, dum

nem Geryonis fingitur, Æn. 7, 662. *Feronia*, Dea Herili mater, Æn. 7, 800. *Arcadius rex*, Evander, suprà, v. 51.

Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri;
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo : gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat : famuli collapsum in tecta ferebant.
Jamque adeò exierat portis equitatus apertis :
Æneas inter primos et fidus Achates :
Inde alii Trojæ proceres : ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulverea nubem, et fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, quà proxima meta viarum,
Armati tendunt : it clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

sollicitudo *est adhuc* anceps, et spes futuri dubia; dum te habeo *in* complexu, o dilecte fili, unicum et ultimum gaudium meum : ne nuntius tristior lædat aures *meas*. Pater emittebat hæc verba in ultimo discessu; ministri reportabant in aulam *eum* defectum *animo*. At equites jam egressi erant portis patentibus : in primis Æneas et fidelis Achates : deinde alii principes Trojæ : ipse Pallas in media turma, spectabilis chlamyde et armis versicoloribus : qualis *est* Lucifer, quem Venus amat præ ceteris ignibus siderum, quando madens aquis Oceani erigit sacrum vultum *in* cœlo, et dissipat noctem. Matres timidæ sunt in muris, et visu sequuntur nubem pulverulentam et turmas rutilantes æreis *armis*. Illi armati incedunt inter vepres, quà proximus est terminus viarum : clamor surgit, et collecto agmine ungulæ *equorum* feriunt pulverulentos campos strepitu quadrupedante. Est magna sylva,

588. *Chlamyde.*) De ea militari veste, *casaco*, Æn. 3, 484. De *Lucifero*, stellâ Veneris, quæ manè ante Solis ortum ultima videtur in cœlo, unde præire Solem dicitur, Ecl. 6, 86.

596. *Quadrupedante pu-*

Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem
Religione patrum latè sacer: undique colles
Inclusêre cavi, et nigrâ nemus abjete cingunt.
Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos,
Arvorum pecorisque Deo lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuêre Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus æthereos inter Dea candida nimbos

prope frigidum flumen Cæretanæ *urbis*, latè sacra veneratione majorum: colles curvi circumdant undequaque et cinguntsylvam abietibus umbrosis. Fama narrat, antiquos Pelasgos, qui primi occupaverunt olim regionem Latinam, dicavisse sylvam et diem *certum* Sylvano, Deo agrorum et pecudum. Non longè hinc Tarcho et Tyrrheni habebant castra, secura *ob naturam* locorum: et totus exercitus *eorum* poterat jam aspici *ab Ænea* ex edito colle, et fixerat tentoria *in* patentibus campis. Æneas pater e juventus electa ad bellum descendunt illuc, et fatigati reficiunt equos et corpora. At Venus, alba Dea, erat *illic*, portans munera per nubes aerias: et ut eminus aspexit

trem, etc.) *Putrem*, in pulverem facilè solubilem. *Quadrupedante sonitu*: quasi numeroso quadrupedum equorum incessu.

597. *Cæritis amnem*, etc.) *Sylva*, in litore maris, prope amnem exiguum, *Cæretanum* olim, nunc *Vacina* dictum: ad orientem urbis *Cæritis*, quæ est *Cære*, de qua suprà v. 479. Hujus incolæ *Cærites*, mediâ syllabâ brevi; vel *Cæretes*, mediâ longâ dicuntur, Æn. 10, 183. De *abiete* arbore, *abeto*, passim in Georg. De *Sylvano*, Ecl. 10, 24. De *Pelasgis*, suprà, v. 479.

602. *Qui primi*, etc.) Tamen post *Siculos* indigenas, et advenas *Œnotros* seu *Aborigines*, venêre *Pelasgi*, deinde *Tyrrheni*, postea *Arcades*, tum *Trojani*. Hic ordo e Dionysio Halicarn. repetitur. *Tendebat in arvis.* Castra metabatur, figebat tentoria; ut Æn. 2, 29: *Hic sævus tendebat Achilles.*

Dona ferens aderat : natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit;
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro :
En perfecta mei promissâ conjugis arte
Munera : ne mox, aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit :
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille Deæ donis et tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit;
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,

filium remotum a frigido fluvio in valle separata, allocuta est *eum talibus* verbis, et se ultro exhibuit : Ecce dona fabricata *per* artem mariti mei, *quam tibi* promiseram : ne deinceps, o fili, timeas vocare ad pugnam, sive Laurentes gloriosos, sive ferocem Turnum. *Sic* dixit Venus, et venit *in* amplexum filii, et deposuit arma fulgentia sub quercu opposita. Ille *Æneas* gaudens muneribus Deæ et tanto honore, non potest satiari, et mittit oculos per singulas *partes;* et stupet, et sumit in manus et brachia, cassidem horrendam cristis et ejicientem ignes, et gladium mortiferum, et loricam rigidam ære, cruentam, amplam :

610. *Egelido.*) Ambiguam hujus vocis esse potestatem existimat Scaliger Poet. l. 6, 7, et modò negare, ut in *enodis*, Georg. 2, 78; modò augere, ut in *edurus*, Georg. 4, 145. Igitur *egelidus* modò est *tepidus*, modò *frigidus*. Cerdanus contendit semper esse *tepidum:* affertque e Catullo *egelidos tepores*, e Columella *egelidum ver*, etc. sed afferimus etiam e Virgilio *egelidum flumen*, ex Ausonio *egelidum Istrum, egelidam Mosellam*, id est, *frigidam* : quis enim unquam fluvios vocavit *tepidos*? De *Laurentibus*, Æn. 7, 63. De *Cytherea*, Æn. 1, 261.

620. *Cristis galeam*, etc.) *Cristis*, id est, pennis avium, aut jubis equinis, igneo colore tinctis, e cono seu apice galeæ, in modum flammarum erumpentibus, Æn. 3, 468. De *electro*, suprà, v. 402.

Sanguineam, ingentem : qualis cùm cœrula nubes
Solis inardescit radiis, longèque refulget :
Tum leves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius ævi,
Fecerat ignipotens : illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam : geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos : illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere linguâ.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas

talem, qualis *est* nubes cœrulea, quando accenditur radiis Solis, et resplendet procul : deinde ocreas politas electro et auro repurgato, et hastam, et fabricam inenarrabilem clypei. Vulcanus, non imperitus vaticiniorum, nec inscius futuri seculi, expresserat in illo *clypeo* res Italas et victorias Romanorum : *expresserat* illic totam seriem familiæ orituræ ab Ascanio, et bella gesta per ordinem. *Expresserat* quoque lupam enixam jacere in virenti caverna Martis ; duos infantes *huic* alludere pendulos ad mammas, et interritos sugere altricem ; illam reflexam collo tereti abblandiri *iis* alternis, et formare membra *eorum* linguâ. Nec longè inde apposuerat Romam, et Sabinas

625. *Clypei textum.*) Quia e multis coriis aut laminis compacti erant clypei.

629. *Stirpis ab Ascanio*, etc.) De *Ascanii stirpe*, Æn. 6, 763 et sequent. De *lupa*, Romuli et Remi, Martis filiorum, altrice, Æn. 1, 278.

635. *Raptas sine more Sabinas*, etc.) Romulus, cùm, urbe conditâ deesse suis civibus feminas videret, ludos indixit, qui *Consuales* tum, deinde *Circenses* dicti sunt. De *iis* et *cavea*, Æn. 5, 388. Ad eos cùm convenissent vicini, præcipuè ex urbe Sabinorum *Curibus* ; eorum feminæ raptæ sunt a Romanis. Hinc bellum grave inter utramque gentem : quod inter Tatium Sabinorum regem, et Romulum denique compositum est ; eâ lege,

Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitòque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, et cæsâ jungebant fœdera porcâ.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat

raptas absque exemplo *in* cœtu caveæ, *dum* agerentur magni *ludi* Circenses: et statim novum bellum oriri *inter* Romanos, et senem Tatium et Cures austeros. Postea iidem reges, *relicto* prælio, erant ante altaria Jovis, armati et ferentes pateras: et sanciebant inter se pacem ictâ porcâ. Non longè hinc quadrigæ concitatæ in oppositas *partes* dilacerabant Metium: (tu verò, Albane, *debuisses* stare pactis:) et Tullus per sylvam trahebat viscera hominis *illius* perjuri, et sentes stillabant tincti sanguine. Præterea Porsenna jubebat *Romanos* admittere Tarquinium

ut pars Sabinorum Romanam in urbem Curibus commigrarent, in ea Tatius ac Romulus regnarent, urbs quidem a Romulo *Roma*, populus a Curibus *Curites* seu *Quirites* dicerentur. De *Curibus*, Æn. 6, 809.

641. *Cæsâ porcâ.*) Hanc formulam jungendi fœderis affert Livius, l. 1, quam tamen Hostilio Tullo, tertio Romanorum rege, antiquiorem fuisse innuit. Fecialis, minister sanciendi fœderis, sic aiebat: *Si prior defecerit publico consilio, dolo malo: tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito; ut ego hunc porcum hodie feriam. Id ubi dixit, porcum silice percussit.* Inde fœdus *ictum* dici solet.

642. *Metium in diversa*, etc.) Cùm Tullus Hostilius, tertius Romanorum rex, Albanos imperio suo subdidisset; susceptoque adversùs Fidenates bello, Metius Suffetius Albanorum dictator Romanos in pugna deseruisset, Tullus victor eum duobus curribus per quadrigas in diversa raptis illigari ac discerpi jussit; Albanam urbem dirui, cives Romam traduci.

646. *Tarquinium*, etc.) Tarquinius superbus, rex sep-

Accipere, ingentique urbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis

expulsum, et cingebat urbem magnâ obsidione. Romani currebant ad arma pro libertate. Videres illum *Porsennam* similem irato et similem minanti, *ideo* quia Cocles audebat diruere pontem, et Clœlia trajiciebat flumen catenis fractis. In suprema *parte clypei* Manlius, defensor arcis

timus, ob sua filiique scelera pulsus est, Bruto et Collatino ducibus : Porsenna rex Etruscorum eos reducere aggressus, Janiculum, partem urbis ad occidentalem Tiberis ripam, eidem ponte junctam Sublicio, occupavit.

650. *Cocles.*) Etruscis in orientalem urbis partem irrumpere parantibus, Horatius Cocles, qui fortè positus in statione Sublicii pontis fuerat, solus iis obstitit in ipso pontis aditu, dum Romani a tergo pontem interrumperent. Quo diruto, armatus in Tiberim desiluit, et multis super incidentibus telis tranavit salvus ad suos.

651. *Clœlia.*) Cùm de pacis conditionibus ageretur, datæque essent Porsennæ regi puellæ obsides, ut exercitum e Janiculo deduceret; Clœlia virgo, una ex obsidibus, frustrata lavandi prætextu custodes suos, eorum equis conscensis, cum ceteris virginibus tranavit Tiberim; et repetita a rege, eidemque reddita, iterum ab eo propter virtutis miraculum libera dimissa est cum iis obsidibus quas voluit ipsa eligere. Hanc equestri statuâ Romani donaverunt.

652. *Tarpeiæ Manlius*, etc.) Anno U. C. 364, Galli Senones, Brenno duce, cùm fusis ad Alliam fluvium Romanis captâque urbe Româ, Capitolium obsiderent, et noctu in muros per præcipitia adreperent; anseres, Junoni sacri, quibus in summa fame obsessi pepercerant, clangore suo milites excitavêre : hi Gallos repulerunt, Marco Manlio duce, qui triennio ante consulatum gesserat. Galli deinde, post septem mensium obsidionem, pacem ingenti auri pondere cùm pacti essent, a M. Camillo Dictatore superveniente cæsi sunt et urbe pulsi. De *Tarpeio* seu *Capitolino* monte, ubi arx et templum Jovis, suprà, v. 347.

Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat;
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hîc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis;

Tarpeiæ, erat ante templum, et servabat altum Capitolium; et domus *adhuc* nova rigescebat paleis Romuli. Et illic anser *ex* argento, volans *in* aureis porticibus, monebat *cantu* Gallos accedere ad portas: Galli accedebant per sentes, et *jam* occupabant arcem, tuti tenebris et munere noctis caliginosæ. Illis *erat* aurea coma, et vestimen-

654. *Romuleoque recens*, etc.) Casa Romuli multiplex fuit, *in* Palatino monte una, ut monet Dionys. l. 2; altera in Capitolino; eaque, ut ferebant mores temporis, stramento et paleis tecta: quæ Ovidii, Senecæ, ac Vitruvii tempore adhuc supererat, et ad monumentum priscæ frugalitatis colebatur. Ovid. Fast. 3, 183; Senec. controv. 9; Vitruv. l. 2, c. 1. *Recens* dicitur, ratione sculpturæ: quia cùm recens a Vulcano sculpta esset et ex auro efficta, videbatur fulgore suo referre rutilum quemdam horrorem recentium palearum, quibus tegebatur.

659. *Aurea cæsaries*, etc.) Habitus et arma Gallorum. I. *Aurea coma*: describuntur enim a Livio et aliis comæ Gallorum promissæ et rutilatæ, seu flavæ. II. *Lactea colla*: candido etiam colore insignes fuisse prædicantur, unde et nomen habuisse a γάλα, *lac*. III. *Aurea vestis*, quàm hîc multi sumunt pro *barba*, quia Lucretius, l. 5, 672, dixit *impubem molli pubescere veste*. Potest tamen intelligi de veste interiore, cui sagula super inducta essent. IV. *Sagula*. Fuerunt *chlamys*, *sagum*, *paludamentum*, ejusdem propè formæ vestes exteriores, breviores, apertæ, fibulâ circa dextrum humerum annexæ: sed *paludamentum* proprium imperatorum et longius; *sagum et chlamys*, militum et brevius. Quidam volunt *saga*, vel *sagula* Gallorum, habuisse manicas, et fibulatas fuisse vestes; sed instar tunicæ inductas, apertas tamen ante pectus. *Virgata sagula* dicuntur: id est, virgis sive segmentis distincta versicoloribus, et in longum variâ serie porrectis. V. *Torques* aurei, e collo penduli: quos apud Gallos in usu etiam

Virgatis lucent sagulis : tum lactea colla
Auro innectuntur : duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hîc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo
Extuderat : castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit

tum aureum ; splendebant sagis virgatis : præterea colla candida cingebantur aureis *monilibus* : unusquisque librat manu duo gæsa Alpina, tecti clypeis longis *secundùm* corpora. Inde sculpserat Salios saltantes, et Lupercos nudos, et acumina *pileorum* lanea, et scutula emissa *e* cœlo : ibant ad sacrificia per urbem pudicæ matronæ in vehiculis pensilibus. Procul hinc adjicit quoque infernas plagas,

militari fuisse, patet ex Manlio Torquato, qui nomen hoc obtinuit ob detractum in pugna Gallorum duci torquem, Æn. 6, 825. VI. *Gæsa* : hastæ longiores, sed leves et exiles, quæ binæ unâ manu ferri poterant. *Alpina* dicuntur : vel quia e ligno Alpinarum arborum : vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes habitabant. VII. *Scuta longa* non clypei : *clypeus* enim rotundus est, *scutum* longius multò, quàm latius.

664. *Lanigerosque*, etc.) De *Saliis*, suprà, v. 285. De *Lupercis*, v. 343. Sacerdotes porrò, præcipuè flamines, pileos gestabant oblongos, quorum ex fastigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata : quod si per æstatem gestare pileum molestiùs ducerent, filo illo caput circuibant, quod nefas esset eos nudo esse capite : hinc *Flamines* dicti, quasi *Filamines* : et lana illa, *apex*, ab *apo*, quod est ab ἅπτω, *ligo*.

Lapsa ancilia, etc.) Scuta brevia, quasi *amcisa*, id est, *circumcisa*, quod ovali figurâ essent absque angulis. Ovid. Fast. 3, 377 : *Atque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est : quemque notes oculis, angulus omnis abest.* Horum unum, regnante Numâ, decidisse dicitur e cœlo ; et edita vox : Omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Ideo Mamurius Veturius auctor fuit, ut ejusdem modi fierent plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. Quod factum est, omniaque in sacrario Martis reposita, sub custodia Saliorum, qui certis diebus efferebant ea pulsabantque per urbem, ac deinde recondebant. Ovid. loco citato, etc.

666. *Pilentis matres*, etc.)

Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
Et scelerum pœnas; et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo furiarumque ora trementem;
Secretosque pios, his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant cœrula cano:
Et circum argento clari delphines in orbem

profundos aditus Plutonis : et supplicia criminum, et te, o Catilina, suspensum *ex* imminente scopulo, et metuentem vultus Furiarum ; et pios segregatos *ab impiis*, et Catonem his dicentem jus. Inter hæc apparebat latè ex auro species inflati maris, at *aquæ* cœruleæ spumabant fluctu albo : et delphines circum lucidi argento agitabant in or-

Cùm Camillus aurum Apollini Delphico vovisset, bello Veienti, nec auri satis reperiretur; matronæ nobiles aurum illud ex muliebri mundo contulerunt : ob eamque munificentiam, is honor iis est habitus, ut *pilento* ad sacra ludosque veherentur. Ita Livius an. circiter U. C. 362. De *pilenti* vehiculi forma nihil reperio.

667. *Tartareas sedes*, etc.) De *Tartaro*, Æn. 6, 134. De *Dite*, Plutone, Georg. 4, 467. De *ostiis* inferorum, Æn. 6, 237.

668. *Catilina.*) *L. Sergius Catilina*, patriciâ familiâ vir, cùm bis in petitione consulatûs repulsam tulisset, de cæde consulum et senatûs, de incendenda urbe, opprimendaque republica conjuravit cum nobilissimis aliis compluribus viris : deprehensus a Marco Tullio Cicerone tum consule, urbe excedere coactus est; ejus socii Publius Lentulus et C. Cethegus prætores in carcere præfocati sunt; ipse commissâ in agro Pistoriensi pugnâ victus et interfectus est, duce C. Antonio, Ciceronis collegâ. Anno U. C. 691. De *Furiis*, Georg. 3, 552.

670. *Catonem*, etc.) Non majorem, sed minorem : si quidem Catilinæ et eorum temporum hic mentionem facit, quæ propiùs attigit minor Cato. De utroque, Æn. 6, 841. Hunc præficit juri dicundo apud pios homines in Elisiis campis, ob severam virtutem; non ut eum irrideat, quasi hostem Julii Cæsaris, ut putat Cerdanus, aliique.

673. *Delphines*, etc.) De *delphinibus*, Æn. 3, 427. De *Actio* promontorio Epiri, et *victoria* ibidem ab Augusto relata, ibid. v. 270, 280. De *Leucate*, ibidem monte et insula, v. 274. De *Augusto*, Octaviani cognomine, Æn. 6, 792. De *Pe-*

Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat : totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populoque, Penatibus, et magnis Dis,
Stans celsa in puppi : geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte aliâ, ventis et Dîs Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens : cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata coronâ.

bem mare caudis, et scindebant fluctus. In medio *mari* videre erat classes æratis *proris*, certamina Actiaca : et aspexisses totum Leucaten fervescere pugnâ ordinatâ, et undas resplendere argento. Hinc *erat* Augustus Cæsar ducens ad pugnam Italos, cum senatoribus, et populo, et Penatibus, et magnis Diis, erectus in puppe sublimi : cui caput lætum emittit geminas flammas, et paterna stella apparet *in* capite. Aliâ parte *erat* Agrippa, Diis et ventis propitiis, sublimis, impellens aciem : cui caput radiat rostra-

natibus, Æn. 2, 717. De *magnis Diis*, Æn. 3, 12.

680. *Tempora flammas vomunt.*) Aliqui referunt ad galeam, cujus conus cristas habebat flammivomas, ut v. 620. Alii ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum. Alii ad Augusti oculos, quos acres imprimis et igneos fuisse testatur Suetonius.

681. *Patrium vertice sidus.*) Stella Julii Cæsaris; quæ, quia ejus in morte effulserat, pro eo habita est, ideo ejus simulacris in capite imposita, Ecl. 9, 46.

682. *Agrippa.*) *M. Agrippa*, omnium Augusti operum ac victoriarum administer, præcipuè Actiaco bello. Ter consul fuit, consors tribunitiæ potestatis cum Augusto, gener ejusdem, et adoptione filius. Obiit anno U. C. 742.

684. *Rostrata corona*, etc.) Corona navalis aurea, in speciem rostrorum navalium conformata, data rarò : primùm a Pompeio Magno M. Varroni, bellis piraticis : secundò ab Augusto M. Agrippæ, bellis Siculis adver-

Hinc ope barbaricâ variisque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis et litore rubro
Ægyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque, nefas! Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor.

tum navali coronâ, *quod est* nobile monumentum victoriæ. Inde Antonius victor diversis bellis et auxilio barbarorum, adducit secum Ægyptum, et robora Orientis, et extrema Bactra, ab *usque* gentibus Auroræ et mari Rubro; et, *proh* scelus! uxor Ægyptia sequitur *ipsum*. Omnes *videntur* simul irrumpere, et totum mare spumare commotum

sùs Sextum Pompeium, quæ ille confecit extremâ ad fretum Siculum pugnâ, anno U. C. 718. Plin. l. 16, 4.

686. *Victor, ab Auroræ*, etc.) *M. Antonius*, omnium Julii Cæsaris expeditionum socius, ejusdem in dictatura magister equitum, consul, anno U. C. 710, quo Cæsar occisus est: ac deinceps triumvir cum Octaviano ac Lepido: multa eo in magistratu crudeliter egit; Brutum et Cassium, conjunctis cum Octaviano copiis, vicit: mox ad bellum Parthicum et administrandum orientem profectus, Parthos quidem vicit per Ventidium, qui anno 716, de illis triumphavit: sed ipse ab iisdem affectus variis cladibus, in Ægyptum secessit, amore Cleopatræ, Ægypti reginæ, quam cùm orbis terrarum reginam constituere meditaretur, hostis a Senatu judicatus, victus est ab Octaviano apud Actium, Epiri promontorium, anno U. C. 723: sequente anno captâ ab eodem Octaviano Alexandriâ, sibi ipse mortem intulit: Cleopatra cùm Octavianum irretire amore suo non potuisset, verita ne in triumphum duceretur, aspidis inter ficus delitescentis punctu sibi mortem accersivit. *Auroræ populos* vocat orientales. *Litus rubrum*, accolas maris Rubri: quod Arabiam ad occidentem et meridiem alluit; et in sinum influens, Asiam ab Africa separat, Ægyptumque prætexit ab oriente. *Bactra, orum*, urbs est præcipua Bactrianæ regionis, inter Parthiam ab occidente, Indiam ab oriente, Sogdianam a septentrione, Asiam a meridie. Ex iis omnibus regionibus auxilia secum habuit Antonius.

Alta petunt, pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tantâ mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur: arva novâ Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.
Omnigenumque Deûm monstra, et latrator Anubis,

remis revolutis et rostris trifidis. Procedunt mari: diceres Cycladas erutas fluitare mari, aut excelsos montes congredi *cum* montibus: tanta *est* moles turritarum puppium *unde* homines imminent. Projicitur manu ignis in stupa, et spiculis volucre ferrum: campi Neptuni rubescunt novâ strage. In medio regina *Cleopatra* revocat acies patrio sistro: et nondum adhuc spectat a tergo serpentes duos. Et portenta Deorum omnis generis, et latrator Anu-

692. *Cycladas.*) Naves Antonii, magnitudine conspicuas, comparat cum insulis maris Ægæi *Cycladibus;* de quibus, Æn. 3, 74. Cùm autem dicat, *montes concurrere montibus altos*, innuit utriusque exercitus naves mole ac turribus fuisse insignes: at præcipuam fuisse Antonianarum molem consentiunt historici. De *Neptuno*, Æn. 1, 129.

696. *Patrio sistro.*) *Sistrum*, æreum crepitaculum, Ægyptiorum proprium, instar reticuli quo pilæ per ludum impelluntur, hoc ferè modo compactum erat. Ærea lamina in ovalem figuram inflexa desinebat in manubrium: hanc laminam tres quatuorve fidiculæ, item æreæ, hinc inde trajiciebant, laxis foraminibus insertæ: ita ut, quoties sistrum manubrio commovebatur, fidicularum capita crebro affrictu ad laminam allisa tinnitum ederent. Sistri usus præcipuus erat in sacris Isidis, Ægyptiæ Deæ, cujus simulacra sistrum aliquando manu præferebant. Atque ejus quidem crepitaculi sonum levem fuisse necesse est; neque satis canorum aut gravem, ut naves a prælio revocare posset: quare hoc a Virgilio dictum puto per ironiam, ut est a Propertio quoque de Cleopatra dictum, l. 3, 9, 41: *Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubium, et Tiberim Nili cogere ferre minas, Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.*

698. *Omnigenumque Deûm* etc.) Cicero, de Nat. l. 3, 39: *Omne ferè genus bestia-*

Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cœlatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
Et scissâ gaudens vadit Discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis

his ferunt arma adversùs Neptunum et Venerem, et adversùs Minervam: Mars exsculptus ferro sævit in medio prælio, et funestæ Furiæ ex aere, et Discordia incedit gaudens lacerâ pallâ, quam Bellona sequitur cum flagro cruentato. Actiacus Apollo videns ista tendebat arcum ex alto: hoc metu tota Ægyptus, et Indi, omnis Arabs, omnes Sabæi convertebant dorsum. Ipsa regina videbatur præbere

rum Ægyptii consecrârunt. Plutarchus numerat *felem*, *gryphem*: Plinius, *scarabæos*: Prudentius, *simiam*: alii alias. Præcipua tamen eorum nomina *Osiris* rex, ejusque uxor *Isis*: et *Anubis*, eorum vel filius, vel miles, vel satelles: ideo canino capite depictus, quia vel regem fide custodiebat, vel venator erat; vel ejus, quasi canis indagantis, operâ Isis usa est, in investigandis mariti membris, a Typhone fratre discerptis. Vide Vossium, *de Idol.* l. 1, 27. De *Neptuno*, Æn. 1, 129. De *Venere*, ibid. 260. De *Minerva*, Æn. 2, 31. De *Mavorte*, Marte, Ecl. 9, 12.

701. *Ex æthere Diræ.*) *Furiæ*, de quibus, Æn. 6, 572. *Ex æthere*: tum quia volantes illic exsculptæ erant: tum quia apud superos præsertim dicuntur *diræ*, Æn. 3, 211.

702. *Scissâ Discordia pallâ.*) Ut ipso habitu vim exprimat suam, quâ dividit animos, fœdera disrumpit, etc. De *Bellona*, Martis sorore, Æn. 7, 319. De *Apolline*, cui sacrum erat *Actium* promontorium, Æn. 3, 275. De *palla*, pallio muliebri, Æn. 1, 652.

705. *Indi*, etc.) Vel veri *Indi Asiæ*: siquidem posuit *Bactrianos* in auxiliis Antonii. Vel *Æthiopes*, Ægyptiis vicini, quos ab veteribus *Indos* etiam dictos esse ostendimus, Georg. 2, 171. *Arabes* ad orientem Ægypti; *Sabæi*, Arabes ad meridiem Arabiæ felicis, Georg. 1, 57.

Vela dare; et laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter cædes, pallentem morte futurâ,
Fecerat Ignipotens undis et Iapyge ferri:
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et totâ veste vocantem
Cœruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Dîs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.

vela ventis invocatis, et quamprimum laxare funes *navium* solutos. Vulcanus fecerat illam inter strages, pallidam nece imminente, provehi fluctibus et Iapyge *vento*: ex adverso autem Nilum dolentem magno corpore, et aperientem plexus *suos*, et totâ veste *expassâ* invitantem victos in sinum *suum* cœruleum et fluenta latebrosa. Sed Cæsar ingressus Romanos muros triplici triumpho, referebat Diis votum perenne, *nempe* trecenta templa ingentia per

710. *Iapyge.*) Vento, qui ab Apulia, Italiæ maximè orientali parte, flat rectà in orientem, ideoque in Ægyptum. Dicitur *Iapyx* ab ipsa Apulia, quæ sic priùs dicta fuit ab Iapyge, filio, juxta Plinium, Dædali; juxta Liberalem, Lycaonis. De *Nilo*, Ægypti fluvio, Georg. 4, 287.

714. *Triplici... triumpho.*) Cæsar Octavianus, devictis imperii sui æmulis, tribus continuis diebus Romæ triumphavit, anno U. C. 725. Primo quidem die, de Salassis, Alpinis populis, Dalmatis, Illyriis, Pannoniis: quos statim post oppressum Sext. Pompeium vicerat annis 719 et 720, partim per legatos, partim per se ipse: præcipuè Dalmatas, quo bello vulneratus fuerat. Altero die, de Cleopatra, apud Actium in Epiri litore superata, deque Macedonia, anno U. C. 723, mense Septembri. Tertio de Ægypto, post necem Antonii et Cleopatræ captamque Alexandriam subactâ, anno U. C. 724, mense Sextili: unde Octavianus postea, idemque mensis, Augusti nomine insigniti sunt, an. 727, Januar. mense.

715. *Diis Italis votum immortale*, etc.) *Trecenta*, id est, multa templa, quæ belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit: immortalia pietatis suæ monumenta. De *delubris*, Æn. 2, 225.

Lætitiâ ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi stravêre juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis et armis.

totam urbem. Viæ resonabant gaudio et ludis ac plausu: chorus matronarum *erat* in omnibus templis, et altaria *in* omnibus; ante altaria mactati juvenci tegebant terram. Ipse *Augustus*, sedens in nivea porta candidi Apollinis, considerat munera populorum et accommodat *ea* ad postes; nationes subactæ progrediuntur longâ serie, tam diversæ sermone, quàm more vestium et armis. Hîc Vulcanus

720. *Candentis limine Phœbi.*) Templo Apollinis, quod jamdiu inchoatum in Palatio, tandem cum Bibliotheca dedicavit, anno U. C. 726. Nondum igitur perfectum erat triumphi tempore: sed poeta ob vicinitatem temporum utrumque conjungit. *Candentis Phœbi*: e candido marmore Pari insulæ: nam Plinius, l. 36, 5, ait Augustum in Palatina æde Apollinis posuisse signa, Bupali et Antermi, Chiorum fratrum opere perfecta: qui candido tantùm ac Pario marmore utebantur.

721. *Dona recognoscit populorum*, etc.) *Coronas aureas*, quas victoribus Romanis imperatoribus et sociæ et vectigales provinciæ gratulationis ergo mittebant; non verò victæ gentes ad redimendam vitam, ut fabulatur Servius. Tales juxta Livium Quinctius Flamininus prætulit in triumpho centum quatuordecim: Scipio Asiaticus ducentas triginta quatuor: Julius Cæsar juxta Appianum bis mille octingentas viginti duas. Coronarum loco pecunia deinceps ab imperatoribus exacta est, quod *aurum coronarium* dicebatur. Talem exegit Cæsar ab ipsa urbe Roma, cùm ex Asia, victo Pharnace, rediisset: ex Dione, l. 42. Plerumque offerebantur deinde coronæ illæ Diis, præcipuè Jovi Capitolino: Cæsar suas post triumphum vendidit, confectamque inde pecuniam militibus distribuit. Octavianus, juxta Dionem, ex Italiæ civitatibus noluit accipere: alias quas a sociis accepit, postibus templorum videtur appendisse, juxta Virgilium.

Hîc Nomadum genus, et discinctos Mulciber Afros,
Hîc Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos

sculpserat nationes Nomadum, et Afros discinctos : hîc Lelegas, et Caras et Gelonos sagittis armatos. Euphrates

724. *Hic Nomadum genus.*) Triumphos Octaviani describit, qua in pompa subactarum gentium captivi duces currum subsequebantur. I. *Nomadæ*, vel *Numidæ* : Africana gens, ad occidentem Carthaginis, quorum caput *Cirta*, nunc *Constantina* : ob pastoralem vitam ita dicti a νομὴ, *pastus*. II. *Afri discincti* : id est, vel *ignavi*, et labori minimè assueti ; quia quî se ad opus parant, accingunt vestem altiùs : vel reverà *fluentibus vestibus induti* : hunc enim fuisse habitum Afrorum innuit Milphio Plauti, sîc Pœnum alloquens in Pœnulo, act. 5, sc. 2, v. 48 : *Tu qui zonam non habes, quid in hanc venistis urbem, aut quid quæritis?* III. *Geloni* : populi vel Scythiæ, vel Thraciæ, Georg. 1, 115. IV. *Leleges* : vagi Asiæ minoris populi, qui ab Homero ad meridiem Æolidis circa sinum Adramyttenum collocantur : ab aliis cum Caribus confunduntur, aut eis ut socii permiscentur. V. *Cæres*, regionem occupant Asiæ, ad meridiem Ioniæ, ad occidentem Lyciæ, ad septentrionem Doridis, nunc *Aidinelli*. VI. *Morini*, populi in ea parte Belgicæ Galiæ, quæ proximè ad Britanniam magnam accedit, et ad fretum quo Britannicus oceanus cum Germanico committitur : unde *extremi dicuntur* in ea parte : horum caput fuit Tarvanna, *Terouanna*, nunc diruta, in Picardiæ et Artesiæ confinio. De Morinis triumphavit Caius Carinas, eodem anno ac die quo primum triumphum duxit Octavianus. VII. *Daæ*, vel *Dahæ* : Scythicum genus dicuntur a Stephano : et a Pomponio Mela collocantur in Asia, non longè a Scythis, circa Oxum fluvium : inter Bactrianos et Sogdianos : quod si ita est, fuerunt illi inter Augusti captivos cum Bactrianis, Antonii sociis. VIII. *Euphrates*, fluvius Armeniam et Mesopotamiam alluens : de eo Georg. 1, 509. Quid apud illum gesserit Octavianus, Georg. 4, 561. IX. *Rhenus bicornis;* de eo, Ecl. 10, 47. Hunc belli causâ trajecisse secundus Romanorum Agrippa dicitur a Dione, et triumphum tamen neglexisse, anno U. C. 717. X. *Araxes*, ex Armeniæ montibus per Mediam in mare Caspium influens, placido primùm fluxu ; sed ubi in

Finxerat. Euphrates ibi jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clypeum Vulcani, dona parentis,
Miratur : rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque et fata nepotum.

fluebat jam mitior fluctibus, et Morini ultimi hominum, et Rhenus bicornis, et Dahæ *antea* invicti, et Araxes impatiens pontis. *Æneas* admiratur in clypeo Vulcani talia munera matris *suæ*, et lætatur species rerum *quas* ignorat, imponens humero et gloriam et famam posterorum.

asperiora devenit, ingenti impetu ac fragore : ut habet Pomponius Mela, l. 3, 5. De ejus pontibus ita Servius : *Quem pontibus nixus est Xerxes conscendere; vel cui Alexander magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt : quem postea Augustus firmiore ponte ligavit.* At de ponte quidem Alexandri loquitur Isidorus, l. 13, 21.

Mulciber.) Vulcanus, ita dictus a *mulcendo* ac temperando ferro.

730. *Ignarus.*) Quamvis enim his imaginibus delectabatur, tamen quid illæ repræsentarent cognoscere non poterat.

ÆNEIDOS

LIBER NONUS

ARGUMENTUM.

Ænea conquirendis auxiliis apud Arcadas ac Tuscos occupato, Turnus admonetur a Junone per Iridem, ut in castrensia novæ Trojæ munimenta

impetum faciat. Trojanis, ex Æneæ præscripto, non egredientibus ad pugnam, Turnus eorum naves, oppidi lateri admotas, parat incendere, sed illæ, cùm ex Idææ sylvæ materia fabricatæ olim fuissent, Idææ matris beneficio mutantur marinas in Nymphas: tùm, nocte imminente, circa oppidum excubiæ disponuntur. Interim Trojani, de revocando per nuntios Æneâ solliciti, dùm inter se consultant, Nisus et Euryalus, par nobile amicorum, ultro suscipiunt hanc provinciam: laudati ab Ascanio, dimissique cædem Rutulorum noctu magnam faciunt; eorumque spoliis induti dum pergunt porro, a Latinis equitibus obviis occiduntur: capita hastis affixa, et in castris erecta, agnoscuntur procul a Trojanis, et ingentem in oppido luctum excitant, præsertim matris Euryali. Turnus oppugnationem manè instaurat. Ascanius Numanum insolentiùs illudentem, emissâ e muris sagittâ, configit. Quo successu elati Pandarus et Bitias portas recludunt, et Rutulos subeuntes magnâ strage propellunt. Turnus facto impetu tandem irrumpit; sed clausis portis hostium multitudine circumventus, paulatim recedit in eam oppidi partem quam Tiberis alluebat, et ut erat armatus in flumen desiliens, ad suos natatu revertitur.

Atque ea diversâ penitus dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum fortè parentis

Ac dum ista fiunt in regione longè remota, Juno filia Saturni misit e cœlo Irim ad audacem Turnum. Turnus

1. *Diversâ parte.*) In Etruria apud urbem Cære, Æn. 8, 479. De *Iride, Thaumantis filia*, Æn. 4, 700.

3. *Parentis Pilumni.*) At Pilumnus dicitur, Æn. 10, 76, Turni *avus*: ibid. 619, Turni *quartus pater*, id est, *abavus*. Igitur: vel *parens* sumitur hic generatim, quomodo dicimus *parentes majoresque*, quocumque gradu

Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.
Æneas, urbe et sociis et classe relictâ,
Sceptra Palatini sedemque petivit Evandri.
Nec satis: extremas Coriti penetravit ad urbes,
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus:
Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra.

fortè quiescebat tunc apud sylvam Pilumni abavi, *in* valle sacra. Ad quem filia Thaumantis ita locuta est ore roseo: Turne, ecce tempus revolutum exhibuit sponte *id*, quod nullus Deorum auderet polliceri *tibi* cupienti. Æneas, relictâ urbe et sociis et navibus, adivit regnum et regionem Evandri Palatini. Nec *id* satis *est*: ivit ad ultimas urbes Coriti: et armat multitudinem Tyrrhenorum, rusticos congregatos. Quid deliberas? jam tempus *est* vocare equites et currus: amputa omnem moram, et invade castra

distent a nobis: vel, ut ait Servius, *Pilumnus* commune fuit familiæ cognomen a primo Pilumno derivatum in posteros, ut Cæsarem, a primo Cæsare. Sto in prima sententia: quia solus Pilumnus, caput gentis, Deus habitus est, ut locis illis videbimus; ideoque luco seu sylvâ sacrâ donatus.

4. *Sedebat.*) Vel *feriabatur* ad ejus tumulum: scripsit enim Cicero, de Leg. l. 2, 55: *Danicalibus feriis resideri mortuos.* Ita Turnebus. Vel simpliciter *otiabatur*. Ita Donatus. Vel *deliberabat* secum de rerum suarum statu.

9. *Palatini*, etc.) De *Evandro Palatini* montis incola, Æn. 8, 51. In eo monte deinde structa est Roma, in eo Romulus unam e pluribus suis habuit domum, Cæsar quoque Octavianus habuit suam: unde imperatorum ædes, ubicumque essent, *palatia* vocata sunt.

10. *Coriti*, etc.) Urbs est Tusciæ, a Corito rege fundata, nunc *Cortona*, Æn. 3, 170. De *Lydis*, Tusciæ colonis de Lydia, Æn. 2, 781; Æn. 8, 479.

13. *Castra.*) Novam Trojam, tumultuario opere munitam ab Ænea, ad ostium orientale Tiberis, Æn. 7, 157.

Dixit, et in cœlum paribus se sustulit alis,
Ingentemque fugâ secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repentè
Tempestas? medium video discedere cœlum,
Palantesque polo stellas: sequar omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus, ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans; oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictai vestis, et auri.
Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrheidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus

territa. *Sic* locuta *est*, et alis æqualibus extulit se ad cœlum, et *in* fuga signavit magnum arcum sub nubibus. Juvenis *Turnus* agnovit *eam* et porrexit ambas palmas ad astra, et prosecutus est abeuntem talibus verbis: O Iri, ornamentum aeris, quis misit te lapsam e nubibus ad me in terras? unde subitò hæc facies *cœli* tam splendida? cerno medium cœlum hiare, et sidera errantia cœlo. Parebo tantis monitis, quicumque *Deorum* hortaris me ad bellum. Atque ita locutus, progressus *est* ad fluvium, et extulit e superficie fluvii aquam, multa petens a Diis; et replevit cœlum votis. Et jam totus exercitus procedebat agris patentibus, frequens equis, abundans vestibus versicoloribus et auro. Messapus regit prima agmina, filii Tyrrhei ultima: Turnus rex excurrit in medio exercitu, attollens arma, et excedit *alios* toto capite. Veluti profundus Ganges crescens cum silentio septem fluviis placidis: aut *ve-*

23. *Hausit de gurgite lymphas.*) Ut lotis manibus puriùs precaretur. Sic Æneas, Æn. 8, 69. De genitivo *pictai*, Æn. 3, 351. De *Messapo*, Æn. 7, 691. De *Tyrrheo*, et ejus filiis, ibid. 485.

30. *Ceu septem surgens*, etc.) *Ganges*, fluvius mediam Indiam intersecans, ac duas in partes dividens: influens in Oceanum meridionalem uno quidem ostio: sed cui tam multæ objacent

Per tacitum Ganges : aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus :
Quis globus, o cives, caligine volvitur atrâ?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest, eia. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas : si qua interea fortuna fuisset,
Ne struere auderent aciem, neu credere campo :
Castra modò et tutos servarent aggere muros.

luti. Nilus fecundis aquis, quando refluit *ex* agris, et jam inclusit se *suo* alveo. Tunc Trojani procul vident nimbum repentinum colligi *ex* obscuro pulvere, et caliginem induci *in* agros. Primus Caicus vociferatur ex aggere opposito : O cives! quantus globus nigræ caliginis accedit *ad nos?* afferte arma celeres, date spicula, conscendite mœnia : hostis instat, agite. Omnes Trojani *cum* magna vociferatione includunt se intra portas, et replent munimenta. Quippe Æneas peritissimus militaris *rei* sic abiens jusserat : si casus aliquis *ejusmodi* contingeret, interim *dum aberat*, ne auderent ordinare exercitum, neve committere *in* campum : tantummodo tuerentur castra et muros defensos munimentis. Itaque, licèt

insulæ, ut ostium illud, insulis intercisum, multiplex dici possit. Nili modo exundare certis temporibus dicitur apud Solinum, c. 55. De *Nilo*, ejusque septem ostiis et benefica exundatione. Georg. 4, 287. Comparat igitur Virgilius Turni exercitum e multis Italiæ populis, qui priùs dispersi per agros vagabantur, nunc in unum collecti instructâ acie incedunt non sine majestate et silentio, cum his duobus fluviis, non exundantibus quidem, sed post exundationem e campis in alveum refluentibus. Quidem voces illas, *septem surgens sedatis amnibus*, non de septem ostiis, quibus Ganges descendit potiùs in mare, quàm *surgit*, sed meliùs explicant de fluviis compluribus qui in eum influant, et quorum societate intumescit ac verè *surgit* : quo sensu *septem* erit pro incerto quolibet numero, qui sæpe a poetis per *septenum* aut *centenum* exprimitur.

Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut antevolans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus; et urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristâque tegit galea aurea rubrâ.
Ecquis erit mecum, o juvenes, qui primus in hostem?
En, ait: et jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono. Teucrûm mirantur inertia corda:
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.

pudor et furor hortentur *eos* conserere manus; tamen opponunt portas, et exequuntur mandata *Æneæ*, et armati exspectant hostem in mediis turribus. Turnus, cùm antecurrens prægressus esset lentiorem turmam, stipatus viginti equitibus electis; ita *ad* urbem accessit inexpectatus: Thracius equus maculosus albo fert eum, et cassis aurea inumbrat cristis rubris. O juvenes, inquit, quis erit vestrûm, qui primus in hosten *irruet* mecum? ecce. *Sic* ait, et evibrans jaculum projicit in aerem, *quasi* initium prælii: et altus immittit sese in campum *junctum urbi*. Socii succedunt *ei cum* clamore, et sequuntur ululatu terribili. Mirantur desides animos Trojanorum: homines *illos* non exhibere se in æquam planitiem: non inferre arma opposita, sed insidere castris. *Turnus* iratus huc et illuc circuit equo muros, et vestigat in-

49. *Thracius.*) De *equo* ejusdem modi, Æn. 5, 566. De *Thracia* equorum feracæ, Æn. 3, 14. De *cristis galearum*, Æn. 3, 468.

56. *Æquo campo.*) Vel *plano*: vel potiùs, *ubi pari periculo, pari pugnæ modo* decertare possent. De verbo *lustro* pro *circumeo*, Æn. 1, 612.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media, tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et improbus irâ
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
Ignescunt iræ, et duris dolor ossibus ardet:
Quâ tentet ratione aditus, et quâ via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circum et fluvialibus undis,
Invadit, sociosque incendia poscit ovantes,
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum verò incumbunt: urget præsentia Turni,
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuêre focos: piceum fert fumida lumen

gressum per loca inaccessa. Et veluti quando lupus sub mediam noctem insidians ovili pleno frendet prope septa, passus ventos et pluvias; *tunc* agni securi sub matribus emittunt balatum: ille *verò* acer et percitus irâ furit adversùs absentes: furor edendi auctus ex longo *tempore*, et guttur sitiens sanguinis vexat *eum*. Non aliter furor inflammatur Rutulo, consideranti muros et castra, indignatio augescit *in* ossibus duris: quomodo quærat ingressum, et quâ *parte* via *aliqua* extrahat *ex* aggere Trojanos inclusos, et inducat *eos* in planitiem. Impugnat classem circum defensam munimentis et aquis fluvialibus, quæ latebat admota lateri castrorum: et vocat ad incendium. socios gaudentes, et *ipse* ardens armat manum pinu flammanti. Tunc autem dant se *operi*: præsentia Turni incitat *eos*, et omnis juventus armatur nigris facibus. Rapuerunt *titiones* e focis: tæda fumifera emittit ad sidera

60. *Caulas.*) *Caula*, stabulum ovium.

63. *In absentes.*) In agnos a seipso per septa disjunctos.

68. *In æquor.*) In campum: Æn. 2, 780.

70. *Aggeribus*, etc.) Situm describit novæ Trojæ, Æn. 7, 157. De *aggere*, infrà, v. 142.

75. *Focos.*) Quos excitaverant: ad accendendas ar-

Tæda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis Deus, o Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite: prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primùm Phrygiâ formabat in Ida
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat;
Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea sylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quò sacra ferebant,
Nigranti piceâ trabibusque obscurus acernis.
Has ego Dardanio juveni, cùm classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius angit.

lucem piceam, et ignis mixtam favillam. O Musæ, quis Deus abduxit a Trojanis incendia tam crudelia? quis depulit tantas flammas e navibus? dicite *hoc* : antiqua *est* certitudo *hujus* facti, tamen fama *ejus est* æterna. Tempore quo Æneas primùm struebat naves in Ida *monte* Phrygiæ, et parabat *se* ad eundum *in* extrema *spatia* maris; ipsa Berecynthia mater Deorum dicitur allocuta magnum Jovem his verbis : O fili, concede *matri* precanti, quod dilecta mater tua petit a te *post* cœlum subactum. Sylva pinea cara per multos annos fuit mihi, lucus in supremo vertice, umbrosus piceis opacis et truncis acernis, quem *in locum* inferebant sacrificia. Ego læta concessi has *arbores* Trojano juveni, quando indigebat navibus : nunc metus anxius habet me sollicitam. Expelle timores *meos*,

bores pinguis naturæ : quales sunt pinus, tæda, Eclog. 7, 49. Tamen tæda pro *qualibet face* sumi potest. De *Vulcano*, pro *igne*, Georg. 1, 295.

19. *Prisca fides, sed*, etc.) Etsi factum ob vetustatem multis subobscurum sit, fama tamen ejus non periit, sed vigebit semper. De *Ida*, Troadis monte, Æn. 2, 801. De *navibus Æneæ*, ibidem structis ad fugam, Æn. 3, 6. De *Berecynthia*, Cybele, Æn. 6, 784. De *arce*, pro *montis cacumine*, Georg. 4, 461. *Picea*, arbor resinam ferens, Georg. 2, 257. *Trabes Acernæ*, ex *acere* arbore, *bordo*.

Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem :
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur : prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi :
O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?
Mortali-ne manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta Deo permissa potestas?
Immo ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcumque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva;
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse Deas : qualis Nereia Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat : idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atrâque voragine ripas,
Annuit : et totum nutu tremefecit Olympum.

et permitte matrem hoc posse precibus *suis*: ne *naves illæ* deficiant, fractæ ullâ navigatione aut vi ventorum : prosit *ipsis*, *eas* natas *esse* in montibus nostris. Filius, qui volvit astra mundi, *respondet* illi ex adverso : O mater! quò vertis fata, aut quid rogas his *verbis*? an naves fabricatæ manu mortali obtinebunt jus immortalitatis? et Æneas securus adibit pericula dubia? cui Deo concessa *est* tanta facultas? ego potiùs quondam, postquàm functæ *iis periculis* attigerint terminos et portus Italos, quæcumque evitaverit fluctus, et tulerit principem Trojanum ad campos Laurentes; *huic* auferam speciem mortalem, et imperabo illas *esse* Deas vasti maris : qualis Doto filia Nerei, et Galatea scindunt pectore mare spumosum. *Sic* locutus *erat*, et id voluit *esse* certum, per fluvios fratris inferni, per ripas fluentes pice et nigro vortice : et commovit nutu to-

99. *Ausonias*, etc.) Æn. 10, 54. *Dardanium ducem*, Æn. 1, 239. *Laurentia arva*, Æn. 7, 63. *Doto*, *Galatea* : Nymphæ marinæ, Nerei filiæ : Ecl. 7, 37. De *Styge* fluvio, et cur Dii *per Styga jurare* soleant, Georg. 3, 551. De *Olympo*, Ecl. 5, 56. De *Parcis*, Æn. 1, 26.

Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita complerant, cùm Turni injuria matrem
Admonuit sacris ratibus depellere tædas.
Hîc primùm nova lux oculis effulsit, et ingens
Visus ab Aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori : tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet :
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus : maria antè exurere Turno
Quàm sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite, Deæ pelagi : genitrix jubet. Et sua quæque
Continuò puppes abrumpunt vincula ripis :
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum!)
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur,
Quot priùs æratæ steterant ad litora proræ.

tum cœlum. Ergo promissa dies advenerat, et Parcæ consummaverant tempus constitutum, quando impugnatio Turni movit matrem *Berecynthiam*, *ut* averteret faces a navibus *sibi* sacris. Tunc primum novum lumen illuxit oculis *Trojanorum*, et magna nubes visa *est* ab oriente trajicere cœlum, et *simul* chori Idæi : deinde vox terribilis emittitur per aerem, et implet turmas Trojanorum ac Rutulorum : O Trojani, ne properate tueri meas naves, et ne armate manus *vestras :* priùs permittetur Turno succendere mare : quàm pinus *mihi* dicatas. Vos ite liberæ, ite Nymphæ maris : mater *Deorum id* imperat. Et statim singulæ naves abscindunt *suos* funes e litoribus : et more delphinorum mersis rostris quærunt profundum mare. Deinde (prodigium admirabile!) referunt se totidem vultus puellares, et currunt mari, quot æratæ naves antea hæse-

112. *Idæique chori.*) *Corybantes*, *Curetes*, *Dactyli*, Cybeles ministri : qui cymbalis æreis ea in nube circa Cybelem perstrepebant, Æn. 3, 111.

114. *Ne trepidate.*) Vox illa non semper metum solùm significat, sed festinationem ac tumultuationem : ut patet ex Georg. 4, 69. De *Delphinibus*, Æn. 5, 594. De *proris navium æratis*, Æn. 3, 143. De *Tiberino*, Deo fluvii, Æn. 8, 31.

Obstupuêre animis Rutuli : conterritus ipse
Turbatis Messapus equis : cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro :
Trojanos hæc monstra petunt : his Juppiter ipse
Auxilium solitum eripuit : non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ : rerum pars altera adempta est :
Terra autem in manibus nostris : tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa Deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigêre quòd arva
Fertilis Ausoniæ Troes : sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge præreptâ. Nec solos tangit Atridas

rant ad litora. Rutuli animo horruerunt : ipse Messapus territus est equis commotis : fluvius quoque Tiberinus sistit raucum immurmurans, et refert cursum *a* mari. Non tamen repressa est confidentia Turni audacis. Ultro excitat verbis animos *suorum*, et ultro *eos* objurgat : Hæc prodigia spectant Trojanos : ipse Jupiter aufert illis subsidium consuetum : *naves* non exspectant arma nec incendia Rutulorum. Itaque mare jam impenetrabile est Trojanis, nec ulla spes fugiendi *superest ipsis* : pars altera mundi ablata est *ipsis* : terra verò *est* in potestate nostra ; tam multa *sunt* millia nationum Italarum *quæ* inferunt *iis* bellum. Nullatenus terrent me fatalia oracula Deorum, si Trojani prædicant aliqua pro se : satisfactum est fatis et Veneri, ex quo Trojani attigerunt agros fecundæ Italiæ : sunt quoque mihi fata mea adversùs *illa*, *nempe* evertere bello gentem impiam, *siquidem* erepta *est mihi* sponsa. Nec ista indignatio movet solos filios Atrei, aut licitum

130. *Rutulos.*) Æn. 7, 794. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

131. *Rerum pars altera.*) Inferioris orbis, qui ex aqua et terra conglobatur.

134. *Phryges.*) Trojani, qui per contemptum sic appellabantur, ob Phrygum mollitiem, Æn. 1, 385.

138. *Atridas.*) Atrei My-

Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est? peccare fuisset
Ante satis, penitus modò non genus omne perosos
Femineum. Quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, lethi discrimina parva
Dant animos: an non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu considere in ignes?
Sed vos, o lecti: ferro quis scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis

est solis Mycenis sumere arma. At *nonne* satis est *iis* semel periisse? satis esset, non adhuc omnino abhorrentibus a muliebri genere, peccâsse priùs. *Illi*, quibus hæc tutela aggeris interjecti, et fossæ *nos* remorantes, *quæ* parum disterminant *eos* a morte, augent audaciam: nonne viderunt muros Trojæ, structos manu Neptuni, collabi in flammas? at vos, o selecti *socii*, *dicite*: quis parat evertere ferro vallum, et quis impugnat mecum castra timida? non est opus mihi contra Trojanos armis Vulcani, non

cenarum regis, filios: *Agamemnona*, Æn. 3, 54; et *Menelaum*, Æn. 2, 264. Qui ob raptam a Paride Trojano Helenam, Menelai conjugem, Græciam universam in Trojanos concitarunt. De *Mycenis*, Peloponnesi urbe, Æn. 1, 288.

140. *Sed periisse semel*, etc.) Id est: *Nonne sufficit ipsis jam semel periisse, propter amorem feminarum*? Certè quicumque alii nondum odissent penitus omne genus femineum; iis satis fuisset peccare priùs: id est, *satis esset peccâsse priùs*: sive satis esset memoria prioris peccati et pœnæ, ut ab amore feminarum averterentur: non iterum idem peccarent, et novam sibi perniciem accerserent.

142. *Valli.*) Dicitur *vallum*, et *vallus*. *Vallum*, munimentum est, ex aggesta terra, quæ propriè *agger* dicitur: et sudibus sive palis, qui propriè dicuntur *valli*, quibus terra aggesta cohibetur. De *Trojæ muris a Neptuno fabricatis*, Æn. 2, 619.

148. *Armis Vulcani.*) Duo videtur dicere: et se non egere armis a Vulcano fabricatis, qualia Achilles habuit, Æn. 8, 383; nec se usurum proprio ense, quem habuit ipse Turnus, a Vulcano item confiatum, Æn. 12, 90. De *mille carinis* Græcorum, ad Trojam, Æn.

Est opus in Teucros : addant se protinus omnes
Etrusci socios : tenebras et inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant : nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palam certum est igni circumdare muros,
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei :
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur,
Purpurei cristis juvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos.

mille navibus : statim adjungant se *illis* omnes Tusci socios : ne metuant noctem, et ignavum furtum Palladii, occisis custodibus supremæ arcis : nec occultabimur in obscuro utero equi : ratum est cingere muros ignibus palam *de* die. Faciam ne existiment sibi negotium esse cum juventute Pelasga et Achivis, quos Hector protraxit *usque* ad decimum annum. Jam verò, siquidem optima pars diei lapsa est : quod restat, o viri, re feliciter inchoatâ, reficite hilares corpora, et parati exspectate prælium. Interim committitur Messapo cura collocandi ad portas stationes vigilum, et circumdandi munimenta ignibus. Quatuordecim Rutuli electi *sunt* qui observent muros cum militibus; illos verò singulos sequuntur centum juvenes purpurati, cristis et fulgentes auro. Divagantur, et succedunt *sibi* invicem, et projecti in gramina vacant compotationi, et exhauriunt

2, 198. De *Etruscis*, Æn. 8, 479. De *nocturno furto Palladii* Trojani, facto ab Ulysse, et Diomede; Æn. 2, 166. De *equo Trojano*, et Græcis eo inclusis, Æn. 2, 260. De *Danais*, Æn. 1, 34. De *Pelasgis*, Thessalis. Ibid. v. 628. De *Hectore*, Priami filio. Ibid. v. 487.

165. *Crateras.*) De iis poculis, Ecl. 5, 68.

Collucent ignes : noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent : necnon trepidi formidine portas
Explorant, pontesque et propugnacula jungunt :
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent ;
Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides ; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis :
Est juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana nec induit arma ;
Ora puer primâ signans intonsa juventâ.

pocula ærea. Micant ignes : vigiles transigunt noctem insomnem ludendo. Trojani prospiciunt ista desuper ex aggeribus, et servant armis summas *partes murorum* : præterea providi metu circumspiciunt portas, et firmant pontes ac propugnacula : *habent* arma expedita. Urgent Mnestheus et ardens Serestus : quos pater Æneas, si *res* adversæ aliquando *id* exigerent, jusserat esse moderatores juvenum et administros rerum. Quodlibet agmen, per sortem *exponens se* periculo, excubat per muros, et varias vices, *secundùm id* quod unicuique *contigit* servandum. Nisus, filius Hyrtaci, ardentissimus *in* bello, quem Ida venatrix dederat Æneæ comitem, promptum jaculo et *sagittis levibus*, erat custos portæ : prope eum *erat* Euryalus, quo nullus alius Trojanorum formosior fuit, nec tulit arma Trojana ; puer notans vultum imberbem primâ juventute. Erat

170. *Pontes et propugnacula.*) Pontes, et scalas, quibus turres et munimenta inter se committebantur, ut possent obsessi discurrere. De *legione*, Georg. 2, 279.

177. *Ida venatrix.*) Vel mater Nisi nomine *Ida* : vel mons *Ida*, Æn. 2, 801 ; quæ dicitur *venatrix*, quia venatoribus frequens : ut Georg. 3, 44. *Domitrix Epidaurus equorum.*

181. *Primâ juventâ.*) *La-*

His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam statione tenebant:
Nisus ait: Dîne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placidâ contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno vinoque soluti
Procubuêre: silent latè loca. Percipe porro
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes, populusque, patresque,
Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt (nam mihi facti

illis amor mutuus, et simul *solebant* currere ad pugnam: tunc etiam servabant portam communibus excubiis. Nisus dixit: Euryale, an Dii immittunt animis hunc ardorem? an sua cupido ardens fit unicuique Deus? jamdiu animus suggerit mihi aggredi, aut certamen, aut aliquid magnum; nec contentus est *hoc* otio tranquillo. Vides, quæ confidentia rerum occupet Rutulos: ignes rari splendent: jacuerunt labefacti somno et vino: loca *omnia* undique silent. Adverte porro quid mediter, et quod consilium suboriatur animo *meo*. Omnes, et plebs, et proceres, petunt revocari Æneam, et mitti homines, qui referant certa *de eo*. Si pollicentur *se daturos* tibi *ea* quæ peto (nam gloria

nugine, quæ primæ juventutis indicium est.

185. *An sua cuique*, etc.) An verò unusquisque, id quod valde vult, divino impulsu sibi fingit velle?

191. *Quid dubitem.) Quid mediter, quid deliberem facere*: omnis enim deliberatio cum dubitatione conjuncta est.

194. *Si tibi, quæ posco, promittunt.*) Sensus est: *si tibi tribuunt mercedem, quam sum petiturus*: idque ait ex amicorum ingenio, qui sibi unis periculosa, amicis commoda quærunt. Hoc manifestum est ex iis quæ sequuntur: *nam mihi facti fama sat est.* Opponit enim famam commodis. De *Pallantea urbe*, Evandri regia, Æn. 8, 51.

Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi,
Magnanimum Æneam et fata extrema secutus.
Est hîc, est animus lucis contemptor; et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas; non: ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis hæc aspicit æquis.
Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)
Si quis in adversum rapiat casusve Deusve,
Te superesse velim; tua vitâ dignior ætas.

facti sufficit mihi (vîdeor posse invenire juxta illum collem iter ad urbem et munimenta Pallantei. Euryalus stupefactus est, percitus magnâ cupiditate gloriæ *talis*: simul alloquitur ferventem amicum his *verbis*: an ergo, Nise, renuis me admittere socium *in* tantis rebus? an dimittam te solum in tantum periculum? Opheltes pater *meus* assuetus armis, non sic instituit me educatum inter motus Græcorum et bella Trojæ: nec feci tecum talia, *ex quo* sequor generosum Æneam et fortunam ultimam. Est *sanè*, est animus hîc *meus* negligens vitæ; et qui putet istam gloriam, *ad* quam aspiras, bene comparari *dispendio* vitæ. Nisus *respondet* ad ista: Sanè nihil tale timebam de te, nec licebat timere: non *sanè*: sic magnus Jupiter, aut quisquis *Deus* considerat justis oculis hæc *nostra*, reducat me tibi victorem, *ut verum dico*. At si aliqua (cujusmodi prævides plurima in tali periculo) si aliqua, aut fortuna, aut Deus, deducat me in *aliquam* calamitatem, optarem te restare: tua ætas dignior *est*

202. *Argolicum.*) Græcum, ab urbe *Argis*, Æn. 1, 288.

207. *De te nil tale verebar.*) Nil tale de te timebam quale suspicaris: nempe ne

Sit, qui me raptum pugnâ, pretiove redemptum,
Mandet humo solitâ; aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris:
Quæ te sola, puer, multis e matribus ausa
Prosequitur, magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes;
Nec mea jam mutata loco sententia cedit:
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat: illi
Succedunt, servantque vices: statione relictâ
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas, et corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, et delecta juventus

vitâ. Sit *aliquis*, qui *de* more committat terræ me, subductum e prælio, aut redemptum pecuniâ; aut, si aliqua fortuna id prohibeat, *sit aliquis, qui* persolvat *mihi* ab senti justa, et ornet *me* tumulo. Ne verò sim auctor tanti luctûs infelici matri *tuæ*, quæ audax e plurimis matribus sola sequitur te, o puer, nec curat urbem magni Acestæ. Ille verò respondet: Frustra colligis falsos prætextus; nec meum consilium jam mutatum movetur loco *suo*: properemus. Simul expergefacit excubitores: illi succedunt, et tuentur *portas* ordine *suo*. Ipse *Euryalus* relictis excubiis, incedit comes Niso, et adeunt Regem. Animalia reliqua per omnes regiones solvebant somno curas et animos immemores laborum. Primi duces Trojanorum, et juvenes

timidus esses, cùm inter bella natus et educatus sis, etc.

213. *Raptum pugnâ*, etc.) Sic Antigone cadaver Polynicis fratris e pugnæ campo clam eripuit. Et Priamus cadaver Hectoris filii magnis muneribus ab Achille redemit ad sepulturam.

215. *Absenti ferat*, etc.) Si cadaver meum haberi non possit, saltem honorarium mihi sepulcrum struat, Æn. 3, 304; *inferatque* sepulcro dona, quæ ideo *inferiæ* dicuntur: aquam, lac, mel, vinum, sanguinem, et aliquando etiam exsectos capillos, Æn. 3, 62.

218. *Mœnia Acestæ.*) Urbem apud Siculos conditam Trojanis mulieribus, et regi Siciliæ Acestæ commendatam, Æn. 5, 755.

Consilium summis regni de rebus habebant :
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et unà
Euryalus confestim alacres admittier orant :
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tunc sic Hyrtacides : Audite o mentibus æquis
Æneadæ : neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque sepulti
Conticuêre : locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. Si fortunâ permittitis uti,
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hîc cum spoliis, ingenti cæde peractâ,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes :
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem

lecti habebant deliberationem de maximis negotiis regni : quid agerent, aut quis jam iret nuntius *ad* Æneam. Stant nixi longis hastis, et tenentes clypeos, *in* medio castrorum et campi. Tunc subitò Nisus et Euryalus simul rogant admitti : rem *esse* magnam, et fore utilitatem *in* mora. Iulus primus excepit festinantes, et imperavit Nisum loqui. Tunc sic *ait* filius Hyrtaci : O Trojani, audite animis benevolis : et ne ista, quæ proponimus, æstimentur ex ætate nostra. Rutuli, obruti somno et vino siluerunt : vidimus ipsi locum occultæ fugæ, qui apertus est juxta bivium portæ, quæ vicina *est* mari. Ignes rari, et niger fumus tollitur ad astra. Si sinatis *nos* uti hâc fortunâ, videbitis Æneam, quæsitum *a nobis* ad urbem Pallanteam, hîc præsentem fore cum spoliis, patratâ magnâ strage. Nec via *illa* nos decipiet euntes : consideravimus frequenti ve-

232. *Pretiumque moræ fore.*) Se quidem interrumpere consilia, quæ tum habebantur, iisque moram afferre, sed utilitatem aliquam in hac mora esse futuram.

233. *Trepidos.*) Festinantes, suprà, v. 114. De *Rutulis*, Æn. 7, 794. De *Pallantea urbe*, Æn. 8. 51.

244. *Primam sub vallibus urbem.* Vicinas urbis Pallan-

Venatu assiduo, et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Alethes :
Dî patrii ! quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos juvenum, et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et vultum lacrymis atque ora rigabat.
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi ? pulcherrima primùm
Dî moresque dabunt vestri : tum cetera reddet
Actutùm pius Æneas : atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquàm.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracique Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Obtestor : quæcumque mihi fortuna fidesque est,

natione vicinam *illam* urbem inter valles opacas, et exploravimus totum fluvium. Tunc Alethes gravis ætate et prudens mente *ait* : O Dii patrii ! quorum sub potestate Troja est, non tamen vultis evertere penitus Trojanos, quandoquidem dedistis *illis* tales animos juvenum, et tam firma corda. Sic loquens, amplectebatur manus et humeros utriusque, et irrorabat os et faciem fletu. O viri, quam mercedem, quam dignam *mercedem* putem posse retribui vobis pro talibus cœptis? primò Dii et virtus vestra reddent vobis pulcherrimam : deinde pius Æneas statim retribuet reliquam : et Ascanius *adhuc* vigens ætate nunquàm *futurus* immemor tanti officii. Ego verò, addit Ascanius, cujus unica salus est *in* patre revocato, vos precor, o Nise, per magnos Penates, et per Larem Assaraci, et per adyta candidæ Vestæ : quacumque est mihi

teæ valles, qui primi sunt urbis veluti aditus : urbs enim ipsa erat in monte. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

254. *Dî moresque*, etc.) Nam virtus et rectè factorum conscientia, sibi ipsa præmium est, Æn. 1, 607.

258. *Penates*, *Assaracique*, etc.) Penates et *Lar*, Dii domestici. *Vesta*, Dea igni inextincto præsidens. *Assaracus* familiæ caput, Trois filius. Æneæ proavus, Æn. 1, 280. Hunc versum jam explanavimus, Æn. 5, 744.

In vestris pono gremiis: revocate parentem,
Reddite conspectum: nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devictâ genitor quæ cepit Arisbâ;
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si verò capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori, et prædæ ducere sortem;
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis,
Aureus: ipsum illum clypeum cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma:
Insuper, id campi quod rex habet ipse Latinus.

felicitas et fiducia, *hanc* depono in sinus vestros: revocate patrem *meum*, reddite *mihi* præsentiam *ejus*: nihil funestum *erit* illo recuperato. Donabo *vobis* duo pocula conflata argento, et insculpta signis, quæ pater cepit captâ Arisbâ; et duos tripodas, duo magna talenta auri; magnum craterem, quem Dido Sidonia dedit *mihi*. Si autem acciderit *mihi* victori domare Italiam et consequi regnum, et trahere sortem spoliorum; vidisti, quo equo et quibus in armis Turnus ibat aureus: ego eximam e sortitione illum eumdem clypeum, et cristas rubras, *quæ* jam nunc *est* tua merces, o Nise. Insuper pater *meus* donabit duodecim electa corpora matrum *captivarum*, et captivos *totidem*, et *iis* omnibus arma propria: præterea, quicquid agrorum possidet ipse rex Latinus. Te autem, o

264. *Arisbâ.*) Urbe Troadis, a Trojanis expugnatâ paulò ante bellum Græcum circa Abydum et Lampsacum, Propontidem versùs, ex Strabone, l. 13.

265. *Tripodas*, etc.) De iis et eorum usu apud antiquos, Æn. 5, 110. De *talentis aureis*, Æn. 5, 11. De *cratere*, Ecl. 5, 68. De *Sidonia Didone*, Æn. 1, 450.

274. *Id campi quod*, etc.) Non totum quidem Latini regnum, sed agros qui erant in privatis Latini bonis: quales, honoris causâ, respublica regibus dabat. Sic agrum deinde habuit Tarquinius Superbus Romæ in campo Martio.

Te verò, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, et comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
Seu pacem, seu bella geram, tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantùm fortuna secunda,
Haud adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc, ignaram hujus quodcumque
pericli est,
Inque salutatam linquo: nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrymas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tuî: audentior ibo
In casus omnes. Perculsâ mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iülus

venerande juvenis, cui ætas mea succedit spatio viciniore, jam excipio *te* toto sinu, et adjungo socium in omnes eventus. Nullus honos acquiretur meis rebus sine te: sive faciam pacem, sive bella, committam tibi supremam *curam* agendi et dicendi. Ad quem Euryalus respondet talia: Me nulla dies ostendet degenerem a tam audacibus cœptis: tantummodo contingat *mihi* sors prospera, non funesta. At peto a te *rem* unam magis *quàm* cetera munera: mater ex antiqua stirpe Priami est mihi, quam, nec Trojana tellus, nec urbs regis Acestæ, impedivit infelicem *quominus* abiret mecum. Ego desero nunc illam, insciam hujus discriminis qualecumque est, et insalutatam: testor noctem et dexteram tuam, quod non possum tolerare fletus matris. Sed tu, precor, solare egentem, et subveni derelictæ: permitte me exportare *hinc* hanc spem de te: curram audacior in omnia pericula. Trojani commotis mentibus effuderunt lacrymas; præ ceteris formosus Asca-

286. *De urbe Acestæ*, in Sicilia, Æn. 1, 755.

Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur :
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genitrix : nomenque Creusæ
Solum defuerit : nec partum gratia talem
Parva manet, casus factum quicumque sequetur.
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat :
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis ;
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illacrymans : humero simul exuit ensem
Auratum, mirâ quem fecerat arte Lycaon
Gnossius, atque habilem vaginâ aptârat eburnâ.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis
Exuvias : galeam fidus permutat Alethes.
Protinus armati incedunt, quos omnis euntes

nius, et specimen caritatis *erga* parentes perculit ejus animum. Deinde ita loquitur : Promitto omnia dicta magnis tuis inceptis : quippe illa mihi erit mater, et nomen Creusæ tantummodo deerit : nec levis favor debetur *ipsi*, *quod peperit* talem *filium*, quicumque eventus sequatur *hoc* factum. Juro per hoc caput *meum*, per quod pater *meus* consueverat *jurare* : *eadem illa* quæ promitto tibi redeunti et *post* rem feliciter *gestam* ; eadem illa servabuntur tuæ matri et familiæ. Sic dixit plorans : et simul extrahit ex humeris gladium auratum, quem Lycaon Gnossius fecerat mirâ industriâ, et incluserat accommodum *in* vagina eburnea. Mnestheus donat Niso vellus et spolium hispidi leonis : fidelis Alethes mutat *cum eo* cassidem. Continuò progrediuntur armati : quos abeuntes omnis turba

297. *Creusæ.*) Matris Ascanii, de qua, Æn. 2, 772.

300. *Per quod pater*, etc.) Caput intelligit suum, quod ut sibi carissimum attestari solebat Æneas *ante*, id est, vel *olim*, Trojæ, cùm Ascanius puer esset ; vel *priusquàm* abiret ad Evandrum. Caput enim quasi sacrum reverebantur veteres ; unde per illud jurabant.

304. *Lycaon Gnossius.*) Artifex nobilis ex urbe *Gnosso* in Creta insula, ubi arma singulari arte fabricabantur, Æn. 3, 104.

Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis : necnon et pulcher Iulus ;
Ante annos animumque gerens curamque virilem
Multa patri portanda dabat mandata : sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen antè futuri
Exitio. Passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque, viros simul arma jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus :
Euryale, audendum dextrâ : nunc ipsa vocat res.
Hàc iter est : tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, et consule longè.
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit : simul ense superbum

procerum et juvenum et senum comitatur votis *usque* ad portas : præterea etiam formosus Ascanius, *præ se* ferens animum et sollicitudinem virilem ante ætatem, dabat *ipsis* mandata plurima perferenda ad patrem ; sed venti dissipant omnia, et spargunt *illa* inania per nubes. Egressi transiliunt fossas, et per tenebras noctis tendunt *ad* castra hostilia, priùs tamen futuri exitio plurimis. Aspiciunt corpora projecta promiscuè inter gramina *per* somnum et vinum : currus erectos in litore : homines inter habenas et rotas : arma simul jacere, simul vina. Filius Hyrtaci primus sic ore dixit : Euryale, tentandum *est aliquid* manu : jam res ipsa *nos* invitat. Iter *nostrum est* per hanc *partem* : tu observa, ne ulla turma possit assurgere *contra* nos a tergo, et provide procul. Ego vastabo ista *loca*, et ducam te *per* spatiosam viam. Sic loquitur, et cohibet vocem : et con-

313. *Nubibus irrita.*) Innuit ipsos esse morituros, antequàm ad Æneam perveniant.

315. *Antè.*) Vel *antequàm ipsi moriantur*, quod subobscurè tantùm significat. Vel *antequàm ad castra hostium perveniant :* et sic dicendum inter urbem et castra spatium fuisse, ubi discurrebant illi, qui propius admoti muris a Turno fuerant, et jam vino sepulti in gramine decubuerant.

Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum :
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Rhemi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem : atro tepefacta cruore
Terra torique madent : necnon Lamyrumque, Lamumque
Et juvenem Sarranum, illâ qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra Deo victus : felix, si protinus illum

tinuò invadit ense gloriosum Rhamnetem, qui fortè exhalabat somnum toto pectore, suffultus altis stragulis : idem rex et augur dilectissimus Turno ; sed non potuit avertere mortem divinatione. Opprimit prope *illum* tres ministros promiscuè stratos inter arma, et armigerum Rhemi, et aurigam, reperiens *eum* sub ipsis equis, et abscindit gladio colla pendula. Deinde amputat caput *Rhemo* ipsi domino *eorum*, et linquit truncum *ejus* singultantem sanguine : terra calefacta et lecti inficiuntur nigro sanguine. Præterea *opprimit* Lamyrum, et Lamum, et juvenem Sarranum ; qui formosus vultu luserat multùm *per* hanc noctem, et stertebat solutus membris *ob* multum Bacchum : fortunatus, si continuò adæquâsset ludum illum

327. *Rex idem.*) Prælusit ad morem Romanum, qui post exactos reges inductus est, ut e patriciis eligeretur *sacrorum rex*, vel *rex sacrificulus* : subditus tamen is erat pontifici summo, et ab auguribus et pontificibus eligebatur. Talis Rhamnes augur mihi videtur fuisse.

328. *Augurio.*) De hac arte divinandi, Æn. 2, 703. *Pestem*, rem quamcumque exitialem : hîc *mortem*, alibi *incendium*, Æn. 5, 683.

335. *Plurima... luserat.*) *Plurimum* : neutrum plurale, pro adverbio. Sic Georg. 4, 122 : *Sera comantem Narcissum* ; id est, *serò*.

337. *Membra Deo victus.*)

Æquâsset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans,
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incensus et ipse
Perfurit: ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Hebesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
Ignaros: Rhœtum, vigilantem et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, et multâ morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta

nocti et produxisset *usque* ad diem. Quemadmodum leo jejunus, tumultuans in ovilibus plenis, devorat et lacerat pecudes teneras et silentes *præ* timore, et frendet gutture sanguinolento, nam immoderata fames impellit. Non minor *est* strages *edita ab* Euryalo: ipse quoque inflammatus sævit, et aggreditur in medio multum vulgus sine honore, et Fadum, et Hebesum, et Rhœtum, et Abarim, improvidos: Rhœtum expergefactum, et aspicientem omnia, sed *qui* timens occultabat se post amplum poculum: cui assurgenti abscondit propiùs totum gladium *in* pectore objecto, et retraxit *eum post* certam mortem. Ille *Rhœtus* ejicit animam sanguineam, et moriens reddit vinum confusum

Somno, ut vult Cerdanus: ut ego arbitror, *Baccho*; quem jam *Deum* simpliciter nuncupavit, Æn. 1, 64: *Munera lætitiamque Dei. Protinus*, continuo lapsu, atque ordine, Æn. 3, 416.

339. *Turbans.*) Tumultuans, sic Æn. 6, 800: *Turbant trepida ostia Nili.*

348. *Multâ morte recepit.*) Vel eduxit *multo cruore* stillantem: vel non eduxit nisi post *certam mortem.*

348. *Purpuream animam.*) Locutio repetita ex veterum quorumdam opinione, qui præcipuam animæ sedem statuebant in sanguine; animamque esse ipsum sanguinem etiam nonnulli putabant.

Vina refert moriens : hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos : breviter cùm talia Nisus,
(Sensit enim nimiâ cæde atque cupidine ferri :)
Absistamus, ait, nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est : via facta per hostes.
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula : Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cùm jungeret absens,

cum sanguine. Hic *Euryalus* ardens continuat cædem. Et jam pergebat ad socios Messapi, ubi spectabat ignem ultimum extingui, et equos solutos de more pascere herbam : quando Nisus dixit breviter talia *verba*, quippe animadvertit *se et socium* rapi nimiâ cupiditate stragis : Desinamus, nam dies non commodus *nobis* imminet. Satis pœnarum sumptum est : via aperta *est* inter hostes. Linquunt plurima arma hominum ornata solido argento, et pocula, et pretiosos tapetas. Euryalus *rapit* Rhamnetis phaleras, et balteum aureum clavis : quæ munera Cædicus opulentissimus miserat quondam Remulo Tiburtino, cùm absens *vellet* eum sociare hospitio : ille *Remulus* moriens dedit

350. *Furto fervidus instat.*) *Furtum* vocat, vel spoliationem cadaverum, et armorum direptionem : vel cædem ipsam furtim et tacitè editam : *furtum* quippe est quicquid occultè patratur, Æn. 6, 568.

359. *Phaleras.... et aurea bullis cingula.*) *Phaleræ*, ornamenta equorum, Æn. 5, 310; Æn. 7, 278. *Cingula*, balteus quem vocat Varro *cingulum e corio bullatum :* et Virgilius, Æn. 12, 942, de balteo Pallantis ait : *notis fulserunt cingula bullis. Bullæ* verò erant clavorum aureorum quædam capita, cingulis affixa : ob similitudinem ita dicta, a *bullis* quæ in aquis *ebullientibus* excitantur. Non absimile fuit ornamentum aureum, pueris nobilibus appendi solitum e collo, *bulla* item nuncupatum.

361. *Hospitio cùm jungeret absens.*) Veteres hospitii jura mutuis muneribus cole-

Cædicus: ille suo moriens dat habere nepoti:
Post mortem bello Rutuli pugnâque potiti:
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, muroque subibant;
Cùm procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra.
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.

possidenda nepoti suo: *sed* post *Remuli* mortem, Rutuli obtinuerunt *ea tempore* belli, per pugnam. *Euryalus* rapit hæc, et frustra accommodat robustis humeris *suis*. Tum imponit *capiti* galeam Messapi commodam et insignem cristis. Exeunt *e* castris et petunt secura *loca*. Interim equites trecenti, omnes scutati, duce Volscente, incedebant, et portabant responsa regi Turno; præmissi ex urbe Laurente, dum reliqua legio manet parata in agris *Laurentibus*. Et jam attingebant castra, et accedebant *ad* munimenta *castrensia*; cùm vident eminus hos *juvenes* divertentes ad sinistram viam, et in umbra noctis sublucente cassis *Mes-*

bant, absentes præsentesve. De *cristis galearum*, Æn. 3, 468.

364. *Nequicquam.*) Quia mox occidendus erat, et hæc ipsa spolia amissurus.

367. *Ex urbe Latina.*) *Laurento*, Æn. 7, 63.

368. *Cetera legio.*) *Pedites* Nam in legione Romana communiùs trecenti fuêre equites, pedites vulgò quater mille: licèt auctior aliquando fuerit numerus. Igitur mittebatur ab Amata Laurenti regina, legio ad Turnum, duce Volscente; sed equitatus, utpote expeditior, præmissus fuerat; peditatus adhuc in campis circa Laurentum, utpote tardior, morabatur.

370. *Scutati omnes.*) *Scutum* enim oblongum, non rotundus *clypeus*, in usu fuit Romanorum equitum. Vide Lipsium. De *forma scuti*, Æn. 8, 659.

372. *Lævo flectentes limite.*) Ad septentrionem: quem

Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State, viri: quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quòve tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in sylvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque aditum custode coronant.
Sylva fuit latè dumis atque ilice nigrâ
Horrida, quam densi complêrant undique sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: jamque imprudens evaserat hostes
Atque locos, qui post Albæ de nomine dicti

sapi prodidit Euryalum incautum, et emicuit objecta radiis *Lunæ*. Volscens e turma exclamat: Non falsò visum est *nobis*: sistite viri: quæ causa est *vobis* eundi? et quinam estis *ita* armati? et quò habetis iter? Illi nihil *voluerunt* respondere adversum; sed *cæperunt* properare fugam per sylvas, et committere se tenebris. Equites opponunt se hinc et inde ad transversa *itinera* cognita *sibi*, et circumdant custodibus omnes ingressus. Fuit *illic* sylva aspera dumis et ilicibus opacis, quam spissi vepres undique implebant: paucæ viæ deducebant *ad eam* per secretos tramites. Opacitas ramorum et spolia gravia retardant Euryalum, et metus aberrandi a *recto* spatio itineris. Nisus effugit: et non providens *amico* jam elapsus *erat* ab hostibus, et ex agris, qui deinde vocati *sunt* Albani, de nomine

juvenes habebant ad lævam, Volscens cum equitibus ad dextram.

381. *Ilice nigrâ.*) *Ilex* arbor glandifera, *azinheira*, *roble*.

387. *Locos.*) Qui rescribunt ex fide aliquot codicum, *lacus*, ii minimè videntur ad locum et tempus attendere. Nam *Pallanteum*, ubi nunc *Roma*, quinque admodum leucis nostris Gallicis ab urbe *Ostia* dissitum erat, ubi tum *Troja nova*. *Lacus* autem *Albanus*, de quo, Æn. 8, 48, ad orientem utriusque urbis longè recedebat, hinc a Pallanteo quatuor leucis, inde item quatuor a Troja nova disjunctus: atque hæc de loco. Jam quantum ad tempus: Nisus et Euryalus circa mediam noc-

Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:
Euryale infelix, quâ te regione reliqui?
Quàve sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis sylvæ, simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus, et signa sequentûm.
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Pervenit; ac videt Euryalum, quem jam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? quâ vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes

Albæ: tunc rex Latinus collocabat *illic* stabula sublimia. Postquàm constitit, et frustra respectavit amicum absentem, *ait:* O miser Euryale, quo loco deserui te? aut quà quæram *te?* Iterum remetiens vias omnes dubias sylvæ dolosæ, simul et revolvit vestigia retro quæsita, et vagatur *inter* dumos tacitos. Audit equos, audit sonitus, et tubas persequentium. Nec longum tempus *abiit* illo intervallo, quando clamor attingit aures; et cernit Euryalum, quem omnis turma repentino strepitu ac sonitu jam trahit interceptum errore loci et noctis, et incassum agitantem multa. Quid agat? quo robore, quibus armis audeat liberare juve-

tem, eamque æstivam, urbe exierant; ut patet ex militum ludo, somno, ignibus extinctis: noctis partem aliquam in procerum concilio ac deliberatione traduxerant; aliquam item in cæde peragenda. Qui fieri igitur potest, ut Nisus fugâ elapsus sit a Troja nova ad Albanum lacum, quæ quatuor leucæ sunt; item ab Albano lacu ad ultima castrorum loca, amici quærendi causâ, redierit, quæ quatuor aliæ sunt leucæ: easque leucas octo intra brevissimum æstivæ noctis mediæ spatium perfecerit. Quo fit ut legam *locos*, non *lacus*: easque explicem de parte aliqua agri Albani, qui tum fortè eò usque pertinebat, quam partem fugâ jam prætergressus fuerat Nisus.

Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
Ociùs adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos.
Si qua tuis unquàm pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit; si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi;
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat: et toto connixus corpore ferrum
Conjicit: hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem

nem? an moriturus immittat se in medios hostes, et acceleret per plagas necem gloriosam? Statim librans hastile brachio contracto, respectans Lunam sublimem, his verbis orat *eam*: Tu Dea, tu propitia fave meo conatui: o Latonia, gloria siderum, et tutatrix sylvarum. Si pater meus Hyrtacus obtulit unquàm pro me tuis altaribus aliqua munera; si ipse meis venationibus accumulavi aliqua, aut appendi *e* fornice, aut affixi ad culmina *tibi* consecrata; permitte me dissipare hanc turmam, et dirige per aerem *hoc* hastile. Sic locutus *fuerat*: et adnitens toto corpore evibrat ferrum: hastile volans dividit caliginem noctis, et pervadit in dorsum Sulmonis oppositi, et illic rumpitur et trajicit præcordia rupto ligno. Sternitur ille, emittens e pectore fluvium calentem, frigescens, et succutit uterum longis singultibus. Circumspectant in diversas *partes*. Ille ferven-

405. *Latonia.*) *Luna*, *Diana*, a Latona matre, Georg. 3, 6.

408. *Tholo.*) Media ac suprema pars est tecti, in formam scuti brevis, in qua trabes coeunt: unde est quasi fornicis, ut aiunt, clavis.

413. *Præcordia.*) Membranæ sunt *prætensæ cordi*: suprà sunt, cor et pulmones; infra jecur et lien. *Ilia*, partes sunt imi ventris, circa summas coxas.

Ecce aliud summâ telum librabat ab aure.
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquàm
Auctorem, nec quo se ardens immittere possit :
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit. Simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tunc verò exterritus, amens
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Ampliùs, aut tantum potuit perferre dolorem :
Me, me : adsum qui feci : in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,
Nec potuit : cœlum hoc et conscia sidera testor :
Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.
Talia dicta dabat : sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus letho, pulchrosque per artus

tior hoc *successu* ecce intorquebat a suprema auris *parte* hastile aliud. Dum *illi* tumultuantur, hastile stridens incidit *in* Tagum per tempora gemina, et calefactum stetit *in* cerebro transfixo. Volcens asper furit, nec videt uspiàm libratorem teli, nec quò fervidus possit inferre se : At tu, ait, dabis mihi sanguine calido pœnas *debitas* ab utroque *vestrùm*. Simul educto gladio irruebat in Euryalum. Tunc autem Nisus territus, extra mentem *positus*, vociferatur; nec ulteriùs potuit occultare se umbris, aut pati tantum dolorem : Me, me *rapite :* adsum qui *id* commisi : vertite in me arma, O Rutuli : omnis dolus meus *est* : iste nihil ausus *est*, aut potuit *facere* : attestor hoc cœlum, et astra quæ *id* sciunt : tantummodo nimis amavit amicum miserum. Proferebat talia dicta : sed gladius *tota* vi immissus transfodit costas, et perfringit pectus candidum. Euryalus

427. *Me, me : adsum*, etc.) Abrupta ex animi perturbatione sententia. *Me, me occidite*, etc. *Rutulos*, promiscuè pro hostibus appellat, quanquam hi erant Latini. De *Rutulis*, Æn. 7, 794.

It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit.
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisêre caput, pluviâ cùm fortè gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur:
Quem circum glomerati hostes hinc cominus atque hinc
Proturbant: instat non segniùs, ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso; et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidâque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquàm memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum

sternitur morte, et sanguis fluit per formosa membra, et collum inflexum pendet in humeros. Quemadmodum, quando flos purpureus proscissus aratro languet moriens: aut *quemadmodum* papavera fesso collo inflectunt caput, quando fortè obruuntur imbre. At Nisus irrumpit per medios hostes, et inter omnes unum quærit Volscentem, defigit *oculos* in uno Volscente: circa quem *Nisum* hostes collecti cominus eum premunt hinc atque hinc: *ille* non inertiùs premit *eos* et contorquet gladium fulminantem: donec immisit eum in ore opposito *ducis* Rutuli vociferantis; et moriens eripuit vitam hosti. Tunc transfixus jecit se super amicum mortuum, et illic tandem quievit *dulci* nece. Ambo felices! si mei versus valent *aliquid*, nulla dies vos unquàm subtrahet temporimemori; dum gens Æneæ habitabit immotam rupem Capitolii, et fundator Romæ tenebit

448. *Domus Æneæ Capitoli*, etc.) *Roma*, urbs ab Æneæ posteris fundata, in Palatino monte primùm: deinceps ad alios producta montes sex, præcipuè Capitolinum, Palatino vicinum a septentrione, ubi arx et templum Jovis. Aliqui *domum Æneæ* explicant de ipsa *domo Augusti*, qui cum tota gente Julia ex Æneа oriebatur: at illa non in Capitolio, sed in Palatino monte sita erat, ut

Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores prædâ Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimem flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exangui, et primis unâ tot cæde peremptis,
Sarranoque, Numâque: ingens concursus ad ipsa
Corpora, semineces que viros, tepidâque recentem
Cæde locum; et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam Sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,

imperium *orbis*. Rutuli victores adepti prædam et spolia, plorantes reportabant in castra Volscentem mortuum. Nec levior *erat* dolor in castris, Rhamnete invento mortuo, et tot proceribus unâ nocte interfectis, et Sarrano, et Numâ: concursus *fit* ad ipsa cadavera, et *ad* homines semimortuos, et *ad* locum tepefactum recenti strage, et *ad* rivos infectos spumoso sanguine. Recognoscunt inter se prædam, et fulgentem cassidem Messapi, et phaleras recuperatas multo labore. Et jam prima Aurora deserens lectum croceum Tithoni collustrabat terras novâ luce: Sole jam inducto, rebus jam detectis *per* lucem, Turnus ipse cinctus

et Julii Cæsaris domus. Adde quod *domus Æneæ*, jam pro *Romana gente* accepta est, Æn. 3, 97. *Immobile saxum* vocat, alluditque ad æternitatem Romani imperii, quam a Tarquinii Prisci temporibus certam Romani existimabant: cùm enim is ad exstruendum Jovis Capitolini templum, Deos omnes alia in urbis loca transferri jubere t; *Juventus et Terminus* ex omnibus Diis cedere loco noluerunt: unde ductum est omen, fore ut urbis termini nunquàm loco moverentur, nec unquàm juvenilis vigor illi deesset.

449. *Pater Romanus.*) Vel *Augustus*. Vel *senatus Romanus*. Vel potiùs *Romulus*, gentis Romanæ conditor et pater.

457. *Agnoscunt spolia*, etc.) Quæ Rutulis eripuerant Nisus et Euryalus; et quæ iterum ex iis Volscentis equi-

Suscitat, æratasque acies in prælia cogit
Quisque suas; variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis, visu miserabile! in hastis
Præfigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuêre aciem, nam dextera cingitur amni,
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis
Stant mœsti: simul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia fama ruit, matrisque adlabitur aures
Euryali; ac subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii, revolutaque pensa:
Evolat infelix, et femineo ululatu,
Scissa comam muros amens atque agmina cursu

armis excitat homines ad arma: et unusquisque *dux* colligit ad pugnam agmina sua *tecta* ære, et stimulant furorem multiplici rumore. Præterea, *res* visu terribilis! figunt in hastis sublatis capita Nisi et Euryali, et prosequuntur multis vociferationibus. Æneadæ firmi in læva parte murorum objecêre exercitum, nam *pars* dextra munitur fluvio: et tuentur magnas fossas, et tristes stant *in* excelsis turribus: simul spectabant capita juvenum præfixa, nimis cognita miseris, et stillantia nigrâ sanie. Interim fama alata, volans per urbem territam; nuntia irrumpit, et pervenit *ad* aures matris Euryali, et calor subitò deseruit ossa miseræ: radii dejecti *sunt* e manibus et telæ dilapsæ: misera *illa* præcipitat, et *cum* vociferatione muliebri lacerata *secundùm* capillos, insana vadit cursu *ad* muros et primas turmas: non illa attendens ho-

tes receperant. De iis, v. 359, et sequentibus. De *Tithono Auroræ conjuge*, Æn. 4, 585.

468. *Sinistra.*) *Orientali*, quæ Laurentum spectabat.

472. *Tabo.*) Putri sanguine, Georg. 3, 481. De *Fama*, Æn. 4, 174.

476. *Radii*, etc.) *Instrumenta textoria*, Æn. 3, 483; *pensa*, telæ: quæ priùs involutæ, jam eâ surgente revolvuntur. De *penso*, Georg. 1, 390.

478. *Muros amens*, etc.) Non tamen excedit urbe: sed e muris, ad conspectum

Prima petit : non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor : cœlum dehinc questibus implet :
Hunc ego te, Euryale, aspicio? tune illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremùm miseræ data copia matri?
Heu! terrâ ignotâ, canibus data præda Latinis
Alitibusque, jaces! nec te tua funera mater

mines, non illa discrimen et arma : deinde replet cœlum querelis : An ego te talem video, o Euryale? an tu *es* ille *futurus* solatium ultimum meæ senectutis? *an* potuisti deserere me solam, o inhumane? neque concessa *est* matri infelici facultas ultimò alloquendi te, missum in tanta discrimina? heu! jaces *in* tellure incognita, præda objecta canibus Latinis et avibus. Nec *ego* mater protuli te *ante*

suffixi capitis, has in querelas erumpit.

484. *Affari extremùm.*) Romani mortuos statim post obitum inclamabant : tum post funus, dicto *vale* relinquebant, Æn. 2, 644. Æn. 6, 218.

486. *Tua funera mater produxi*, etc.) I. Jul. Scaliger, Pomponium secutus, mutilam vult esse orationem, ob vim doloris : explicatque : *nec te mater peperi* ad *hæc tua funera*. II. Jos. Scaliger, non multùm dissentiens a Servio, vult, *funeras* esse mulieres, quæ curam suscipiebant funeris, ut sunt mater, soror, easque distingui a *præficis*, quæ conductæ pretio præficiebantur ancillis ad lamentandum : quo *præficarum* fictus, *funerarum* verus esset ac sincerus dolor. Eoque derivat illud Ennii epitaphium apud Cicer. *Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletum faxit : cur? volito vivu' per ora virûm.* Sed admodum dubia hæc lectio est, cùm vulgò legatur, *funera fletu, funere fletum*, etc. III. Suspicatur Merula legendum : *tua funera mater proluxi*, quæ vox apud Festum reperitur : ex quo tertia concinnari potest opinio : *nec* te tua funera mater proluxi, id est : *nec te et tuam mortem proluxi*. Et verò tales erant funebres cæremoniæ : lugebatur et conclamabatur mortuus, claudebantur ipsi oculi, lavabatur, vestibus pretiosissimis tegebatur, efferebatur in feretro ad januam domûs ; ibique cùm prostitisset aliquandiu, facie et pedibus in publicum versis, ad rogum deducebatur : quæ maxima ex parte explicuimus, Æn. 6, 215 et sequentibus.

Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, et telâ curas solabar aniles.
Quò sequar? aut quæ nunc artus avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers! hoc sum terrâque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas: in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu, magne pater Divûm, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus et Actor,
Ilionei monitu et multùm lacrymantis Iuli,

ædes ut curatrix tui funeris; aut clausi oculos; aut lavi plagas, abscondens *cadaver* veste, quam festinans tibi accelerabam noctuque diuque, et leniebam *textu* telæ molestias senectutis. Quò ibo? aut quæ terra nunc retinet artus, et abscissa membra, et cadaver laniatum? hoc *caput* repræsentas mihi de te, o fili? hoc secuta sum et terrâ et mari? Transfodite me, o Rutuli, si aliqua est *vobis* pietas: contorquete in me omnia spicula: me primam interficite ferro. Vel tu, magne parens Deorum, miseresce, et fulmine tuo demitte ad inferos hoc *meum* caput *tibi* odiosum, si non possum aliter finire duram vitam. Animi commoti *sunt* hoc luctu, et tristia suspiria mittuntur ab omnibus: vires languent tardæ ad pugnam. Idæus et Actor excipiunt illam excitantem fletus *inter milites*, et in manibus referunt in domum *ipsius*, monitu Ilionei et Iuli

487. *Produxi.*) Juxta priorem explicationem superiorum vocum, significat *peperi*. Juxta secundam, *proposui ad januam domûs*: quod Dio et Græci alii vocant προτιθεναι. Juxta tertiam, *proluxi* legendum est.

491. *Funus lacerum.*) Haud dubiè *cadaver*. Sic Propert. I. 1, 17, 8: *Hæccine parva meum funus arena teget.* De *Tartaro*, imis inferis, Æn. 6, 134.

Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant actâ pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum:
Quærunt pars aditum, et scalis ascendere muros,
Quà rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si quà
Possent tectam aciem perrumpere: cùm tamen omnes
Ferre libet subter densâ testudine casus,
Nec jam sufficiunt; nam quà globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque,
Quæ stravit Rutulos latè, armorumque resolvit

plurimùm plorantis. At tuba procul excitavit ære rauco formidabilem sonum: succedit clamor, et cœlum reboat. Volsci approperant simul admotâ testudine, et aggrediuntur cumulare fossas, et eruere aggerem: pars vestigat ingressum, et superare scalis muros, quà exercitus rarus est, et *quà* multitudo passim hiat non tam densa militibus. Contra Trojani *incipiunt* projicere omnes species armorum, et dispellere *eos* longis lignis, consueti propugnare mœnia bello diuturno. Dejiciebant etiam lapides perniciosi ponderis, *tentantes*, an possent aliquâ *parte* perfringere agmen tectum *clypeis*: tamen interea *Rutuli* gaudent sustinere casus omnes sub spissâ testudine. Deinde non possunt sustinere; nam quâ *parte* magnus globus appropinquat, Teucri advolvunt, et impellunt vastum saxum, quod latè oppressit Rutulos et separavit tegmina clypeorum: nec ulteriùs Ru-

505. *Testudine*, etc.) Milites erant densati in globum, consertis supra capita clypeis, ut sic ad muros tutiùs accederent: De *ea testudine*, Æn. 2, 441. De *Volscis*, Æn. 7, 803. De *vallo*, suprà, v. 142. De *contis*, Æn. 5, 208.

516. *Ruuntque*.) Imperlunt, projiciunt, Æn. 1, 39: *Spumas salis ære ruebant.*

Tegmina : nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli ; sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte aliâ horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.
Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco :
Et mecum ingentes oras evolvite belli :
Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis.

ardentes volunt certare obscuro certamine *testudinis;* sed conantur dimovere jaculis *Trojanos ex* aggere. Alia ex parte Mezentius terribilis visu librabat pinum Tyrrhenam, et injicit fumidas tædas. At Messapus, subactor equorum, Filius Neptuni, diruit palos *aggeris*, et petit scalas ad muros *scandendos*. Vos, *o Musæ, et præcipuè* Calliope, oro, docete cantantem, quas cædes, quas neces Turnus tunc ibi intulerit ; quem hominem unusquisque miserit *ad* inferos : et explicate mecum totum ambitum *hujus* belli : nam *vos*, Deæ, et recordamini, et potestis narrare. Tur-

518. *Cæco Marte.*) Quia latebant sub testudine, tecti et inumbrati clypeis.

522. *Etruscam pinum, et... ignes.*) Vel ignitam facem e pinu, pingui arbore, vel manu alterâ facem, alterâ hastam pineam. De *Mezentio* Etruscorum rege, fusè Evander, Æn. 8, 481. De *Etrusca* gente, ibidem in notis. De *Messapo*, Æn. 7, 691. De *vallo*, munimento ex palis et aggesta terra, suprà, v. 152.

525. *Vos, o Calliope.*) Musas omnes invocat, sed præcipuè *Calliopen*, heroici carminis præsidem, de qua Ecl. 4, 57. Numerum singularem cum plurali sic conjunxit Tibul. l. 3, 6, 55 : *Nobis inimica merenti*. Et Catul. Epig. 108, 5 : *Insperanti ipsa refers te nobis*. De *Orco*, Plutone, Georg. 1, 277.

528. *Oras belli.*) Enniana vox. *Oræ* sunt extremæ partes vestium : quæ quia in ambitum excurrunt, hîc sumuntur pro *toto circuitu, ambitu*, ac *serie belli*.

Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco, summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summâque evertere opum vi
Certabant : Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri : quæ plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam : dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quæ peste caret; tum pondere turris
Procubuit subitò, et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secutâ,
Confixique suis telis, et pectora duro

ris stabat alta suspicientibus, et tabulatis sublimibus, commoda situ, quam Itali omnes conabantur occupare totis viribus, et diruere totâ vi potentiæ *suæ* : contra Trojani *conabantur* propugnare lapidibus, et vibrare sagittas crebras per apertas fenestras. Turnus primus immisit tædam flammantem, et affixit lateri *turris* ignem : qui auctus vento invasit asseres et adhæsit fulcris assumptis. *Trojani* turbati *cœperunt* intus tumultuari, et incassum quærere effugium e periculo : dum colligunt se, et retro recedunt in spatium quod vacabat igne; tum repentè turris cecidit, et totum cœlum sonat strepitu. Cadunt semimortui in terram, vastâ mole superincidente, et confossi propriis armis, et

530. *Pontibus.*) Turres multis contabulationibus erigebantur, e quarum infimis ascensus erat ad summas : hæc ipsa tabulata, vel eorum scalæ, *pontes* hîc dicuntur : ut fortè etiam, suprà, v. 170.

532. *Opum vi.*) Enniana locutio, pro *omni industria, virtute, instrumentis.*

535. *Lampada.*) *Lampades* hîc appellantur, ignita quæcumque missilia, ex stupa, pice et resina : quæ compacta simul, et mucronibus nucisque et hamis ferreis armata, ut ligneis præsertim munimentis adhærerent, vel manu, vel aliquando etiam machinis intorquebantur. Varia eorum erat ad libitum figura. De *postibus*, propriè fulcris arrectariisque portarum, Æn. 2, 442. De *peste*, pro *igne*, suprà, v. 328.

Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi, quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis:
Ense levis nudo, parmâque inglorius albâ.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit;
Hinc acies, atque hinc acies astare Latinas:
Ut fera, quæ densâ venantûm septa coronâ
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur:

trajecti duro ligno *per* pectora. Vix solus Helenor et Lycus evaserunt, quorum natu major *erat* Helenor, quem serva Lycimnia clàm pepererat regi Lydio, et miserat ad Trojam, bello *ipsi* prohibito: *erat* levis ense stricto, et ignobilis scuto albo. Atque ille, cùm agnovit se in mediis millibus Turni, agmina Latina circumsistere hinc et inde: quemadmodum fera, quæ cincta multitudine spissâ venatorum sævit adversùs arma, et non ignara immittit sese

546. *Mæonio regi.*) Regi Mæonum, qui deinde Lydi dicti sunt, et ab Homero numerantur inter Trojanorum auxilia, utpote Phrygiæ contermini, Æn. 4, 216.

547. *Vetitis armis.*) Vel contra jussa Deorum et fati, Trojanis contrarii: vel contra morem Romanorum, ad quem alludit hìc Poeta, quasi Trojanorum etiam fuisset. Nefas enim fuit Romæ servos militiæ nomen dare, nisi servitute solutos: quod non nisi periculosis reipublicæ temporibus permittebatur.

548. *Ense levis nudo, parmâque*, etc.) Omnino eum depingit quales Romanorum deinde fuerunt *velites*, sic a *velocitate* dicti. Horum arma: *parma*, brevis rotundusque clypeus et undique *par: gladius;* et leves aliquot *hastulæ*. Eligebantur e junioribus et pauperibus, juxta Polyb. Porrò cùm vulgò viri principes, aut familiæ suæ, aut factorum suorum insignia præferrent descripta in clypeis: ut Turnus *Inachum*, Æn. 7, 790; Aventinus, *hydram Herculis*, ibid. 657; Helenor iste nudum clypeum gestat: tum quia juvenis, nihil dum patrare laude dignum potuit: tum quia furtivo concubitu ex serva editus, paternam originem jactare prohibetur, habeturque ideo quasi servilis generis.

553. *Venabula.*) Hastæ sunt venatoriæ, breves, lato ferro: Æn. 4, 131.

Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit, et, quà tela videt densissima, tendit.
At pedibus longè melior Lycus, inter et hostes,
Inter et arma fugâ muros tenet; altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperâsti te posse manus? Simul arripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit.
Qualis ubi, aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur: invadunt, et fossas aggere complent:
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis,
Lucetium, portæ subeuntem, ignesque ferentem:
Emathiona Liger, Chorinæum sternit Asylas,

in mortem, et saltu ruit supra hastilia; non aliter juvenis irrumpit moriturus in medios hostes, et incurrit quà cernit arma spississima. At Lycus multò velocior pedibus, et inter hostes, et inter arma occupat fugâ muros; et conatur arripere manu sublimes pinnas, et apprehendere manus sociorum. Quem Turnus victor, persecutus simul cursu et jaculo, objurgat his *verbis:* Stulte, an sperasti te posse evitare manus meas? Simul apprehendit ipsum pendentem, et excutit cum magna parte muri. Qualis armiger Jovis, quando evolans *in* altum abripuit unguibus falcatis, aut leporem, aut cycnum nitido corpore: aut *quando* lupus, sacer Marti, subtrahit e caulis agnum, quæsitum a matre multis balatibus. Undique clamor surgit: aggrediuntur, et cumulant fossas *terra* aggestâ: alii torquent tædas flammantes ad culmina: Ilioneus lapide et magno fragmine rupis opprimit Lucetium, appropinquantem portæ et conjicientem ignes: Liger Emathiona, Asylas Chorinæum,

564. *Jovis armiger.*) Aquila, fulminis ministra, Æn. 5.

255. De *tædis*, arbore et face, Ecl. 7, 49.

Hic jaculo bonus, hic longè fallente sagittâ:
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Cloniumque, Dioxippum, Promulumque
Et Sagarim et summis stantem pro turribus Idam:
Privernum Capys: hunc primò levis hasta Themillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Iberâ,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,

alter peritus jaculandi, alter *mittendi* sagittas procul decipientes. Cæneus *occidit* Ortygium, Turnus victorem Cæneum: Turnus Ityn, et Clonium, Dioxippum, et Promulum, et Sagarim, et Idam stantem ante summas turres: Capys Privernum: hunc hasta Themillæ primò leviter vulneraverat: ille objecto clypeo tulit inconsultus manum ad plagam: ergo sagitta pennis appulsa est, et manus affixa *est* lateri sinistro, et occulta intus penetravit mortifero ictu *pulmones*, *quibus* respirat anima. Filius Arcentis stabat *indutus* pulchris armis, *habens* chlamydem variatam acu, et splendens purpurâ Ibericâ, formosus vultu: quem pater Arcens miserat *Æneæ*, educatum *in*

582. *Pictus acu chlamydem*, etc.) *Chlamys*, militaris vestis, *casaco; Æn.* 4, 137. *Ferrugo*, color est politi ferri, in nigrum tendens, *brunidura, polimento*, Ecl. 2, 18. Talis memoratur fuisse color purpuræ Ibericæ nigrantis. *Iberia* verò hic sumitur a quibusdam pro *regione Asiatica*, inter Pontum Euxinum et mare Caspium, quæ nunc Georgiæ pars est; dicta *Gurgistan*: cujus coloni in Europam profecti nomen dederint Ibero Hispaniæ flumini, et Hispaniam ipsam tenuerint. Ab aliis sumitur probabiliùs pro *ipsa Hispania*, cùm idem color a quibusdam dicatur Bæticus, a Bæti fluvio Hispaniæ, *Guadalquivir;* et minium, apud Hispanos præcipuæ laudis olim ex Plinio fuerit, ut nunc quoque rubeus ille color nigro suffultus, quem vocant *morado, côr de amora.*

Eductum Martis luco, Simethia circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adductâ circum caput egit habenâ:
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.
Tum primùm bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius; fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem

sylva Martis; circa Simethum fluvium, ubi *est* opima et benigna ara Palici. Mezentius depositis armis impulit ipse stridentem fundam: loro ter rotato circa caput: et discidit calefacto plumbo medium caput oppositi *juvenis*, et prostravit *eum in* vasta arena. Ascanius, priùs assuetus terrere feras fugientes, fertur tum primò evibrâsse velocem sagittam *in* bello, et stravisse manu robustum Numanum, cui cognomen erat Remulo; et *qui* nuper conjugio copu-

584. *Simethia circum*, etc.) *Simethus*, Siciliæ fluvius: in orientale ejusdem latus infra Catanam defluens; nunc juxta Cluverium, *la Jaretta*. Tamen, juxta Virgilium, videtur is esse qui nunc nomen habet *a sancto Paulo*, paulò inferiùs fluens: nam non longè ab ejus fontibus visuntur adhuc ruinæ templi Palicorum, et eorumdem lacus, qui lacus Fazelli tempore *Naphthia* vocabatur, in multas scaturigines erumpens aquæ sulfureæ, quæ falsò jurantes enecabat, ut fusè narrat ex auctoribus Græcis Macrobius Saturn. 5, 19.

585. *Pinguis ubi* et *placabilis*, etc.) *Palici* fratres fuerunt Jovis filii, et Thaliæ Nymphæ, Vulcani filiæ; quæ gravida cùm Junonem timeret, dicitur a Jove terræ hiatu occultata: ubi nati infantes, indeque egressi, *Palici* dicti sunt, a πάλιν ἰκέσθαι, *iterum venire*. Horum oraculo Siculi in sterilitate admoniti dicuntur, ut cuidam heroi sacra facerent: quæ res cùm prosperè successisset, ad eorum aram dona multa congesserunt, ut refert ex Xenagora Macrobius. Hinc ara illa dicitur a Virgilio *pinguis*. Addit Diodorus, l. 11, asylum illic esse fugitivorum servorum, cùm a dominis inclementiùs habentur: indeque nefas esse eos abduci, nisi securitatis datâ fide, quam violare nemo audeat. Hinc, ut mihi videtur, ara eadem dicitur *placabilis*. De *Martis luco*, nullam alibi reperi mentionem.

588. *Liquefacto plumbo.*) Lucret. 6, 177: *Plumbea verò*

Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, et ingenti sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hîc Atridæ, nec fandi fictor Ulysses.
Durum a stirpe genus: natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.
Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant:
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.

latus duxerat minorem sororem Turni. Ille ante prima agmina inclamans digna et indigna dictu, et inflatus corde *ob* novam potentiam, incedebat, et jactabat se magno clamore: Non pudet *vos* rursus claudi aggeribus et obsidione, o Phryges bis capti, et opponere muros morti? ecce *illos* qui bello petunt sibi conjugia nostra! Quis Deus, quæ insania vos impulit *in* Italiam? non hîc *sunt* filii Atrei, nec Ulysses *vanus* artifex verborum; *sed* gens fortis ab *ipsa* origine: portamus statim ad flumina natos, et duramus acerbo gelu et aquis. Pueri indulgent venatui, et percurrunt sylvas: ludus *eorum* est domare equos, et jacere sagittas *arcu* corneo. Juventus autem patiens laboris, et contenta tenui *victu*, aut exercet terram rastris, aut

glans etiam longo cursu volvenda liquescit: id est, calefit et mollescit.

596. *Novo regno.*) Affinitate regiâ. Græci enim, quorum imitatores Latini, regum filios, fratresque et affines appellabant reges: ut observat Germanus, probatque multis.

599. *Bis capti Phryges.*) *Phryges*, molles: ad contemptum sic vocat Trojanos. *Bis capti*: ab Hercule et a Græcis, Æn. 3, 476. Vel potiùs a Græcis, cùm Troja incensa est, et jam a Latinis, in hac nova Troja. De *Phrygia*, Æn. 1, 385. De *Phrygum mollitie*, Æn. 4, 216. De *Atrei filiis* Agamemnone et Menelao, Æn. 2, 264. Æn. 3, 54. De *Ulysse versuto*, Æn. 2, 7.

605. *Venatu.*) Dativo

Omne ævum ferro teritur, versâque juvencum
Terga fatigamus hastâ. Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galeâ premimus; semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi: juvat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.

impugnat urbes bello. Omnis ætas traducitur *in* armis, et impellimus dorsa juvencorum *arantium* hastâ inversâ. Nec senectus lenta minuit robur animi, aut pellit vigorem. Tegimus casside capillos albos; et semper *nos* delectat colligere novas prædas, et vivere *rebus* raptis. Vobis vestimentum tectum *est* croco et micanti purpurâ: *vobis* inertia *est in* deliciis: placet vacare choreis: tunicæ *vestræ* habent manicas, et mitræ ligamina. O vere Phrygiæ,

contracto, pro *venatui*, Ecl. 5, 29.

609. *Versâque juvencum*, etc.) Aramus armati: nec stimulis aut flagris; sed extremâ hastæ parte boves arantes incessimus.

614. *Croco.*) *Crocus* flos, *açafrão*: cujus colore infecta vestis, *crocota* et *crocotula* dicebatur; infectores, *crocotarii*, muliebris et mollis ornatus. De *murice*, ostreo, unde purpura exprimitur, Georg. 2, 506.

616. *Tunicæ manicas, et*, etc.) Tunica vestis virorum interior, cui respondet mulierum *stola*: utraque cincta. Huic viri Græci *pallium* apertum ac fluens; Romani *togam* clausam superinjiciebant: mulieres *pallam*, pallio Græco aperto non absimilem. *Tunica:* a superiore parte omnino absque manicis olim fuit, ita ut humeros hinc inde nudaret: ab inferiore, ad genua defluebat, dicebaturque *exomis:* mox ad usque cubitum, ex paulò infra genua pertinuit, dicebaturque *colobium;* et hic mos diu duravit Romæ, exomide servis solis relictâ: deinde crescente luxu ad primores usque manus digitosque provecta est, et ad talos promissa; quod mollitiei fuit, et a Cicerone vitio vertitur Catilinæ sociis, quia muliebris stolæ species hæc erat. Tunicæ illæ, *manicatæ* a Cicerone vocantur; a Seneca et Plauto, *manuleatæ;* a Scipione apud Gellium, *chiridotæ*. Tales Trojanis hîc Numanus exprobrat. Mediis etiam temporibus tunica duplex ferebatur: altera communis; altera intima, quæ et *interula* sive *subucula*. De *mitris*, pileis, earum que *redimiculis*, Æn. 4, 216.

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges! ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris
Idææ: sinite arma viris, et cedite ferro.

neque enim *estis* Phryges! ite per excelsa Dindyma, ubi tibia emittit sonum imparem, *vobis* assuetis *huic sono*. Tympana et *tibia* Berecynthia buxea matris Idææ vos invitant: relinquite arma viris, et abstinete ferro. Ascanius

618. *Dindyma*, etc.) Phrygia universa sacra fuit Cybeli, matri Deûm. In ea montes *Dindymus*, *Berecynthius*, et *Ida*. *Dindymus* sic dictus, quòd sit διδυμος, *geminus*, sive *gemello vertice*: plur. *Dindyma*. Hinc Cybele dicta *Dindymene*, et *Berecynthia*, et *Idæa* mater. De *ea*, Æn. 3, 111. De *Ida*, Æn. 2, 801.

Biforem dat tibia, etc.) *Tibia* musicum instrumentum, flatu personum: sic dicta, quia e gruum, hinnulorum, aliorumque animalium cavis tibiis primò formata est: inde e buxo atque ebore. Olim pauca habuit foramina: unde duæ simul inflabantur, mutabanturque pro modorum varietate. Quæ dexterâ oris parte inflabatur, unicum habebat foramen, ac proinde graviorem sonum; quæ sinistrâ oris parte, duo habebat foramina, sonumque acutiorem: et hic erat modus *Phrygius*, cùm tibiæ sic adhibebantur *impares*, quia modus ille ex gravi et acuto temperatus erat. Cùm autem *Dorius* modus multò esset gravior, duabus dextris canebatur, id est, duabus tibiis *paribus*, unico foramine. Cùm *Lydius* esset acutior duabus sinistris fiebat, id est, duabus tibiis paribus, duplici foramine. Hi enim erant præcipui tres modi, quibus affines alii: *Serranus*, id est, *Tyrius*, ab urbe *Tyro*, quæ *Sar* dicta est, Georg. 2, 506, affinis Lydio. Fuit et *Æolius*, etc. Hinc patet tibias *pares* esse vel Lydias, vel Dorias: *impares*, semper *Phrygias*. Quare Servius bene explicuit hîc *biforem*, imparem, dissimilem. Hæc e Salmasio in Solinum.

619. *Tympana.*) Ex Isidoro. *Tympanum est pellis, vel corium, ligno extensum*: pulsabatur apud veteres manibus ac digitis. Hæc, ut et *cymbala*, ærea et cava, adhibebantur ad sacra Cybeles, de quibus Lucret. l. 2, 618: *Tympana tensa tonant palmis, et cymbala circum concava, raucisonoque minantur cornua cantu, et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.*

Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius : nervoque obversus equino
Contendit telum : diversaque brachia ducens,
Constitit ante Jovem supplex per vota precatus:
Juppiter omnipotens, audacibus annue cœptis,
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona,
Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem;
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
Audiit, et cœli genitor de parte serena
Intonuit lævum. Sonat unà lethifer arcus :
Et fugit horrendùm stridens elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantùm Ascanius: Teucri clamore sequuntur,
Lætitiâque fremunt, animosque ad sidera tollunt.

non passus est spargentem verbis talia, et loquentem indigna : et oppositus adduxit sagittam nervo equino : et distrahens brachia sejuncta, stetit, priùs supplex, obsecrans Jovem per *hæc* vota : Jupiter omnipotens, fave inceptis audacibus. Ego ducam tibi ad tuum templum munera solemnia, et ponam ante altaria juvencum capite deaurato, candidum, et tollentem caput æqualiter cum matre *sua;* qui jam incurrat cornu, et dissipet arenam pedibus. Audivit pater, et e suda regione cœli tonuit *ad* sinistram. Simul mortifer arcus sonat : et sagitta emissa volat stridens terribiliter, et pervenit ad caput Remuli, et perfodit cuspide cava tempora. I, irride virtutem jactabundis vocibus. Phryges bis capti reddunt hæc responsa Rutulis. Ascanius *dixit* hæc solùm : Trojani applaudunt clamore, et

622. *Nervo equino.*) Nervos arcuum ex equorum setis fieri solitos, testatur Hesychius.

624. *Ante Jovem.*) Versis oculis in aerem superiorem, sive ætherem, qui *Jupiter* est, Georg. 2, 325.

631. *Intonuit lævum.*) Bonum omen, Ecl. 1, 66.

Æthereâ tum fortè plagâ crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens : atque his victorem affatur Iulum:
Macte novâ virtute, puer; sic itur ad astra,
Dîs genite, et geniture Deos : jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident :
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit : formâ tum vertitur oris

gestiunt gaudio, et extollunt ad cœlum virtutem *ejus*. Tum fortè Apollo comatus *in* aeris spatiis desuper spectabat exercitum Italicum et urbem *Trojanorum*, insidens nimbo; et alloquitur his *verbis* Ascanium victorem : Cresce, o puer, tali virtute : sic tenditur ad sidera, orte *a* Diis, et producture Deos : cuncta bella per fatum oritura quiescent meritò sub posteritate Assaraci : neque Troja te comprehendit. Simul locutus ista, librat se e summo aere, dissecat aerem spirabilem, et tendit ad Ascanium: tum mutatur specie vul-

639. *Ausonias acies.*) *Italas*, Æn. 7, 54. *Urbem*, novam Trojam, Æn. 7, 157.

641. *Macte.*) *Mactus*, quasi *mauctus*, id est, *magis auctus*. Sic herba adultà dicta est a Catone *macta*, quia *aucta* : hostiæ quoque *mactæ*, quia molâ, vino, thure, spargebantur, et quasi cumulabantur *augebanturque* ante sacrificium, unde *mactare* pro *cædere*, dictum fuit. Diis ipsis in sacrificiis acclamabant : *macte hocce vino inferiis esto, macte hâcce dape esto*, quia sacrificiis augeri eorum felicitatem putabant. Cicero dixit, Nonio teste, *mactare aliquem honoribus;* Plautus, *mactare infortunio*. Hæc ferè ex Vossio : qui addit, hâc formulâ vocativum *macte* adhiberi pro nominativo *mactus*, more Attico : quemadmodum apud Tibullum, l. 1, 7, 53 : *Sic venias hodierne;* apud Persium, Sat. 3, 28 : *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis*. Est et apud Plin. l. 2, 12, plurali numero : *macti ingenio este, cœli interpretes*.

642. *Diis genite*, etc.) Genitus *Venere* per Æneam, *Jove* per Dardanum : genitus *Julium* et *Octavianum* Cæsares; qui divinis honoribus afficiendi erant. De *Assaraco*, a quo ortus Æneas, Æn. 1, 288.

644. *Nec te Troja capit.*) Sic Philippus Macedoniæ rex ad Alexandrum, apud Plutarchum : *Quære tibi regnum par, non enim te capit Macedonia*. De nova Troja intellige, Æn. 7, 157.

Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger antè fuit, fidusque ad limina custos:
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque, coloremque,
Et crines albos, et sæva sonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit satis, Æneide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis:
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortales medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovêre Deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fugâ sensêre sonantem.

tus in Buten senem. Hic priùs fuerat Anchisæ Trojano armiger, et fidelis satelles ad portam: tunc pater *Æneas* adjunxerat *hunc* Ascanio comitem. Apollo incedebat similis *huic* seni *per* omnia, et vocem, et colorem, et capillos canos, et arma sono aspera. Atque alloquitur acrem Ascanium his verbis: Fili Æneæ, sufficiat *tibi* Numanum occubuisse sagittâ tuâ absque *tuo* damno: magnus Apollo dedit tibi hunc primum honorem, et non invidet æquali *gloriæ* armorum: ceterum abstine pugnâ, o puer. Apollo ita locutus fugit *in* medio colloquio visus humanos, et longè ab oculis abiit in levem aerem. Principes Trojani cognoverunt Deum, et sagittas divinas, et audiverunt pharetram sonantem dum abiret. Itaque *per* monita et auc-

647. *Dardanio Anchisæ*, Versus spondaicus, cum hiatu diphthongi longæ, more Græcorum.

653. *Æneide.*) Vocativus patronymicus, ab *Æneides*.

655. *Paribus armis.*) Nam Apollo puer sagittis serpentem Pythona confixit, ut matrem defenderet: quemadmodum Ascanius hic Numanum, ut patriam ulciscatur, Æn. 3, 75.

660. *Pharetramque fugâ sensêre*, etc.) Præter signa divinæ præsentiæ quæ diximus, Æn. 1, 406, hoc addit aliud: nempe, sonitum quemdam pharetræ et sagittarum auditum in aere, postquàm ex oculis Apollo jam evanuisset. Talis est Apollinis sonus, Iliad. 1, 46. De nomine *Apollinis*, Ecl. 3, 104. De nomine *Phœbi*, ibid. 62.

Ergo avidum pugnæ dictis ac numine Phœbi
Ascanium prohibent : ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris.
Intendunt acres arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis : tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens pluvialibus hœdis
Verberat imber humum : quam multâ grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Juppiter horridus Austris
Torquet aquosam hiemem, et cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco sylvestris Hiera,
Abietibus juvenes patriis et montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,

ritatem Phœbi retinent Ascanium incensum ad pugnam : ipsi iterum redeunt ad prælia, et exponunt vitam manifestis periculis. Clamor spargitur per aggeres totis mœnibus. Adducunt fortes arcus, et librant *hastas* amentatas. Terra omnis tegitur spiculis : præterea clypei et cavæ cassides reddunt sonum allisu *spiculorum* : oritur crudele prælium. Quanta *est* pluvia, *quæ* per hœdos pluviales orta ab occidente percutit terram : quam crebrâ grandine nubes ruunt in mare, quando Jupiter asper Austris emittit cœlo tempestatem pluviosam, et solvit cavas nubes. Pandarus et Bitias, geniti Alcanore Idæo, quos Hiera sylvestris educavit in sylva Jovis, juvenes æquales abietibus

665. *Amenta.*) Hastas, quæ circa medium *amento*, id est, loro alligatæ erant ; quo implicata manus, æquabili quasi impetu certiùs hastam librabat.

668. *Hœdis.*) Stellis duabus astri, cui nomen *Erichthonius* vel *Auriga*, infrà ejus humerum : quarum ortus et occasus procellosus habetur. De *Austro*, pluvio item vento meridiali, Ecl. 2, 58.

674. *Abietibus.*) *Abies*, arbor, *abeto*. Quatuor syllabæ breves in dactylum compressæ.

Freti armis ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus, dextrâ ac lævâ, pro turribus astant,
Armati ferro, et cristis capita alta corusci.
Quales aeriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesin seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut vidêre patentes.
Continuò Quercens, et pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus et Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedêre,
Aut ipso portæ posuêre in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ:
Et jam collecti Troes glomerantur eòdem,
Et conferre manum et procurrere longiùs audent.
Ductori Turno diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius: hostem

et montibus patriæ *suæ*, aperiunt portam, quæ credita *erat ipsis* jussu regis, confisi armis, et ultro alliciunt hostem in muros. Ipsi intus stant ante turres *ad* dextram et sinistram, induti ferro, et rutilantes cristis *supra* capita sublimia. Quales duæ quercus aeriæ tolluntur circa fluvios liquidos, aut *in* ripis Eridani, aut juxta gratum Athesin, et erigunt *ad* cœlum capita incædua, et motant altum cacumen. Rutuli, cùm viderunt ingressum apertum, irruunt. Statim Quercens et Equicolus spectabilis armis, et Tmarus temerarius animo, et Hæmon Martius, vel repulsi objecêre terga totis turmis *hostium*, vel amiserunt vitam in ipso aditu portæ. Tunc furor magis accenditur *in* animis infensis: et jam Trojani densantur congregati *in* eum *locum*, et audent conserere manus et progredi longiùs. Nuntius fertur Regi Turno, sævienti alia in parte et turbanti hostes: hostem animari recenti strage, et offerre

680. *Padi*, etc.) *Padus*, sive *Eridanus*, *o Po*, fluvius Italiæ maximus, Georg. 1, 482. *Athesis*, post Padum maximus, *o Adige*, ex Tridentinis Alpibus, per Venetos in mare Hadriaticum influit; non proprio quidem ostio, sed fossis quibusdam transversis et paludibus, cùm regio tota scateat; ideo dictus est a Servio et Vibio in Padum, qui paulò inferiùs fluit, decurrere.

Fervere cædenovâ, et portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus irâ
Dardaniam ruit ad portam, fratresque superbos.
Et primùm Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebanâ de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus
Aera per tenuem, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris undam
Spumantem; et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum sternit Aphydnum:
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem·

portas apertas. Relinquit inceptum *opus*, et accensus ingenti furore currit ad portam Trojanam et fratres superbos. Et intorto telo dejicit primùm Antiphaten, filium spurium magni Sarpedonis ex matre Thebana; nam is se primus offerebat: *jaculum* e corno Italica volat per aerem levem, et impactum stomacho penetrat profundum pectus: hiatus profundæ plagæ emittit fluctus spumosi *sanguinis*, et ferrum calefit in pulmone sauciato. Deinde dejicit manu Meropem, et Erymantha: deinde Aphydnum: deinde Bitian flammantem oculis, et furentem animo: non

695. *Dardaniam portam.*) Novæ Trojæ, Æn. 7, 157. *Dardani*, Trojani, Æn. 1, 239.

697. *Thebana*, etc.) *Thebæ* multæ fuerunt, aliæ in Ægypto, aliæ in Bœotia, aliæ in Thessalia Phthiotide: illæ nihil hîc ad rem faciunt; sed *Thebe*, *Thebas*, Asiæ minoris urbs apud Adramittenos; de qua Lydis et Mysis diu certamen fuit, teste Strabone, lib. 13. Regia fuit Eetionis, Andromachæ patris. Didymus tamen, vetus Homeri interpres, hanc Eetionis regiam *Thebas* etiam vocat plurali numero, ad versum 397. Iliad. 6. Et adhuc expressiùs ad versum 366, Iliad. 1. *Sarpedon* Lyciæ rex, Jovis filius, Æn. 1, 104. *Nothus*, non legitimo conjugio susceptus filius, Æn. 7, 283. *Cornus*, arbor durissimo ligno, ideo telorum materia, *cerejeira brava*, Æn. 3, 649.

700. *Undam spumantem.*) Sanguinem undatim, id est, magnâ copiâ in rivos erumpentem. *Undam* dixit de multitudine populi, Georg. 2, 462.

Non jaculo, neque enim jaculo vitam ille dedisset;
Sed magnùm stridens contorta falarica venit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamâ lorica fidelis et auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra:
Dat tellus gemitum, et clypeum super intonat ingens.
Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam jaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit:

jaculo, nam ille non amisisset vitam jaculo; sed falarica evibrata venit valde stridens impulsa more fulminis, quam nec duo coria taurina, nec lorica defensa duplici squamâ aureâ repulit: vasta membra sternuntur dejecta: terra reddit gemitum, et grandis *Bitias* tonat *cadens* super clypeum. Qualis in Cumano Bajorum litore agger saxeus aliquando cadit, quem immittunt mori eductum prius vastis molibus: sic ille *agger* præcipitans facit ruinam,

705. *Falarica.*) Oblonga hasta, teres, præterquam ad extremum, ubi ferrum extabat quadratum, tres longum pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Huic ferro picem in stupa circumligabant: adjectoque igni immittebant in ligneas præsertim turres, quæ *falæ* dicebantur Etruscâ voce. Hoc tamen inventum videtur Saguntinis Hispaniæ tribuere Livius, l. 21, 8, unde hæc descriptio concinnata est.

707. *Duplici squamâ, etc.*) De *tergis* sive coriis, et *squamis* loricarum, Æn. 3, 467. *Squamâ et auro*, id est, squamis aureis, ut Georg. 2, 192: *Pateris et auro*, pateris aureis.

710. *Euboico Baiarum*, etc.) *Bajæ*, locus in Campania tepidis aquarum fontibus nobilis, in latere superiore Campani sive Neapolitani sinûs; non longè a Miseno promontorio: etiamnum retinet nomen. De hujus loci natura fusè, Æn. 6, 237. *Chalcidenses*, ex *Eubœa* Græciæ insula, hodie *Negreponto*, non longè hinc urbem *Cumas* condiderunt, Æn. 6, 2. Nec longè fuit *Lucrinus, Avernusque* lacus qui molibus ab Hercule clausi primùm; deinde ab Agrippa in portum Julium Octaviani auspiciis conversi sunt, anno U. C. 717, ut ostendimus, Georg. 2, 161. Ideo Virgilius hîc *pilas*, sive moles lapideas, in mare impactas commemorat.

Miscent se maria, et nigræ attolluntur arenæ :
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Jovis imperiis imposta Typhœo.
Hìc Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit,
Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Undique conveniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo Deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res ;
Portam vi multâ converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris ; multosque suorum,

et profundè subsidit impactus undis : maria turbantur, et nigræ arenæ eriguntur : tunc Prochyta intima tremit sonitu, et Inarime injecta Typhœo *quasi* asperum cubile jussu Jovis. Tunc Mars bellipotens animum et robur Latinis adjecit, et agitavit sub *eorum* pectore stimulos acutos : et injecit Teucris fugam et nigrum timorem. *Latini* concurrunt undecumque, siquidem facultas pugnandi *ipsis* concessa est *a Trojanis*, et Deus bellicosus subiit eorum animum. Pandarus, ubi videt fratrem prostrato corpore, et quo *in* statu sit fortuna, qui casus impellat res *Trojanas*, magno conatu trudit portam revoluto cardine, obluctans vastis humeris ; et relinquit in aspero prælio plurimos so-

715. *Prochyta*, etc.) Vel *Prochyte*, hodie *Procita*, parva et aspera insula Tyrrheni maris, proximè admota Miseno promontorio, hoc inter et Inarimen insulam, aquâ per terræ motum avulsâ, Plinio, Straboni, aliisque censetur.

716. *Inarime.*) Ad meridiem Prochytæ, multò amplior insula, fertilitate nobilis : olim *Pithecusa*, et *Ænaria* etiam dicta, nunc *Ischia :* solo concavo et sulfureo, qualis est totus ille tractus ; ignis eruptionibus olim sæpe infesta ; unde Homerus Jovem commentus est hanc impacto fulmine injecisse giganti *Typhœo*, qui ab Hesiodo describitur anguineis capitibus centum instructus, iisque flammas eructantibus, Terræ et Tartari filius in Theogon. 821. De *Typhœi* nomine, Georg. 1, 279. De *Marte*, Ecl. 9, 12. De *Latinis*, Æn. 7, 54.

Mœnibus exclusos, duro in certamine linquit :
Ast alios secum includit, recipitque ruentes :
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuò nova lux oculis effulsit, et arma
Horrendùm sonuêre : tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subitò Æneadæ : tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternæ fervidus irâ
Effatur : Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides : nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus :
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram :
Hîc etiam inventum Priamo narrabis Achillem.

ciorum, exclusos muris : alios verò claudit secum, et excipit irrumpentes : insanus ! qui non agnoverit in media multitudine regem Rutulum irruentem, et ultro clauserit *in* urbe, quasi crudelem tigrim inter ignavas pecudes. Statim novum lumen emicuit ex oculis *Turni*, et arma *ejus* sonuerunt horridè : cristæ rubræ nutant in capite, et emittit e clypeo fulgura rutilantia. Trojani statim perturbati agnoscunt vultum inimicum et grandia membra : tum magnus Pandarus exilit, et ardens dolore necis fraternæ exclamat : Non hæc *est* dotalis aula Amatæ : nec media Ardea claudit Turnum mœnibus patriis. Cernis castra hostilia : nulla est facultas hinc erumpendi. Turnus subridens illi *respondet* sedato animo : Incipe, si vis aliqua est animo *tuo*, et congredere *mecum* manu : referes Priamo hîc etiam repertum fuisse *a te* Achillem. Dixerat : ille

737. *Dotalis regia Amatæ.*) Laurentum, urbs regia Latini : cujus uxor Amata Turno favens, Laviniam ipsi regnumque in dotem tradere conabatur, Æn. 7, 56. De *Ardea*, Rutulorum et Turni urbe regia, Æn. 7, 372, 410.

742. *Priamo narrabis Achillem.*) Turnum, qui tam sit infestus Trojanis, quàm olim Achilles fuit. De *Achille*, Æn. 1, 103. Æn. 3,

Dixerat: ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet, summis adnixus viribus, hastam.
Excepêre auræ vulnus: Saturnia Juno
Detorsit veniens, portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum altè consurgit in ensem:
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus:
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepidâ formidine Troes;
Et si continuò victorem ea cura subisset
Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.

Pandarus, connitens toto robore, vibrat hastam asperam nodis et scabro cortice. Aer excepit ictum: Juno filia Saturni deflexit *eum* venientem, et hasta inhæret portæ. *Tu* verò non evitabis hæc arma, quæ mea dextra rotat *cum* robore: nam non *est* idem auctor armorum et ictûs. Sic dixit *Turnus*, et erigit se in gladium altè eductum: et dissecat ferro mediam frontem *Pandari* horrendo vulnere, inter utraque tempora et genas imberbes. Fit sonitus, terra quassata est magno *illo* pondere: trahit moriens *in* terra membra deficientia et arma sanguinolenta: et caput *scissum* in partes æquales pependit illi hinc atque hinc ex utroque humero. Trojani fugiunt dispulsi tumultuoso metu: et si illa cogitatio succurrisset statim victori *Turno*, frangere manu obices et excipere socios portis, dies ille fuisset supremus bello et populo *Trojano*: sed ira et immoderata

321. De *Priamo*, Æn. 2, 506. De *Junone Saturni filia*, Æn. 1, 27.

747. *Telum.*) Pro *ense*, ut jam alibi notavimus, Æn. 5, 438.

Principio Phalarim, et succiso poplite Gygen
Excipit : hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum : Juno vires animumque ministrat.
Addit Halyn comitem, et confixâ Phegea parmâ :
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes,
Alcandrumque, Haliumque Noemonaque, Prytanimque :
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat ; huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longè jacuit caput : inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno :
Et Clytium Æoliden, et amicum Cretea Musis ;
Cretea Musarum comitem ; cui carmina semper
Et citharæ cordi ; numerosque intendere nervis ;
Semper equos atque arma virûm pugnasque canebat.

cupiditas stragis impulit inflammatum *Turnum* adversùs oppositos *hostes*. Primò interficit Phalarim, et Gygen poplite *ejus* subsecto : deinde intorquet in dorsum fugientium hastas ereptas *his occisis* : Juno sufficit *ipsi* robur et animum. Adjicit *iis* socium Halyn, et Phegeum perforato *ejus* scuto : postea super muris inscios *ingressùs sui* et agitantes pugnam, Alcandrum, et Halium, et Noemona, et Prytanim. Connitens a dextera parte aggeris intercipit fulgenti ense Lynceum incurrentem ex adverso et appellantem socios ; caput cominus excisum uno ictu procul concidit illi cum casside : deinde *interficit* Amycum venatorem ferarum, quo nullus alter *erat* solertior illinere manu spicula, et imbuere ferrum veneno : et Clytium Æoli filium, et Creteum carum Musis, Creteum socium Musarum, cui semper cantus et lyræ erant curæ, et sonos edere chordis : semper cantabat equos, et bella hominum, et certamina.

769. *Connixus ab aggere dexter.*) Cùm contra tenderet Lynceus, Turnus sinistro latere innixus aggeri, dextra manu in dextrum quoque Lyncei latus incurrit. De *aggere*, suprà, v. 142.

773. *Ungere tela*, etc.) Medicatis et venenatis herbis, barbarico more.

Tandem ductores auditâ cæde suorum
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus:
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus : Quò deinde fugam? quò tenditis? inquit,
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, vestris, o cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque Deorum,
Et magni Æneæ segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugnâ,
Et fluvium petere ac partem quæ cingitur amni.
Acriùs hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. Ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis : at territus ille
Asper, acerba tuens, retro redit : et neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contra,

Denique duces Trojani cognitâ strage suorum congregantur, Mnestheus, et fortis Serestus : et cernunt socios vagos, et hostem admissum. Et Mnestheus clamat : Quò, quò dirigitis fugam ultra : quos jam habetis muros alios, quæ præterea munimenta? vir unus, clausus undique vestris aggeribus, o cives, fecerit per urbem tantas cædes absque ultione? dejecerit ad inferos tot principes juvenum? o inertes! nonne pudet et miseret *vos* patriæ infortunatæ, et antiquorum Deorum, et ingentis Æneæ. Talibus *verbis* inflammati corroborantur, et stant spisso agmine. Turnus *incipit* sensim recedere e prælio, et accedere *ad* flumen, et *ad* partem *murorum* quæ clauditur flumine. Trojani *pergunt* eò ardentiùs incurrere magno clamore, et cogi in turbam. Veluti cum turba *aliqua* urget jaculis infestis immanem leonem : ille autem turbatus, iratus, torvè aspiciens, cedit retro : nec tamen furor aut virtus sinit *eum* obvertere terga; nec ille valet, propter *multitudi-*

785. *Orco.*) Inferorum Deo, Georg. 1, 277.

796. *Potis est.*) De hac voce, Æn. 3, 671. De *Iride*, Æn. 4, 700.

Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque :
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exæstuat irâ.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes,
Bis conversa fugâ per muros agmina vertit.
Sed manus e castris properè coit omnis in unum ;
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere : aeriam cœlo nam Juppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem ;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantùm,
Nec dextrâ valet : injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida æra fatiscunt ;
Discussæque jubæ capiti, nec sufficit umbo
Ictibus : ingeminant hastis et Troes, et ipse
Fulmineus Mnestheus : tum toto corpore sudor
Liquitur ; et piceum, nec respirare potestas,

nem armorum et hominum, contra ruere, licet id cupiat. Non aliter Turnus anceps retro figit gressus absque festinatione, et animus exardescit furore. Immo etiam bis jam irruperat *in* hostes medios, bis verterat in fugam per muros turmas *in se* conversas. Sed omnis exercitus festinanter congregatur e castris in unum : nec Juno filia Saturni audet suppeditare *Turno* robur adversùs *eos* : nam Jupiter misit e cœlo Irim aeriam, portantem sorori mandata non grata ; nisi Turnus exeat *ex* altis muris Trojanorum. Igitur juvenis nec ampliùs potest resistere clypeo, nec manu : ita premitur jaculis undequaque intortis. Cassis sonat continuo flictu circa cava tempora, et *arma* valida ex ære rumpuntur lapidibus, et cristæ dejectæ *sunt e* capite, nec clypeus par *est adversùs tot* ictus : ingruunt hastis et Trojani, et ipse Mnestheus *instar* fulminis : præterea su-

810. *Jubæ*, etc.) *Equinæ jubæ*, unde cristæ galearum, Æn. 3, 468. *Umbo*, pars media eminens in clypeo, Æn. 2, 546.

813. *Piceum flumen.*) Sudor est pulveri commixtus, picis instar nigrescens et adhærens.

Flumen agit; fessos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit: ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis:
Et lætum sociis, ablutâ cæde, remisit.

dor e toto corpore labitur, et efficit nigrum fluentum; nec facultas *est* respirandi: *difficilis* anhelitus commovet membra fatigata. Tunc denique præcipitans immisit se saliendo in fluvium *cum* omnibus armis: fluvius in suo flavo sinu excepit cadentem, et portavit placidis aquis: et revexit gaudentem ad socios, sanguine *cædis* purgato.

ÆNEIDOS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter, advocato Deorum concilio, frustra conatus Junonem ac Venerem in concordiam adducere, de Trojanorum Rutulorumque rebus inter se dissidentes, pronuntiat se neutrarum partium fore, sed fatis omnia permissurum. Rutuli ad oppugnandam, Trojani ad defendendam urbem redeunt. Æneas, dies aliquot in Etruria commoratus, collectis inde auxiliis ad suos redit, triginta navium classe auctus. Nymphas, e suis navibus eam in speciem paulò antè transformatas, in itinere obvias habet. Ab iis de suorum periculo certior factus, sub primam lucem provectus in conspectum hostium, exercitum in litus exponit. Occurrunt Rutuli, commissoque gravi certamine, Pallas a Turno occiditur: cujus necem cùm ulcisceretur Æneas magnâ strage, et

Ascanius eruptione factâ copias suas paternis adjunxisset: Juno Turnum præsenti periculo eripit, objectâ illi falsâ Æneæ imagine: quam ille fugientem ad usque navem dum sequitur, retinaculis a Junone ruptis, ad litora Ardeæ proxima vi tempestatis abripitur. Mezentius pugnæ pro Turno succedens, et filius Mezentii Lausus, ab Æneâ occiduntur.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi:
Conciliumque vocat Divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum aspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus, incipit ipse:
Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis

Interim regia cœli omnipotentis aperitur: et genitor Deorum atque rector hominum cogit concilium in aulam stellatam: unde sublimis despicit cunctas terras, et castra Trojanorum, et gentes Latinas. Sedent in domo *aperta valvis* biforibus: ipse *Jupiter* orditur *sermonem*: Magni habitatores cœli, quare consilium vobis mutatum *est*

1. *Omnipotentis Olympi.*) Aliqui per *Olympum*, Jovem intelligunt, quem eo etiam nomine esse appellatum probat in indice Erythræus; ex Cæcilio Minutiano Apuleio, ex Cleanthe et Diodoro Siculo. Alii melius *cœlum* accipiunt: quod *omnipotens* dicitur, vel quia Jupiter omnipotens in eo habitat; vel quia ad omnium rerum productionem per siderum influxus conducit, ut terra per vim suam, quâ ideo dicitur *omnipotens*. Sic *Olympum omnipotentem* distinguit a Jove, Æn. 12, 791: *Rex omnipotentis Olympi*. De *Dardanidis*, Æn. 1, 239. De *Latinis*, Æn. 7, 54.

5. *Tectis bipatentibus.*) Ubi janua est *biforis*, quæ in dextram lævamque aperitur. Sic Auson. Epig. 137, 3, vocat *pugillar bipatens*, quod apertum duas paginas explicat.

6. *Quianam sententia vobis versa*, etc.) Id est: cur immemores estis meæ sententiæ, quâ prohibueram, ne Itali Trojanis obstarent. Vel: cur mutâstis ipsi sententiam vestram, quâ statueratis neutris partibus favere? *Quia-*

Versa retro? tantùmque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contra vetitum discordia? quis metus, aut hos,
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne accersite, tempus:
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas.

in contrarium? et usque adeò pugnatis animis adversis? prohibueram *ne* Italia bello congrederetur *cum* Trojanis: quæ dissensio *est* contra prohibitionem; quis timor impulit, vel hos, vel istos capere arma et commovere ferrum? veniet legitimum pugnæ tempus, ne accelerate *illud*: quando aspera Carthago inferet Romanis urbibus magnam perniciem et Alpes patefactas: tunc licebit pu-

nam, Æn. 5, 13. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

11. *Adveniet..... tempus*, etc.) Quasi dicat Jupiter: *Nemo mihi objiciat, quòd faveam Trojanis, eosque illæsos esse perpetuò velim. Adveniet tempus præscriptum fatis, quo eorum posteri gravibus et ipsi cladibus afficientur, ab Annibale et Carthaginiensibus.*

12. *Carthago*, etc.) Significat bella Punica a Carthaginiensibus ter gesta cum Romanis, quorum secundo Annibal per Hispanias, Galliasque in Italiam exercitum traduxit, superatis Pyrenæis et Alpibus. Italiam ferè totam in suam potestatem redegit, in ea per annos circiter sexdecim insedit: sed, Scipione interim in Africam immisso, revocatus in patriam, a Scipione victus est; Carthago vectigalis facta: atque ita bellum Punicum secundum confectum est, anno U. C. 553. Bello deinde Punico tertio deleta est urbs eadem a Scipione juniore sive Æmiliano, anno U. C. 608. De *Carthagine*, in argumento, l. 4. De *Alpibus*, Italiam a Gallia et Germania disterminantibus, Ecl. 10, 47.

13. *Exitium..... atque Alpes apertas*) Nova et figurata locutio, pro, *immittet exitium per Alpes apertas*: ut notat Scaliger. Vel potiùs, *immittet Alpes*, id est, *Alpinos populos*: docum dixit, pro incolis: quemadmodum, Georg. 3, 31: *Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphatem*: per *Niphatem* montem Armeniæ, Armenos ipsos intellixit, pulsos a Romanis. Aperuit autem sibi Alpes Annibal maximo labore, adesis aceto atque igne rupibus. Lege Livium, l. 21, 36.

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:
Nunc sinite, et placitum læti componite fœdus.
Juppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O pater, o hominum Divûmque æterna potestas,
(Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, et inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis

gnare odiis: tunc *licebit* depopulari res *Trojanas*: nunc permittite, et læti conciliate pacem *quæ* placet *mihi*. Juppiter *dixit* hæc paucis *verbis*: at pulchra Venus non pauca respondet adversùm: O genitor, o sempiterna virtus hominum ac Deorum (scilicet quid est aliud, quod nunc possimus invocare?) vides quomodo Rutuli insolescant, et *quomodo* Turnus conspicuus equis rapiatur inter medios, et irrumpat superbus felici prælio? munimenta clausa jam non tuentur Trojanos: immo committunt pugnam intra portas, et *in* ipsis propugnaculis murorum, et fossæ replentur sanguine. Æneas abest *illinc* inscius *rerum illarum*. An nunquam permittes *eos* liberari obsidione? rursus hostis instat muris Trojæ resurgentis, et præterea alter exercitus: et rursus Tydei filius insurgit in Teucros ab Arpis Ætolis. Sanè, opinor, superest ut

14. *Tum certare*, etc.) Tum licebit, ut Trojani, seu Romani eorum posteri, pareant odiis atque depræda-tioni hostium: vel, odiis vestris, deprædationi hostium.

15. *Componite fœdus.*) Vel inter vos; vel inter Latinos ac Trojanos. De *Venere aurea*, id est, *pulchra*, Æn. 1, 595. De *Rutulis*, Æn. 7, 795. De *aggeribus*, Æn. 9, 142.

27. *Nascentis Trojæ*, etc.) Æn. 7, 157.

28. *Ætolis ab Arpis Ty-*

Tydides. Equidem, credo, mea vulnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tua atque invito numine Troes
Italiam petiêre; luant peccata, neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi manesque dabant; cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Æoliâ excitos, aut actam nubibus Irim?

ego *rursus* vulnerer, et *ego* tua filia exspecto arma mortalis *viri*. Si Trojani adierunt Italiam absque tua venia, et invitâ divinitate *tuâ*; expendant *pœnas* delicti *sui*, nec recrees illos ope *tuâ*: si verò *id fecerunt* obsecuti tot oraculis, quæ cœlum et inferi dabant *illis;* cur ullus nunc potest frangere *vim* mandatorum tuorum, vel cur *potest* statuere nova fata? Cur memorabo naves incensas in litore Siculo? cur regem procellarum, et ventos furiosos eductos ex Æolia *insula*, aut Irim demissam ex aere? nunc

dides.) *Arpi*, Apuliæ Dauniæ urbs, cujus ruinæ adhuc dicuntur *Arpe*. Condita a Diomede Tydei filio, de quo, Æn. 11, 243. Ab eo petierat auxilium Turnus, Æn. 8, 9, nullo tamen sucessu, ut patebit, Æn. 11, 243. Quare Venus hic fingit exercitum ab Arpis imminere, ut causam suam exaggeret.

29. *Mea vulnera restant.*) Iliad. 5, 335. Cùm Æneam a Diomede lapidis ictu vulneratum, Venus opposito peplo e pugnæ periculo subduceret, a Diomede in vola manûs vulnerata est. Mars deinde ad imum ventrem ab eo sauciatus quoque est, v. 857.

36. *Erycino in litore.*) Æn. 5, 660. Mulieres Trojanæ, Junonis et Iridis suasu, tædio navigationis, naves Æneæ exusserunt, dum is ludos celebrabat ad patris Anchisæ tumulum, prope Erycem, Siciliæ urbem et montem, qui nunc est mons *sancti Juliani*, Æn. 3, 707. Æn. 5, 24.

38. *Æoliâ excitos.*) Juno Æolum et ventos in Æneæ classem concitavit, Æn. 1, 56, ubi de insulis *Æoliis*, ad latus septentrionale Siciliæ.

Irim.) Missa est a Junone, ad Trojanas mulieres, ut eas ad incendium navium concitaret, Æn. 5, 606. Ad Turnum, ut eum ad bellum hortaretur, Æn. 9, 2, etc. De *Iride*, Æn. 4, 700.

Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet: et superis immissa repentè
Alecto, medias Italûm bacchata per urbes.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura, per eversæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obtestor; liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas sanè ignotis jactetur in undis;
Et, quamcumque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc tegere, et diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hîc ævum: magnâ ditione jubeto

quoque *Juno* concitat inferos, hæc sola pars rerum restabat inexperta: et Alecto immissa subitò *in loca* superiora, sæviit in mediis urbibus Italorum. Non moveor ob regnum: speravimus illud, dum fors favit: superent, quos mavis superare. Si nulla est plaga, quam aspera uxor tua relinquat Trojanis, o pater, obsecro per fumantes ruinas Trojæ dirutæ; liceat *mihi* eripere Ascanium salvum e bello, liceat *ut* restet nepos. Æneas quidem agitetur fluctibus incognitis, et sequatur iter quodcumque sors offeret *ipsi*: *at* possim tueri, et subtrahere e crudeli prælio hunc *Ascanium*. Est mihi Amathus, est alta Paphos, *sunt* Cythera, et ædes Idaliæ: illic ducat vitam ignobilis abjectis ar-

39. *Manes.*) Deos inferorum, Æn. 6, 743. Hos commovit Juno cùm in Trojanos furiam Alecto concitavit, Æn. 7, 324. Alecto deinde Amatam in furorem egit, ibid. 346; postea Turnum, ibid. 409. De voce *bacchata*, quæ a furiosis Bacchi comitibus petitur, Æn. 4, 301.

51. *Amathus.*) Genit. *Amathuntis*, nunc *Limisso*: et *Idalium*, aut *Idalia*. *Idalio*, aut *Idalia*: *monte e cidade de Chipre consagrada a Venus*: et *Paphus*, sive *Paphos*, *Baffo*: urbes in Cypro insula quæ tota Veneri sacra fuit, Æn. 1, 629. *Cythera*, *orum*, insula inter Peloponnesum et Cretam, nunc *Cerigo*, Æn. 1, 261.

Carthago premat Ausoniam : nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes?
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum quò Troja fuit? Xanthum et Simoenta
Redde, oro, miseris : iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi : Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Ænean hominum quisquam Divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus, esto,
Cassandræ impulsus furiis. Num linquere castra

mis : impera *ut* Carthago opprimat Italiam gravi potentiâ : nihil ab eo *Ascanio* obstabit urbibus Punicis. Quid profuit *Æneum* evitâsse ruinas belli, et fugisse per medios ignes Græcos? et *quid profuit* evasisse tot pericula maris et terræ immensæ, dum Trojani quærunt Latium, et Trojam rursus cadentem? nonne potius *erat* manere *in* ultimis ruinis patriæ, et *in* terra ubi fuit Troja. O pater, redde, precor, miseris *illis* Xanthum et Simoenta, et permitte Trojanis rursus adire casus Troicos. Tum Juno regina, commota furore aspero, *ait*: Quare cogis me solvere profundum silentium, et patefacere sermone dolorem occultum? *an* ullus hominum aut Deorum coegit Æneam adire bellum, aut opponere se hostem regi Latino? *adiit* Italiam fatis suadentibus, incitatus vaticiniis Cassandræ, *sit ita sanè*. An suasimus *ei ut* desereret castra *sua*, aut cre-

54. *Ausoniam.*) Italiam, Æn. 7, 55.

56. *Argolicos.*) Græcos, ab urbe *Argis*, Æn. 1, 289.

58. *Latium*, etc.) Æn. 7, 54. *Teucri*, Æn. 1, 239. *Pergama*, arx Trojæ, Æn. 1, 470. *Recidiva*, aliqui explicant *restituta*; ego, *caduca, rursus cadentia*, Æn. 7, 322. *Xanthus*, et *Simoes*, Troadis fluvii, Æn. 1, 104, 477.

68. *Cassandræ.... furiis.*) Amarum Junonis dictum : quo significat Æneam furiosa quædam Cassandræ vaticinia

Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hîc Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patriâ Turnum consistere terrâ;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

deret vitam *suam* ventis? an *suasimus, ut* traderet puero administrationem belli et urbem *suam?* aut *ut* sollicitaret fidem Etruscam et populos tranquillos? quis Deus, quæ infesta vis nostra impulit *eum* in *hoc* damnum? ubi *est in* ea *re* Juno, et Iris missa ex aere? Injustum est *nempe, quod* Itali cingant ignibus Trojam novam; et *quod* Turnus maneat in patria tellure? *Turnus, inquam,* cui Pilumnus est avus, cui Dea Venilia *est* mater. *Quid ergo illud*

pro Deorum et fati monitis accepisse. *Cassandra,* Priami filia fuit et vates, Æn. 2, 246. Prædixerat Anchisæ Trojanos venturos in Italiam, Æn. 3, 183.

70. *Puero.*) Ascanio, cui curam novæ Trojæ crediderat, sub tutela tamen Mnesthei et Seresti, Æn. 9, 171.

71. *Tyrrhenamve fidem,* etc.) Æneas, Evandri consilio, Tarchontem et Tyrrhenos, a Mezentio rege dissidentes, adierat, opem ab iis petiturus : Æn. 8, 597. De *Tyrrhena gente,* ibid.

76. *Pilumnus avus,* etc.) *Pilumnus* et *Picumnus* fratres, antiqui Rutulorum reges : Jovem, juxta aliquos, patrem habuerunt. *Pilumnus:* ob inventum *pili* usum in comminuendo frumento, totamque pinsendi artem, inde nomen habuit. *Picumnus,* ob inductum morem stercorandæ terræ, *Stercutius* etiam est appellatus. Iidem dicti sunt Dii conjugales : iisdemque, statim ut natus erat infans, lectus in atrio domûs honoris causâ sternebatur, teste Varrone apud Nonium : quare ipsos etiam necesse est aliquid eorum reperisse, quæ ad conjugia puerorumque institutionem pertinent. Ab hoc primo *Pilumno,* aut multi, aut omnes deinde Rutulorum reges, *Pilumni* dicti sunt : si quidem Pilumnus dicitur Turni *parens,* Æn. 9, 4. Turni *avus,* hîc; Turni *quartus pater,* id est, *abavus,* infrà v. 619. De *Veniliæ* genere nihil reperitur, nisi quod erat soror Amatæ, Latini uxoris : de ejusdem divinitate nihil, nisi quod a Servio Nympha dicitur.

Quid face Trojanos atrâ vim ferre Latinis?
Arva alienajugo premere, atque avertere prædas?
Quid soceras legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere Graiûm,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes;
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contrà juvisse, nefandum est.
Æneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:

est, quod Trojani nigris tædis inferunt vim Latinis? opprimunt imperio regiones non suas, et abducunt prædas? quid *est*, *quòd* decipiunt soceros, et eripiunt sponsas e sinu *sponsorum, quòd* manu precantur pacem, et prætendunt arma navibus? Tu potes suffurari Æneam e manibus Græcorum, et opponere pro viro *illo* nubem et vanas auras; et potes transformare naves in totidem Nymphas: crimen est, nos adjuvisse aliquantulum Rutulos adversùs *eum*. Æneas abest inscius *periculi urbis*: et *verò* absit inscius. Est tibi Paphus et Idalium, sunt Cythera subli-

77. *Face*, etc.) Significat primos belli motus ob occisum a Trojanis Sylviæ cervum excitatos: ubi rusticis armis, fustibus obustis, et stipitibus primò res acta est, Æn. 7, 506.

79. *Soceros legere*, etc.) *Decipere*, *furtim accipere*, et quasi *suffurari*: unde dicitur *sacrilegus*, qui sacra furatur: quo sensu compositum verbum magis est in usu *sublegere*: unde Ecl. 9, 21: *Sublegi tacitus tibi carmina nuper.*

80. *Pacem orare manu*, etc.) Id est: aliud verbis præ se ferre, aliud re præstare. *Pacem orare manu*, est supplicum ritu ramos olivæ, tæniis laneis implicatos, manu prætendere, Æn. 7, 237.

81. *Tu potes Æneam*, etc.) Æneam Venus e Diomedis manibus eripuit, peplo, vel nebulâ pepli instar obductâ, supra v. 29.

83. *Nymphas.*) Id a Cybele factum, Æn. 9, 117; sed quasi in gratiam Veneris factum esset, Veneri exprobrat Juno.

85. *Ignarus et absit*, etc.) Rationem petitam ex Æneæ absentiâ, cùm refutare non possit, ironicâ concessione eludit. De *Papho, et Idalio*, etc. v. 51.

Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovique cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno, cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario: ceu flamina prima

mia: cur *ergo* sollicitas urbem potentem bello et animos bellicosos? an nos subruere tibi *a* fundamentis fragile regnum Troadis contendimus? *an inquam* nos? an *potiùs ille*, qui commisit Trojanos cum Græcis? quæ fuit causa *cur* Europa et Asia surgeret in bella, et societas dirimeretur clandestino *amore? an* adulter Trojanus cepit Spartam me duce? an ego subministravi arma, et alui bellum amoribus? tunc decebat te timere tuis: jam tardior insolescis querimoniis non legitimis, et moves rixas inanes. Juno loquebatur talibus verbis: et omnes incolæ cœli mussitabant diversis sententiis: veluti quando primi fla-

87. *Urbem*, etc.) *Laurentum*, cujus imperium affectare Æneas videbatur, per Laviniæ conjugium.

88. *Nosne tibi fluxas*, etc.) Dixerat Venus: *Xanthum et Simoenta redde oro miseris*: permitte ut in ipsis Trojæ reliquiis maneamus. Reponit Juno. *An ego id impedio, an Trojæ reliquias tibi invideo?* Vel præsens posuit pro præterito: *an ego everti olim res Trojæ per se labentes et fluxas.*

89. *Qui Troas Achivis objecit.*) *Parin* significat: qui societatem et jura hospitiorum violavit: Helenam Menelai regis Spartani conjugem, apud quem hospitio exceptus erat, rapuit, marito absente: immo, si fides hic est Junoni et Virgilio, per vim expugnatâ Spartâ id commisit, Æn. 1, 31. De *Achivis*, Æn. 1, 492.

91. *Europam*, etc.) Ubi Græcia. *Asiam*, ubi Troas. *Spartam*, urbem Peloponnesi, Æn. 2, 577. *Dardanius*, Paris e regia Dardani familia, Æn. 1, 31, 239.

93. *Cupidine.*) Amore mutuo Helenæ et Paridis: *Cupido*, Veneris filius, Æn. 1, 662.

Cùm deprensa fremunt sylvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente, Deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
Tum zephyri posuêre, premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta.
Quando quidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,

tus fremunt inclusi sylvis, et volvunt obscuros sonitus, significantes nautis imminentem ventum. Tunc genitor omnipotens, cui *est* suprema potentia rerum, incepit *loqui*: illo loquente, alta aula Deorum conticescit, et tellus territa *a* fundamentis, et sublimis æther tacet: tum Zephyri quieverunt, mare sternit tranquillam planitiem. Ergo excipite hæc mea verba, et imprimite *ea* mentibus. Siquidem non permittitur Latinos sociari Trojanis per fœdus, et vestra dissensio non habet finem: ab hoc die, quæcumque fit unicuique sors, quamlibet spem *sibi* assumat unusquisque, sive Trojanus, sive Rutulus fuerit, *hos* tractabo sine ullo discrimine: sive urbs cingitur obsidione *in* damnum

102. *Solo tellus.*) *Solo*, profunditate, quæ solida terra est, Ecl. 6, 35. De *Zephyris*, Ecl. 5, 5. De *Ausoniis*, Æn. 7, 54. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

107. *Secat spem.*) Servius, Erythræus, et alii explicant, *sequitur* spem, sic enim *secundus* et *secta* derivantur a *sequendo*. Turnebus interpretatur *dissecat*, et sibi quasi *separat* et *sumit*. Idem innuit adhuc tertiam interpretationem, *transigit*, *absolvit*, *exequitur*, ex illo Horatii Sat. I. 1, 10, 15: *Ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res.*

108. *Rutulusve fuat.*) *Fuerit*: defectivum futuri temporis. De *Rutulis*, Æn. 7, 795.

Sive errore malo Trojæ, monitisque sinistris;
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atrâque voragine ripas,
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hîc finis fandi: solio tum Juppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis.
Ast legio Æneadum vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, et rarâ muros cinxêre coronâ.
Asius Imbracides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Tibris,

Italorum; sive pernicioso errore Trojanorum et ominibus infaustis; nec libero Rutulos *fatis*. Unicuique sua incepta præstabunt damnum aut felicitatem. Rex Jupiter æquus *erit* omnibus. Fata facient *sibi* viam. Firmavit *hoc* per fluvium fratris Stygii, per ripas fluentes pice et nigris vorticibus: et motu *capitis* commovit universum cœlum. Hîc *fuit* finis sermonum: tunc Jupiter surgit e solio aureo, quem superi deducunt domum *cingentes eum* medium. Interim Rutuli *ad* omnes portas pergunt circumdelere viros internecione, et circumdare muros incendiis. Exercitus autem Trojanorum clauditur obsessus *intra* aggeres, nec *est* ulla spes fugiendi. Infelices *illi* excubant frustra *in* altis turribus, et cingunt muros exiguo numero. Asius filius Imbraci, et Thymœtes filius Hicetaonis, et duo Assaraci, et senex Tibris cum Castore, *sunt* præcipui *in* turba *propugnantium*: duo

110. *Errore malo.... monitis sinistris*) Quibus impulsi sunt, ut urbe se clauderent.

113. *Stygii per flumina fratris*, etc.) Per *Styga*, Plutonis inferorumque flumen, per quod Dii jurabant, Georg. 3, 551. Æn. 6, 323. De *Olympo*, Ecl. 5, 56.

117. *Ad limina.*) Ex patenti aula, ubi habitum concilium fuerat: ad ipsius interioris domûs januam.

Prima acies : hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, et Hæmon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Mnestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis :
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum,
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,

fratres Sarpedonis, et Clarus et Hæmon e nobili Lycia, comitantur illos. Acmon *ex urbe* Lyrnesso, non inferior patre Clytio aut fratre Mnestheo, contendens toto corpore jacit vastum saxum, *quod erat* non parvum fragmentum montis. Alii conantur propugnare *urbem* jaculis, alii lapidibus : et immittere tædas, et imponere sagittas nervo *arcûs*. Ecce ipse puer Dardanius, dignissimus amor Veneris, in mediis nudatus *secundùm* pulchrum caput, fulget quasi gemma, quæ distinguit aurum rutilum, et ornamentum *est colli* vel capitis : aut quemadmodum splendet ebur

125. *Germani Sarpedonis ambo*, etc.) Fratres Sarpedonis, qui Lyciæ rex, Jovis ex Laodamia filius, occisus est a Patroclo in obsidione Trojæ, Æn. 1, 104. *Germani* autem dicuntur a Varrone, qui ex eadem genitrice manant : aut meliùs a Festo, qui ex eodem *germine*, et stirpe, sive paternâ, sive maternâ, sunt.

128. *Lyrnessius.*) Ex urbe Phrygiæ *Lyrnesso*, non longè a Thebe, circa sinum Adramyttenum : ubi suos *Cilices* ponit Homerus : qui ab Achille pulsi, et in meridialem Asiæ minoris partem profugi, ad orientem Pamphyliæ consederunt; ibique condiderunt urbes cognominis *Lyrnessum* et *Thebæ*, et *Ciliciæ* novæ nomen dederunt. Ita Strabo, l. 14, ex Callisthene. Quare cùm diximus, Æn. 2, 456, Andromachen filiam fuisse Eetionis, Thebani regis in Cilicia, Ciliciam veterem et Homericam, non novam accepimus.

129. *Fratre Mnestheo.*) Servius legit *Menestheo*, ut sit dactylus in quinta sede : sed e probatissimis codicibus malim legi *Mnestheo*; ut *fratre* sit spondeus, ultimâ syllabâ productâ, ob sequentem duplicem consonantem in *Mnestheo*.

133. *Dardanius puer.*) Non tantùm Trojanus, sed ex regia *Dardani* familia

Aut collo decus, aut capiti : vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho
Lucet ebur. Fusos cervix cui lactea crines
Accipit, et molli subnectit circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere, et calamos armare veneno,
Mœoniâ, generose, domo : ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.
Affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimem gloria tollit :
Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant : mediâ Æneas freta nocte secabat.
Namque ut ab Evandro castris ingressus Etruscis,

infixum ex arte, vel buxo, vel terebintho Oriciæ *urbis*. Huic cervix candida sustinet capillos promissos, et circulus auri flexilis subligat *eos*. O Ismare, bellicosi populi viderunt etiam te intentare vulnera, et ungere sagittas veneno : te, *inquam*, generose *juvenis*, e patria Lydia, ubi homines colunt opimos agros; et Pactolus spargit *eos* auro. Aderat quoque Mnestheus, quem honor pristinus ejecti e murorum propugnaculis Turni evehit *in* altum : et Capys, a quo nomen inditum est urbi Campanæ. Illi commiserant inter se prælium asperi belli : Æneas *autem* mediâ nocte scindebat mare. Scilicet postquàm ab Evandro venit *ad* regem *Tarchontem*, ingressus *in* castra Tyrrhe-

etiam oriundus, Æn. 1, 239, 288.

136. *Oriciâ terebintho.*) *Terebinthus*, arbor est resinæ speciem fundens, ligno ebeni instar eximii ac nigri splendoris : magna nascitur in Syria, brevis ac fruticosa in Macedonia. Plin. l. 13, 6. *Oricum*, oppidum est Macedoniæ Plinio, in Epiri confinio, ad mare Ionium, nunc *Orco* : ab aliis Chaoniæ regioni Epiri annumeratur.

141. *Mœoniâ*, etc.) Quæ deinceps *Lydia* dicta est, Asiæ minoris mediterranea regio. De *ea*, ejusque fluvio Pactolo, aureis arenis nobili, Æn. 4, 216.

145. *Campanæ urbi*, etc.) *Capuæ* : quæ Campaniæ caput fuit; nunc quæ extat hujus nominis, ab antiqua ferè leucæ spatio diversa est.

148. *Ut ab Evandro.*) Quomodo Æneas ab Evandro ad Tarchontem Etruscorum ducem, Evandri suasu

Regem adit, et regi memorat nomenque genusque,
Quidve petat, quidve ipse ferat: Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus,
Admonet, immiscetque preces: haud fit mora, Tarchon
Jungit opes, fœdusque ferit. Tum libera fatis
Classem conscendit, jussis gens Lydia Divûm
Externo commissa duci. Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat

na; et aperuit regi nomen et genus; et exposuit quid poscat, aut quid ipse offerat, quas vires Mezentius associet sibi, et *quàm sit* violentus animus Turni; monuit, quæ sit *habenda* fides rebus hominum, et adjecit preces: mora nulla adhibetur, Tarchon sociat vires *suas*, et init fœdus. Tunc populus Etruscus, *non* impeditus fatis, conscendit naves, creditus duci extero *ex* imperio Deorum. Navis Æneæ habet primum *locum*, ornata *circa* rostrum leonibus Phrygiis. Ida assurgit suprà, *mons* gratissimus Trojanis exulibus. Ingens Æneas hìc sedet, et meditatur secum

abierit; vidimus, Æn. 8, 478, 597.

154. *Libera fatis.*) Quia fatis prohibebatur, ne, post expulsum Mezentium, alium sibi regem, nisi externæ stirpis, assumeret, Æn. 8, 498.

155. *Gens Lydia.*) *Etrusci* sive *Tyrrheni*, e *Lydia* oriundi, Æn. 8, 579. Æn. 2, 781.

156. *Æneia puppis.*) Probabile est Etruscos tum classem paratam habuisse, cui sola Æneæ insignia ad ornatum imponenda fuerint. Neque enim tantulo tempore potuit ædificari, quantulo Æneas apud eos moram fecit.

157. *Rostro Phrygios*, etc.) *Idam* habuit in insignibus, quia in illo Phrygiæ monte classem olim ad fugam ædificaverat, Æn. 3, 6, auspiciis *Cybeles*, quæ pinus, in eo monte sibi sacras, Æneæ in id opus concesserat, Æn. 9, 88. Ideo *leones* appositi, quia sacri sunt Cybele. *Phrygii* dicti, quia Cybeles cultus in Phrygia præcipuè vigebat, Æn. 3, 111. De *Rostro* navium, Æn. 5, 143. De *Teucris*, Æn. 1, 139.

Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Affixus lateri, jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter; jam quæ passus terrâque marique.
Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete:
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur.

varios casus belli; et Pallas admotus *ad* lævum latus *ejus*, modò inquirit de astris, *quæ sunt* itinera noctis; modò *de iis*, quæ *Æneas* sustinuit terrâ et mari. O Musæ, aperite nunc Helicona, et suggerite *mihi hos* cantus; quæ multitudo sequatur interim Æneam e regione Etrusca, et impleat naves, et feratur mari. Primus

160. *Pallas.*) Evandri filius, Æn. 8, passim.

163. *Pandite nunc*, etc.) Eumdem hunc versum adhibuit in enumeratione auxiliorum Turni, Æn. 7, 641. *Deæ*, Musæ; Ecl. 3, 60. *Helicon*, mons Bœotiæ, Parnasso vicinus, Musis sacer.

164. *Tuscis.*) De iis jam sæpe diximus, Æn. 8, 479. etc. Pro variis temporibus et coloniis varia mutârunt nomina: modò *Etrusci*, modò *Tyrrheni*, modò *Tusci*. Primò Apenninis montibus a septentrione et occidente, mari infero a meridie, Tiberi ab oriente, terminati sunt, Ligurum etiam partem aliquam complexi: tumque duodecim in populos urbesque distincti: quibus totidem præerant principes, *Lucumones* patrio nomine communiter dicti; quorum unus aliis per vices præerat. Talis fuit *Mezentius*, rex sive Lucumo Cæritis urbis: talis *Porsenna* rex Clusii, etc. Postea, ut testatur Livius, l. 5, transgressi Apenninum, circa Padum ad usque Alpes tenuêre: ibique totidem statuêre colonias, quot erant gentis capita, nimirum duodecim: hinc a Gallis deinde pulsi sunt, et intra fines antiquos repressi. Atque hujus Etruriæ Circumpadanæ caput fuisse Mantuam ait Virgilius infrà, v. 201. Ubi eamdem ipsi divisionem populorum tribuit: ut primò totum *genus* tres in tribus sive *gentes;* mox singulæ tribus in quatuor *populos*, sive urbes, aut curias, distinguerentur.

166. *Massicus.*) Rex, sive Lucumo *Clusii* urbis et *Cosæ*. Tamen infrà, v. 655. Clusii rex vocatur *Osinius*. Igitur vel idem duplici nomine dictus est *Osinius* et *Massicus:* vel *Massicus* rex fuit Cosæ, *Osinius* Clusii; ita tamen ut Osinius subesset Massico, unde urbs utraque Massicum ducem sequi dici-

Massicus æratâ princeps secat æquora Tigri;
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi
Quique urbem liquêre Cosas; queis tela, sagittæ,
Corytique leves humeris, et lethifer arcus.
Unà torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos,
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Massicus findit mare Tigri æratâ; sub quo *sunt* mille manus juvenum; qui venerunt *e* muris Clusi et urbe Cosa; quibus arma *sunt*, sagittæ, et leves pharetræ *in* humeris, et arcus mortifer. Simul *est* ferox Abas; tota hujus acies splendebat armis conspicuis, et puppis Apolline aurato; Populonia patria subjecerat illi sexcentos juvenes peritos belli; Ilva autem trecentos, insula nobilis copio-

tur. Et verò reges illos inter se non fuisse æqualis dignitatis, ex eo patet, quòd primò tres, deinde duodecim in partes populi illi dividerentur, ut modò diximus. *Tigri.* Nomina navium petita e figuris in puppi vel prora pictis aut sculptis.

167. *Clusi*, etc.) *Clusium*, urbs Etruriæ mediterranea, hodie *Chiusi:* ad paludem longissimam, quam *Clanis* fluvius trajicit, hodie *Chiana.*

168. *Cosas.*) *Cosæ*, vel *Cossæ*, vel singulari numero *Cosa*, Etruriæ maritima urbs, ad promontorium *Argentarium*, quod hodie est *monte Argentaro;* urbs ipsa putatur quibusdam eadem esse, quæ nunc dicitur *Orbitello;* sed aliis melius oppidum vicinum, *Ansedonia.*

169. *Coryti*) Græca vox, γωρυτὸς, *pharetra*, theca sagittarum. Quâ voce, post Virgilium usi Ovidius et Statius.

172. *Populonia mater.*) *Populonium*, vel *Populonia*, in promontorio cognomine: cujus ex ruinis non procul condita est urbs hodie dicta, *Piombino.* Dicitur urbs *mater:* quemadmodum Italia, *parens*, Georg. 2, 173.

173. *Ilva.*) Græcis dicta *Æthalia*, nunc *Elba:* in conspectu Populoniæ, ad meridiem: ferri fodinis olim ferax, quæ duo hæc habebant præcipua, teste Strabone, l. 5: unum, quòd in ipsa insula fornacibus liquari ferrum non posset, sed ideo in continentem transferretur: alterum, quòd fossæ, unde ferrum esset erutum, rursus tractu temporis implerentur: quare meritò dicuntur a Virgilio, *inexhaustæ.*

174. *Chalybum metallis.*) Ferro, cujus eudendi ars præ-

Tertius, ille hominum Divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis;

sis metallis Chalybum. Tertius *erat*, ille Asylas interpres *rerum* divinarum et humanarum, cui obtemperant viscera animalium, et astra cœli, et voces avium, et flammæ fulminis ominosi: trahit *secum* mille *viros* confertos numero et rigidis hastis. Pisæ, urbs Tusca situ, ortæ *ex Pisis* Alpheis, jusserant hos subesse *Asylæ*. Sequitur Astur formosissimus, Astur fidens equo et armis pictis. Qui sunt *ex* patria Cærete, qui in Campis Minionis; et antiqui

cipua fuit apud *Chalybes*, populos, vel Ponti, vel Hispaniæ, Georg. 1, 58, a quibus ferrum optimè temperatum dicitur *Chalybs*, *æco*.

176. *Pecudum fibræ*, etc.) Significantur hic: I. Per fibras pecudum, *aruspices*, qui futura prædicebant ex inspectis extis et visceribus hostiarum, Æn. 8, 498. II. Per sidera, *astromantia*. III. Per volucrum linguas, *ars augurum*, Æn. 3, 361. IV. Per fulmina præsaga, *ars ominatoria*, quæ ex dextro aut sinistro casu aliisque fulminum circumstantiis præsagia ducebat, Ecl. 1, 16.

179. *Alpheæ*, *Pisæ*, etc.) *Pisa*, *Pisæ*: urbs in confinio Etruriæ, prope *Ligures*, adhuc retinens nomen ad fluvium Arnum, *Arno*: condita putatur a Peloponnesiis, vel post bellum Trojanum eò per errorem pulsis; vel, ut Virgilius censet, ante ipsa Trojana tempora. Est autem in Peloponneso urbs cognominis, ad *Alpheum* fluvium, Georg. 4. 19. Æn. 3, 694.

183. *Cærete domo*, etc.) Ex urbe *Cæretana*, hodie *Cerveteri*, cui priùs Mezentius imperabat, Æn. 8, 479, 597. *Minio* hodie *Munhone*: fluviolus, non qui *Cære* alluit, ut aliqui perperam notârunt; sed qui ab ea urbe distat leucis aliquot ad occidentem.

Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra; et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.

Pyrgi, et Graviscæ *ubi* mala temperies *aeris*, adjungunt trecentos : omnibus par *est* voluntas sequendi. Non ego omittam te, o Cinyra generosissime bello dux Ligurum; et Cupavo *quem* pauci sequuntur, cujus e capite attollun-

104. *Pyrgi.*) Oppidum maritimum, nunc dirutum. Cæretanæ urbi vicinum, ad occidentem : Martialis vocat *litoreos Pyrgos*, a πύργοι, *turres.*

Intempestæ Graviscæ.) *Gravisca*, vel, *Graviscæ*, maritima item urbs fuit, jam planè excisa. Nomen habet a *gravitate* aeris, vicinarum paludum odore corrupti, ut ex Catone apud Servium, et Rutilio constat. Ideo *intempestæ* a Virgilio vocantur, quia carentes aeris salubri temperie.

185. *Ligurum.*) *Liguria* duplex, alia litorea, Alpibus ab occidente; Macrà fluvio, *a Magra*, ab oriente; Apenninis jugis, a septentrione; mari Ligustico, a meridie definita. Alia mediterranea, ultra Apenninum ad septentrionem excurrens, usque ad Padum, *o Pó*. Litorea nunc ferè est, o *rio de Genova*, ubi *Genua*, urbs et respublica : mediterranea nunc capit ducatum Montisferrati, partemque Mediolanensis et Pedemontii principatûs.

186. *Cupavo.*) Phaeton, Clymenes et Solis filius, Epaphi regis Ægypti conviciis adactus ut se filium Solis probaret : cùm a patre petiisset currûs regimen in unum diem et ægrè obtinuisset, deflecteretque a consueta diurni currûs orbita, atque ita mundus ardere cœpisset, Jovis fulmine perculsus in Eridanum cecidit. Ovid. Metam. 2. Phaetontis sorores, *Phaetusa*, *Lampetie*, et *Lampetusa*, cùm eum toto orbe quærerent, tandem ejus tumulum in Eridani ripis nactæ, ibidem fletu contabuerunt : et in arbores mutatæ sunt, vel alnos, vel populos; unde *succinum* sive *electrum*, quasi lacrymas manare poetæ finxerunt. *Cycnus*, Ligurum rex, materno sanguine et amicitiâ conjunctissimus Phaetonti, apud eumdem fluvium ex dolore in cycnum conversus est, Ovid. Metam. 2, 367. *Cupavo*, *Cupavonis*, hujus Cycni filius a Virgilio dicitur, id est, unus e posteris. Quis autem fuerit fluvius ille *Eridanus*, electri ferax, ambigitur. Vulgò poetis *Padus* putatur, superioris illius Italiæ, sive Galliæ Cisalpinæ fluvius, Georg. 1, 482. Joannes Goropius *Vistulam* esse existimat, Poloniæ et Prus-

Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.
Namque ferunt luctu Cycnum Phaetontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit, et mœstum musâ solatur amorem,
Canentem molli plumâ duxisse senectam,
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ; saxumque undis immane minatur
Arduus, et longâ sulcat maria alta carinâ.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs et Tusci filius amnis,

tur plumæ cycneæ. Amor crimen *est* vestræ *familiæ*, et insigne *petitum ex* transformatione patris. Scilicet aiunt Cycnum, dum desiderio dilecti Phaetontis cantat inter arbores populos ac umbracula sororum *ejus*, et *dum* recreat cantu tristem amorem, albescentem teneris plumis traduxisse senectutem, deserendo terras et petendo cœlum cantu. Filius secutus classe turmas æqualium propellit remis magnum *navem* Centaurum: ille *Centaurus* impendet aquæ, et sublimis intentat fluctibus vastum saxum, et findit profundum mare longâ trabe. Ille etiam Ocnus, filius Mantûs vatis et fluvii Etrusci, movet exercitum e patria re-

siæ fluvium; quia electrum e Prussiæ litoribus mitti certum est. Cluverius arbitratur esse fluvium *Radanum*, *Radaunne*; qui Dantiscum urbem interfluens, non procul inde se Vistulæ immiscet.

188. *Crimen amor vestrum.*) *Vestrum crimen*: id est, familiæ illius vestræ, (nam *Cycnus* Phaetonti ejusque sororibus per Clymenem sanguine junctus erat) fuit amor in Phaetonta, dolorque nimius de ejus interitu: quo offensi Dii tam multos ex eadem familia in alienas formas immutârunt. *Formæque insigne paternæ*. Plumæ oloriæ, sive cycneæ, e galea subrectæ.

195. *Centaurum.*) Navim, cui insculptus Centaurus saxum intentans. De *Centauris*, monstris, superiore parte humanâ, inferiore equinâ, Æn. 6, 286.

198. *Ocnus.*) Non conditor, sed instaurator, sive munitor urbis Mantuæ: cui muros et nomen matris suæ dedisse fingitur. Quo nomine antea dicta fuerit *Mantua*, ignoratur. *Ocnus*, idem, qui *Bianor* appellatur, Ecl. 9, 60.

199. *Fatidicæ Mantûs.*)

Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infestâ ducebat in æquora pinu.
It gravis Auletes, centenâque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.

gione : *ille*, o Mantua, qui dedit tibi muros et nomen matris *suæ*, o Mantua illustris majoribus, sed stirps non *est* eadem omnibus : habet tribus tres, populos quatuor sub *unaquaque* tribu, ipse *est* primaria populorum *illorum*, robur *illi* ex Etrusca cognatione. Præterea Mezentius concitat contra se quingentos ex illa *regione* : quos Mincius, habens patrem Benacum, coronatus arundine viridi, ducebat in mare navibus inimicis *Mezentio*. Ducit *eos* Auletes gravis, et erigens *se* percutit undam centenis *remis* ligneis : fluctus spumant agitato mari. Portat

Manto, genitivo Græco, *Mantûs;* Tiresiæ vatis filia. *Fatidica* dicitur, ex ipsa vi nominis : est enim μάντις, vates.

Tusci amnis.) *Tiberis*, o *Tibre*, qui Tusciam a vicinis regionibus disterminat, Æn. 8, 330.

281. *Mantua dives avis.*) Urbs Galliæ Cisalpinæ, nunc ducatûs caput : sita in medio stagno, quod *Mincius* amnis efficit. Primi ejus conditores fuêre *Tusci* : qui ex Etruria, sive Tuscia antiqua, in eam regionem effusi, eamdem illic, quam apud se, regiminis formam constituerant, duodenas in urbes ac populos administrationem partiti, ut jam diximus, v. 164. Duodecim urbium illarum novæ Tusciæ *Mantuam* caput Virgilius facit, ut faveat aduleturque patriæ : cùm tamen caput esset *Felsina*, quæ deinde *Bononia* appellata est, juxta Cluverium Ital. l. 1, 26.

205. *Benaco*, etc.) *Benacus*, lacus est ejusdem Galliæ Cisalpinæ, in agro Veronensi, nunc *lago de Garda*, Georg. 2, 160. *Mincium* fluvium emittit, *Menzo :* qui postquàm urbem *Mantuam* in modum lacûs circumalluit, exonerat sese in Padum. *Mincium* hunc ne ducem esse putes, sed ipsum fluvium, cujus e ripis collecta classis hæc fuerat quingentorum hominum, quorum dux *Auletes*.

Huc vehit immanis Triton, et cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in Pristin desinit alvus,
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, et campos salis ære secabant.
Jamque dies cœlo concesserat, almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum, Nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse

illum Triton vastus, et terrens mare cæruleum *tubâ* e concha: huic *Tritoni* merso usque ad latera, vultus pilosus exhibet hominem, venter exit in Pristin, unda spumosa sonat sub pectore semiferino. Tot principes selecti navigabant triginta navibus *in* auxilium Trojæ *novæ*, et scindebant ærato *rostro* spatia salsæ *aquæ*. Et jam lux abierat *e* cœlo, et benefica Luna attingebat medium cœlum curru nocturno: Æneas ipse sedens, moderatur gubernaculum, et dat operam velis: non enim sollicitudo permittit *ejus* corpori *ullam* quietem. Et ecce turba suarum sociarum offert se ipsi in medio cursu, *scilicet* Nymphæ, quas benefica Cybele voluerat frui divinitate maris, et fieri Nymphas e navibus: natabant simul, et scindebant un-

209. *Triton.*) Neptuni tubicen, conchâ utens pro tuba, superiore parte vir, inferiore piscis, Æn. 1, 148.

211. *Pristin.*) Piscem immanem, e balænarum genere, Æn. 3, 427.

214. *Salis*, etc.) *Sal*, pro *mari*, Æn. 1, 541. De *æratis castris*, Æn. 5, 143.

216. *Phœbe.*) Luna, Phœbi soror, Ecl. 3, 67. De *Olympo*, monte Thessaliæ, qui pro *cœlo* sumitur, Ecl. 5, 56. De *Cybele*, Æn. 3, 111. De *navibus Æneæ*, in Nymphas transformatis, Æn. 9, 120.

218. *Velisque ministrat.*) Proprium est, *ministrare* alicui homini: translatum, *ministrare velis*: ministrabat autem Æneas, non colligendo aut explicando vela; quod inferiorum erat operarum: sed *pedes*, id est, funes qui extremis angulis majoris veli alligati erant, aut contrahendo, aut remittendo; quod gubernatoris erat munus, Æn. 5, 830.

Jusserat: innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot priùs æratæ steterant ad littora proræ.
Agnoscunt longè regem, lustrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Ponè sequens, dextrâ puppim tenet: ipsaque dorso
Eminet, ac lævâ tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne, Deûm gens
Ænea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacrò de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammâque premebat:
Rupimus invitè tua vincula, teque per æquor
Quærimus. Hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse Deas, ævumque agitare sub undis.

das, quot antea naves æratæ stabant ad litus. Agnoscunt procul Regem, et circumeunt *eum* saltando. Cymodocea, quæ erat peritissima loquendi *inter* illas, tenet manu dextrâ puppim, sequens prope: et ipsa emergit tergo, ac subnatat sinistrâ *manu per* aquas quietas. Deinde sic affatur Æneam inscium *harum rerum*: O Ænea, soboles Deorum, an vigilas? vigila, et laxa funes velis. Nos sumus pinus Ideæ, e sacro cacumine *illius montis*, naves *olim* tuæ, nunc Nymphæ maris. Cùm Rutulus fœdifragus persequeretur ferro et igne nos submergendas: abrupimus non sponte tua retinacula, et te quærimus per mare. Mater *Cybele* miserta *nostri* reparavit formam *nostram*, et permisit *nos* esse Deas, et ducere vitam sub aquis. Sed ju-

224. *Lustrant.*) Circumeunt, Æn. 1, 612.

228. *Vigilasne*, etc.) Ratione quippe temporis dormire debuerat; nisi gubernatoris partes in se suscepisset. Sunt qui allusum putent ad morem Romanum, quo, postquàm indictum erat bellum, imperator Martis sacrarium ingressus, hastam simulacri commovebat dicens: *Mars, vigila.* Sunt qui ad verba Vestalium; quæ, teste Servio, certis diebus adibant regem sacrorum, dicebantque: *Vigilasne, rex, vigila.*

230. *Idææ pinus.*) Materia navium, *pinus* arbor. Locus natalis, *Ida* Phrygiæ mons,

At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca jussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques : medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge, age, et Aurorâ socios veniente vocari
Primus in arma jube ; et clypeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux (mea si non irrita dicta putâris)
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.
Dixerat, et dextrâ discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim : fugit illa per undas,
Ocior et jaculo et ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse

venis Ascanius clauditur muro et fossis, inter media arma et Latinos feroces bello. Jam equitatus Arcadius, junctus generosis Etruscis, attigit loca præscripta : certum est consilium Turni, objicere illis agmina interjecta, ne *illi* promoveant ad urbem *sua*. Age, surge, et *primâ* luce imminente primus impera socios excitari ad arma ; et sume clypeum, quem ipse Vulcanus donavit tibi impenetrabilem et cinxit extremitatem *illius* auro. Crastina dies videbit magnos cumulos Rutulorum cadaverum, nisi existimaveris mea verba vana. *Sic* locuta fuerat, et abiens pepulit *manu* dextrâ *puppim* sublimem, non inscia modi *quo erat impellenda* : illa *puppis* currit per aquas, celerior et telo et sagittâ pari ventis. Deinde aliæ naves properant. Ipse

Æn. 2, 801. De *Rutulis*, Æn. 7, 795.

238. *Jam loca jussa*, etc.) Non descripsit poeta, quò Æneas jusserit equites abire. Sed cùm Evander Arcadas equites quadringentos Æneæ adjunxerit, Æn. 8, 518 ; cùm Æneas eos Etrusco exercitui sociârit, ibid. 606, verisimile est eum, antequàm naves conscenderet, equitatum et suum et Etruscum terrâ præmisisse : eo consilio, ut certum in locum provecti, impressionem in castra Rutulorum facerent, eodem tempore, quo naves exscensionem tentarent. De *Aurora*, Georg. 1, 249.

243. *Ignipotens.*) *Vulcanus*, Veneris suasu, clypeum Æneæ fabricaverat, Æn. 5, 439.

Tros Anchisiades : animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera aspectans convexa precatur :
Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones :
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu ritè propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo.
Tantùm effatus : et interea revoluta ruebat
Maturâ jam luce dies, noctemque fugârat.
Principiò sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi : clypeum tum deinde sinistrâ
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris : spes addita suscitat iras :
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris

Trojanus filius Anchisæ miratur nesciens causam : tamen erigit animos *suorum hoc* præsagio. Deinde suspiciens concavas *partes* summi *cœli*, *sic* orat breviter : O mater Idæa, altrix Deorum, cui Dindyma cara *sunt*, et urbes turritæ, et leones bini *alligati* jugo *et dociles* ad fræna : tu nunc es mihi auctor pugnæ, tu bene secundes omen, et accedas ad Phrygas cursu prospero, o Dea. *Hæc* solùm locutus : et interim dies reversa provehebatur lumine jam pleno, et expulerat noctem. Primò imperat sociis, *ut* sequantur vexilla et excitent animos ad bella, et accingant se *ad* certamen. Et jam habet præ oculis Trojanos et munimenta *urbis* suæ, erectus in puppi excelsa : tum postea extulit lævâ *manu* clypeum fulgentem. Trojani e mœnibus emittunt clamorem ad astra : spes aucta accendit iras : vibrant manibus jacula. Quales grues Strymonis *fluvii* emit-

251. *Supera convexa.*) Id est, *rotunda*, aut *concava*, Æn. 1, 314.

252. *Idæa...*) *Cybele.* Mater Deorum : quæ quia pro Terra sumebatur, quæ sustentat urbes ; ideo turrita eam corona pingebatur. Cur ejus currum leones traherent, vidimus, Æn. 3, 111. Huic sacri fuerunt montes plerique Phrygiæ : *Ida*, Æn. 2, 801. *Dindymus*, Æn. 9, 618.

254. *Propinques augurium.*) Id est, *præsens sis hoc augurio* : seu *faveas hoc au-*

Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis: donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes.
Non secus ac liquidâ si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent; aut Sirius ardor,

tunt voces inter nigras nubes, et trajiciunt cœlum cum sonitu, et fugiunt Austros *cum* læto clamore. Sed ea *cœperunt* videri mirabilia regi Rutulo et ducibus Italis: donec viderunt naves detortas ad litus, et totum mare appelli *cum* navibus. Conus *galeæ* fulget *e* capite, et splendor spargitur e summitate *per* cristas, et umbo clypei aureus emittit copiosos ignes. Non aliter ac si cometæ cruenti aliquando tristè rubescunt per humidam noctem: aut *si* ignis ille Sirius oritur, portendens hominibus male affec-

gurio. Vide Æn. 1, 530: *Propiùs res aspice nostras.* Vocat Trojanos, *Phrygas;* quia Troas in Phrygia minore fuit, Æn. 1, 385.

265. *Strymoniæ*, etc.) Comparatio illa, bellici Trojanorum clamoris cum gruum clamore, repetita est ex Homero, Iliad. 3, 2. *Grues*, *grues*, aves oblongo collo ac rostro, frequentes circa *Strymonem*, Macedoniæ fluvium in confinio Thraciæ. Imbrem fugiunt, magno numero collectæ: ideoque *Notos*, id est, *Austros*, ventos pluvios a meridie, Ecl. 2, 58. Hinc Georg. 1, 374, inter signa imbris: *aut illum vallibus imis aeriæ fugêre grues.* De *Rutulis*, Æn. 7, 795. De *Ausoniis*, Latinis, ibid. 54.

269. *Totumque allabi classibus æquor.*) Commutatio, pro *classes allabi toto æquore.* Sic Æn. 6, 268: *Ibant obscuri sola sub nocte.*

270. *Ardet apex capiti*, etc.) Æneæ habitum describit, cædem Rutulo comminantis; et cum cometa comparat. Mutuatus est hanc descriptionem ex Homero, de clypeo et galea Achillis, Il. 19, 379. Comparationem verò cum *Sirio*, sive *Canicula*, ex eodem, Il. 22, 26. De *Apice*, sive *cono* galeæ, ejusdemque *cristis*, Æn. 3, 468. De *umbone*, parte mediâ et maximè eminente clypei, Æn. 2, 546.

273. *Sirius ardor.*) *Sirius* vel *Canicula*, stella in ore majoris canis, maximos æstus

Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris,
Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præripere, et venientes pellere terrâ.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro :
Quod votis optâstis, adest perfringere dextrâ :
In manibus Mars ipse, viri : nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes : ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.
Hæc ait, et secum versat, quos ducere contrà,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus

tis siccitatem et morbos, et contristat cœlum luce sinistrâ. Tamen non periit audaci Turno spes occupandi litus, et prohibendi terrâ descendentes. Ultro excitat verbis animos *suorum*, et ultro adhortatur : O viri, promptum *est* vobis perficere manu, quod cupivistis votis : pugna ipsa *est* in potestate *vestra* : jam unusquisque sit memor uxoris et domûs *suæ*; nunc memoret præclara gesta *et* laudes majorum : ultro objiciamus *nos* ad mare, dum tumultuantur, et primi gressus vacillant exscendentibus. Fortuna auxiliatur audacibus. Dicit hæc : et meditatur secum, quos *possit* ducere adversus *Æneam*, aut quibus possit committere urbem obsessam. Interea Æneas emittit pontibus socios ex altis navibus. Multi *incipiunt* quærere refluxum maris

creans, Georg. 2, 353. Hic adjectivè sumitur, alibi substantivè, Æn. 3, 141.

280. *In manibus Mars.*) In potestate. Sic Æn. 9, 132: *Terra autem in manibus.*

288. *Servare recursus*, etc.) Sensus hic est. Tres ineunt exscensionis vias. I. Æneas applicat naves summæ crepidini litoris, et jactis pontibus milites exponit. II. Alii qui quærunt vadosa quædam loca, quæ æstu quidem affluente, fluctibus operta sunt, refluente sicca sunt, aut saxis et arenis et stagnantibus aquis infesta : hæc autem in loca exiliunt, aut saltum remis adjuvant ac sustentant. III. Tarchon, omissis vadosis illis et inæqualibus locis, elegit planum et humile litus : quò fluctus æque of-

Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu :
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Quà vada non sperat, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Advertit subitò proras, sociosque precatur :
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis :
Tollite, ferte rates, inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso ;
Arreptâ tellure semel. Quæ talia postquàm
Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis :
Donec rostra tenent siccum, et sedêre carinæ
Omnes innocuæ ; sed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,

tranquillioris, et exponere se *in loca* vadosa per saltum : alii ope remorum. Tarchon contemplatus litora, quâ parte non putat *reperiri* vada, et undæ non sonant allisæ, *sed quâ parte* mare sine offensione advolvitur, æstu tumescente, subitò impellit proras, et orat socios : Nunc, o turba electa, intendite validos remos : erigite, invehite naves ; scindite rostris hanc terram hosticam, et ipsa trabs *ima* aperiat sibi viam : et *cùm* semel arripuero terram, non abnuo lacerare navem *in* tali loco. Quæ talia cùm Tarchon dixisset, socii *cœperunt* erigere *se* in remos, et invehere naves spumosas in litus Latinum : donec rostro attigerunt siccum *locum*, et omnes naves steterunt illæsæ ; non tamen navis tua, o Tarchon. Quippe impacta arenis

fensione ac strepitu, sed leni et æquali impetu evolvuntur. Cum autem ibi aqua deficiat : hortatur Tarchon, ut valido impetu naves impulsæ ac velut sublatæ, sulcum in terra sibi aperiant. Eo tamen in loco repertis præter spem vadis et inæqualibus arenarum cumulis, navis Tarchontis alliditur.

299. *Tonsis.*) *Tonsa*, remus, Æn. 7, 28.

302. *Innocuæ.*) Activa vox : sed passivè sumitur, pro *illæsæ*. Sic Lucanus usurpat *innoxia*, l. 9, 895, de Psyllis loquens : *gens unica terris incolit, asævo serpentum innoxia morsu ;* id est, *illæsa morsu.*

303. *Vadis.*) Locis, ubi aqua parum alta est, Æn. 1, 115, in notis.

Anceps, sustentata diu, fluctusque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt; retrahitque pedes simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt: primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ; stravitque Latinos,
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Æneam petit. Huic gladio, perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exsectum jam matre peremptâ,

dum pendet *ex* inæquali cumulo *earum*, nutabunda, diu suspensa; et *dum* agitat undas, laceratur, et effundit viros in medias aquas: quibus fragmenta remorum et scamna subnatantia obstant, et fluctus refluens simul retrahit pedes *allabentium*. Nec pigra mora retardat Turnum: sed promptus ducit universum exercitum contra Trojanos, et ex adverso stat in litore. Signa insonant: Æneas primus aggreditur agmina rustica, *quod fuit* initium prælii: et dejicit Latinos, interfecto Therone, qui hominum maximus primus tendit *in* Æneam. *Æneas* ense pervadit huic latus perfossum, per loricam asperam auro, et per textus æreos *clypei*. Inde occidit Lycam, excisum *e* matre

304. *Fluctusque fatigat.*) Servius explicat: *fluctus fatigat navim.* Ego: *navis fatigat fluctus:* scilicet crebro remorum et contorum impulsu, succussuque, ut ex arenis extraheretur. De *transtris*, scamnis navium, Æn. 5, 119.

310. *Signa.*) Tubæ, cornua, buccinæ, Æn. 7, 637.

311. *Omen pugnæ.*) Vel *initium*, quia in rerum initiis, omina sive auspicia captabantur, Æn. 7, 173. Vel *faustum auspicium:* ex hoc enim primo successu, de victoria bene æstimare cœpit.

313. *Suta.*) Id est, clypeum ex multis æreis laminis *consutum* et contextum. Quâ formâ Virgilius, Georg. 4, 33, vocavit alvearia, *corticibus suta cavatis.*

314. *Tunicam.*) Vestem interiorem, de qua, Æn. 9, 616.

Latus haurit.) *Exhaurit*, educto per vulnus sanguine. Metaphora ducta ab utribus

Et tibi, Phœbe, sacrum : casus evadere ferri
Quòd licuit parvo. Nec longè Cissea durum,
Immanemque Gyam, sternentes agmina clavâ,
Dejecit letho. Nihil illos Herculis arma,
Nil validæ juvêre manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, usque graves dum terra labores
Præbuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum, clamantis sistit in ore.
Tu quoque flaventem primâ lanugine malas
Dum sequeris Clytium, infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardaniâ stratus dextrâ, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci

jam mortua, et dicatum tibi, o Apollo : quòd *adhuc* infans potuisset evadere periculum ferri. Nec procul morte stravit asperum Cisseum, et grandem Gyam, vastantes clavâ turmas. Nihil profuerunt illis arma Herculis, nihil robustæ manus, et pater Melampus, socius Herculis quandiu terra proposuit *Herculi* difficiles labores. Ecce vibrans telum *in* Pharum, dum is emittit stolida verba, defigit *illud* in ore vociferantis. Tu etiam, o miser Cydon, dum perditus insequeris Clytium, flavum genis *ob* primorem barbam, novum amicum *tuum*, jacuisses dejectus manu Trojanâ, non sollicitus *de* amoribus juvenum qui tibi erant semper *cordi*, nisi densa turma fratrum, proles Phorci,

et doliis : quæ dicuntur *exhaurire*, cùm facto foramine liquor ex iis educitur.

316. *Tibi, Phœbe, sacrum.*) Quia Apollo medicorum est Deus, quorum ope exsectâ matre Lycas, ortus fuerat : atque ita ferri vi natus, eâdemque mortuus. De *Phœbo*, Ecl. 3, 62.

319. *Herculis arma.*) Clava, e duræ arboris trunco. De *Hercule*, seu *Alcida*, ejusque laboribus, Æn. 8, 288. De *Melampo*, fortè medico illo celebri, de quo, Georg. 3, 550.

326. *Securus amorum.*) Nihil tum sollicitus de rebus amatoriis, quippe mortuus : pari ferè, non eâdem tamen formâ, dixit, Æn. 1, 354 : *Securus amorum germanæ Dardanidâ*, Trojanâ Æneæ manu, Æn. 1, 239. *Rutulos*, Æn. 7, 794. *Græïs*, Græcis, Georg. 2, 16.

Progenies : septem numero, septenaque tela
Conjiciunt : partim galeâ clypeoque resultant
Irrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Æneas affatur Achaten :
Suggere tela mihi (non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Graiûm
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit : illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextrâ : trajecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem :
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit : sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.

fuisset obvia *Æneæ* : numero septem *sunt*, vibrant septem tela : *sed ea* partim *e* casside et clypeo resiliunt inania, partim mater Venus divertit *ea* contingentia corpus *Æneæ*. Æneas alloquitur fidelem Achaten : Subministra mihi arma, quæ in arvis Trojanis fixa *sunt* in corporibus Græcorum : nullum *telum ex iis* dextera vibrabit incassum in Rutulos. Tum apprehendit ingentem hastam, et vibrat : illa volans transfodit æra scuti Mæonis, et penetrat simul loricam cum pectore. Alcanor frater auxiliatur illi, et sustinet dextrâ fratrem cadentem : hasta *jam* vibrata continuò pervadit transfosso brachio, et sanguinolenta servat impetum : et dextra *Alcanoris* languens nervis pependit ex humero. Tunc Numitor telo extracto e corpore fratris appetiit Æneam : sed non permissum est vicissim etiam *eum* vulnerare, at delibavit femur magni

339. *Trajecto missa lacerto*, etc.) Aliqui de altera hasta intelligunt, quæ post trajectum Mæonem ab Ænea missa fuerit. Ego de eadem, quæ primò Mæonis pectus, deinde eodem impetu subeuntis Alcanoris pervaserit lacertum, unde dextra ejus manus languida pependerit. *Lacertus*, pars est brachii a cubito ad manum, *antebrachio*.

Hîc Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, et rigidâ Dryopen ferit eminus hastâ
Sub mentum graviter pressâ, pariterque loquenti
Vocem animamque rapit trajecto gutture : at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threicios, Boreæ de gente supremâ,
Et tres, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Occurrit Halesus,
Auruncæque manus : subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis : expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi : certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis et viribus æquis :

Achatæ. Tunc Clausus confidens juvenili corpore venit *e* Curibus, et procul lædit Dryopen rigenti hastâ durè inflictâ sub mentum, et simul aufert loquenti vocem et spiritum transfosso jugulo : ille autem verberat fronte tellurem, et effundit ore spissum sanguinem. Dejecit etiam per varios modos tres Thracas, de sublimi stirpe Boreæ; et tres quos pater Idas et patria ***urbs*** Ismara misit ***ad bellum***. Halesus occurrit et turmæ Auruncæ : occurrit et progenies Neptuni Messapus conspicuus equis: modò hi, modò illi conantur expellere ; pugnatur in ipso ingressu Italiæ. Quemadmodum venti oppositi excitant pugnas in spatioso aere, paribus animis et viribus : non cedit mare ***ipsis***,

345. ***Curibus.***) Ex urbe Sabinorum, Æn. 7, 710. Postquàm descripsit Virgilius cædem factam ab Ænea, mox narrat cædem Trojanorum, a Clauso Sabino patratam.

350. ***Threicios, Boreæ***, etc.) ***Thraces***, Æn. 3, 14. ***Boreas*** septentrionalis ventus : fingitur Strymonis fuisse filius, fluvii Macedoniæ, qui Thraciæ etiam tribuitur, Ecl. 7, 51.

351. ***Ismara.***) Singularis numeri, ut videtur : Thraciæ urbs est Servio ad Ismarum montem, qui non longè est ab ostiis Hebri : ***Ismarus*** tamen urbs illa vulgò dicitur, non ***Ismara***. Ptolemæo in Armenia minore statuitur, ad Euphratem.

352. ***Halesus, Auruncæque***, etc.) Auruncorum Italorum dux, mox a Pallante occidendus, v. 425, Æn. 7, 723, 726, etc. De ***Messapo***, equis nobili, ob Neptunum equi auctorem, ibid. 691. De ***Ausonia***, ibid. 54.

Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixi omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies, aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, quà saxa rotantia latè
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci;
Aspera queis natura loci dimittere quando
Suadit equos; unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quò fugitis, socii? per vos, et fortia facta;
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis;
Fidite ne pedibus: ferro rumpenda per hostes
Est via, quà globus ille virûm densissimus urget:

non nubes, non ipsi *venti* inter se: diu dubium *est* prælium, manent obluctantes contra omnia. Non aliter agmina Trojana, et agmina Latina congrediuntur: pes hæret pedi, et vir spissus viro. Sed ab alia parte, quà torrens latè disjecerat lapides contortos, et arbores evulsas *e* ripis, postquàm Pallas conspexit Arcadas, non assuetos incurrere agmine pedestri, objicere terga Latino persequenti: quandoquidem difficilis natura loci coegit *eos* descendere *ex* equis; modò precibus, modò dictis asperis inflammat virtutem *illorum*, quod solùm supererat *in* rebus angustis: Quò fugitis, *o* socii? per vos *ipsos*, et *per* generosa gesta *vestra*; per nomen Evandri regis, et relatas victorias, et meam expectationem, quæ nunc surgit æmula gloriæ paternæ; ne committite *vos* fugæ; via *est* aperienda inter hostes, quâ *parte* multitudo illa hominum spississima

361. *Pede pes.*) Pro *pedi*, inquit Servius.

362. *Saxa rotantia.*) Passivè, pro *rotata*: ut Georg. 1, 163: *Volventia plaustra*, pro *voluta*.

363. *Arbusta.*) Non arbusculæ sunt, sed loca ipsa arboribus consita, Ecl. 1, 40.

371. *Spemque meam, quæ*, etc.) Cùm pater meus victor ex omnibus bellis domum re-

Hàc vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis, animæque, manusque.
Ecce, maris magno claudit nos objice pontus:
Deest jam terra fugæ: pelagus, Trojamne petemus?
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primùm fatis adductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium quà spina dedit; hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas anteruentem,
Dum furit, incautum, crudeli morte sodalis,
Excipit: atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, et Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.

premit *nos*; nobilis patria hàc vocat vos et ducem Pallanta. Nulli Dii urgent *nos*, mortales urgemur ab hoste mortali; *sunt* nobis *tot* manus et animæ, *quot illis*. Ecce mare coercet nos magno obstaculo aquarum; jam terra deficit fugæ; an adibimus mare, an Trojam? Dixit hæc, et medius irruit in hostes confertos. Lagus occurrit primùm obvius illi, attractus fatis adversis; dum *hic* attollit saxum vasti ponderis, *Pallas* occidit eum immissâ hastâ, quà *parte* spina facit divortium costarum per medium *dorsi*: et retrahit hastam infixam ossibus. Hisbon non intercipit illum *Pallanta* in *hoc opere*, quamvis ille hoc speraret. Nam Pallas priùs intercipit irrumpentem, improvidum, dum furit *ob* mortem asperam socii: et occultat gladium in pulmone turgido. Deinde invadit Helenum, et Anchemolum e veteri familia Rhœti, ausum constu-

meârit: ego, ejus laudis æmulus, sperabam me quoque victorem rediturum.

378. *Trojam.*) Novam, seu castra Trojanorum, Æn. 7, 57.

387. *Tumido in pulmone.*) Et ex natura sua, et ob iram ex morte socii conceptam.

389. *Anchemolum, thalamos*, etc.) Narrat Servius

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Tymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error:
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi, Tymbre, caput Evandrius abstulit ensis:
Te decisa suum, Laride, dextera quærit;
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit: hoc spatium, tantùmque moræ fuit Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus

prare cubile novercæ. Vos quoque gemini *fratres*, occidistis in campis Rutulis, Laride et Tymber, soboles Dauci, *quæ erat* simillima, et indistincta suis parentibus, et *causa* jucundi erroris. Sed Pallas nunc posuit crudelia discrimina *inter vos*. Nam gladius Evandri filii abscidit tibi caput, o Tymber: dextra *manus* amputata quærit te suum, o Laride: et digiti moventur semimortui, et motant gladium. Dolor junctus pudori excitat in hostem Arcadas inflammatos monitis, et videntes egregia gesta ducis. Tunc Pallas confodit Rhœteum fugientem ulterius *equis* binis jugo *alligatis*: tantumdem spatii et moræ fuit Ilo *ad mortem*. Nam *Pallas* intenderat eminus *in* Ilum hastam robustam: quam Rhœteus medius excepit, fugiens te, fortissime Teuthra, et fratrem *tuum* Tyren: et excussus e

ex Abieno, Rhœtum fuisse Marrubiorum in Italia regem, qui cùm Anchemolo filio novercam superinduxisset Casperiam, stuprata illa fuit ab ipso Anchemolo, qui patris metu ad Turnum fugit.

392. *Indiscreta suis*, etc.) Ita similes inter se fratres, ut a parentibus discerni non possent.

394. *Tymbre.*) Dicitur *Tymber* et *Tymbrus;* ut *Evander* et *Evandrus*, Æn. 8, 313.

396. *Ferrumque retractant.*) Convulsis nempe nervis, et aliquo motu subsultuque gladium adhuc attrectantibus.

402. *Teuthra.*) *Teuthras*, *Teuthræ:* ut *Æneas*, *Æneæ:* vocat. in *a*. *Tyren.*) *Tyres*,

Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optatò, ventis æstate coortis,
Dispersa immittit sylvis incendia pastor:
Correptis subitò mediis, extenditur unà
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ovantes.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti diripit ense,
Elatam in jugulum: saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispergit cerebro permixta cruento.
Fata canens sylvis genitor celârat Halesum.

curru semimortuus ferit talis agros Rutulorum. Et sicut *per* æstatem ventis subortis ex voto pastor diffundit *in* sylvis sparsa incendia: continuò correptis mediis *sylvis* horrenda vis Vulcani funditur simul in vastos agros: ille verò *pastor* sedens voti compos aspicit ignes exsultantes. Non aliter vis tota sociorum colligitur in unum, et adjuvat te, o Palla. At Halesus ardens bello currit contra oppositos, et convolvit se in arma sua. Hic interficit Ladonem, et Phereta, et Demodocum: abscindit Strymonio splendente gladio dextram erectam in guttur *suum*: vulnerat lapide frontem Thoantis, et diffindit ossa mixta cerebro sanguinolento. Pater *Halesi* prædicens futura oc-

Tyræ: ut *Anchises*, *Anchisæ:* accus. in *en*.

404. *Calcibus.*) *Calx*, extrema pars et posterior pedis, talus: unde *calcar*, et *calcare*. De *Rutulis*, Æn. 7, 794.

408. *Acies Vulcania.*) Exercitus et vis Vulcani, id est, incendium, ex multis flammis, aciei instar, collectum. De *Vulcano*, Georg. 1, 295.

409. *Flammas ovantes.*) Quasi triumphantes. De illa voce, Æn. 3, 189.

413. *Phereta.*) *Pheres*, *Pheretis:* ut *Dares*, *Daretis:* accus. in *a*.

417. *Genitor celarat Halesum.*) Halesus hic diversus est ab eo qui, Æn. 7, 723, dicitur *Agamemnonius Trojani nominis hostis*. Hujus enim pater, *senior letho canentia lumina solvit:* et filium Italicis *sylvis celavit*. At pater alterius Agamemnon,

Ut senior letho canentia lumina solvit,
Injecêre manum Parcæ, telisque sacrârunt
Evandri : quem sic Pallas petit ante precatus :
Da nunc, Tybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi :
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus. Dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tantâ perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina. Primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci :

cultaverat Halesum *in* sylvis. Postquàm senex dissolvit morte oculos seniles, Parcæ miserunt manus *in Halesum*, et addixerunt *eum* armis Evandri. Pallas aggreditur illum, sic priùs precatus : O pater Tybri, da nunc felicem *exitum*, et viam per pectus fortis Halesi, telo quod libro volatile : quercus tua feret hæc arma et spolia hominis. Deus *Tybris* exaudivit illa *verba*. Dum Halesus tegit Imaona, offert miser jaculo Arcadico pectus indefensum. Sed Lausus, *qui erat* magna pars belli, non permittit exercitum terreri nece tanti hominis. Primus interficit Abantem adversum, *qui erat* difficultas et firmamen-

robustâ ætate occisus est in Græcia, Clytæmnestræ uxoris insidiis.

418. *Canentia lumina.*) *Senilia :* Dura translatio, a *canitie*, quæ propria est capillorum. De *Parcis*, fata hominum fuso volventibus, Æn. 1, 26. De *Tybri*, fluvio regionis illius, Æn. 8, 350.

423. *Tua quercus.*) Aliqua ex iis, quæ tuis in ripis nascuntur.

424. *Texit.*) Donatus videtur explicuisse *protexit, defendit :* a *tego*. Servius, *detexit, spoliavit*, a *texo :* et Plautina quidem locutio est, in Amphitr. act. 1, sc. 1, v. 138 : *Illic hoc homo denuo volt pallium detexere*, id est, *spoliare*, ut explicant Turnebus ac Taubmannus. At cùm Plautus usus sit verbo composito *detexere*; vereor ut simplex *texere* significare idem possit : quare Donato assentior, etsi tempus præteritum hîc durius cùlè adhibetur pro præsenti.

426. *Lausus.*) Mezentii filius, Æn. 7, 649. De *Arcadibus*, Æn. 8, 51. De *Etruscis*, ibid. 479. De *Teucris*, Æn. 1, 239.

Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt, ducibusque et viribus æquis:
Extremi addensent acies, nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urget;
Hinc contrà Lausus: nec multùm discrepat ætas:
Egregii forma; sed queis fortuna negârat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: Tempus desistere pugnâ,
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipse parens spectator adesset.
Hæc ait: et socii cesserunt æquore jusso.
At Rutulûm abscessu juvenis, tum jussa superba

tum pugnæ. Soboles Arcadiæ cæditur, Tusci cæduntur: et vos, Trojani, corpora *quæ* Græci *non potuerant* perdere. Exercitus miscentur, paribus ductoribus et viribus: ultimi comprimunt multitudinem *pugnantium:* nec multitudo permittit expediri arma et manus. Hinc Pallas imminet et urget; illinc Lausus *ex* adverso: nec ætas valde distat: pulchrâ *erant* specie; sed sors negaverat illis regressum in patriam. Tamen rex vasti cœli non passus *est* illos certare inter se: mox sua funera destinata *sunt* illis sub hoste nobiliore. Interim soror benevola *Turni* admonet *Turnum*, qui trajicit celeri curru mediam turbam, ut auxilietur Lauso. Postquàm aspexit socios, ait: Tempus *est* recedendi a prælio, ego solus irruo in Pallanta; Pallas debetur mihi soli: optarem ut ipse *ejus* pater *hic* esset præsens. Dixit hæc, et socii recesserunt e campo præ-

432. *Addensent.*) Vulgò *addensant.* Sed doctissimi quique grammatici verbum illud etiam in secunda conjugat. agnoscunt. Ita frequenter Lucretius. *Addensant* autem extremi acies, dum urgent ipsi, instantque, ut in primos pugnantum ordines perveniant.

438. *Majore sub hoste.*) Quippe *Pallas* mox occidendus erat a Turno, v. 487; *Lausus*, ab Æneâ, v. 815.

439. *Soror alma.*) Turni soror, Juturna Nympha, de qua, Æn 12, 138.

Miratus, stupet in Turno; corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: forti pater æquus utrique est:
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis, pedes apparat ire
Cominus: utque leo, specula cùm vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum,
Viribus imparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, et mensas quas advena adisti,

scripto. Sed juvenis *Pallas*, tum *ob* recessum Rutulorum, tum admiratus jussa imperiosa, obstupet *fixus* in Turno: et versat oculos per magnum corpus *illius*, et circuit omnia fero aspectu; et talibus dictis respondet adversùs verba Regis: Ego mox prædicabor, aut *propter* direptas magnificas exuvias, aut *propter* necem illustrem: genitor *meus* paratus est utrique fortunæ: abstine minis. Locutus prodit in medium campum. Sanguis frigidus concurrit Arcadibus circa cor. Turnus descendit *ex equis* duobus jugo *alligatis*, parat pedes accedere propiùs, et quemadmodum leo accurrit, quando e sublimi specula conspexit taurum cogitantem pugnas stare longè in agris: non alia est species Turni appropinquantis. Pallas, quando existimavit fore *ut* ille *posset* tangi hastâ vibratâ, *cœpit* primus irruere, robore inæquali, *explorans* an sors aliquando faveret incepto, et sic loquitur ad cœlum magnum: O Alcide, oro te, per hospitalitatem mei patris, et mensas

448. *Tyranni.*) Regis, Æn. 7, 266.

449. *Spoliis opimis.*) Quæ dux duci detrahit.

451. *Æquor.*) Est æqua planities, Æn. 2, 780.

454. *Specula.*) Loco editiore, unde subjecta loca despicere et *speculari* possumus.

460. *Hospitium.*) Hercules ex Hispania redux, ab Evandro exceptus hospitio

Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis :
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrymasque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis :
Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ ; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidêre Deûm : quin occidit unà
Sarpedon, mea progenies : etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginâque cavâ fulgentem deripit ensem.

quibus exceptus fuisti peregrinus, auxiliare magnis incœptis *meis*. *Turnus* videat me auferre sibi moribundo arma sanguinolenta, et oculi exanimes Turni patiantur *me* victorem. Hercules audivit juvenem, et comprimit sub profundo corde magnum dolorem, et emisit lacrymas inutiles. Tunc pater *Herculis* alloquitur filium verbis mitibus : Dies fixa est unicuique sua, spatium vitæ est omnibus angustum et immutabile ; sed augere gloriam gestis, hic *est* effectus virtutis. Tot filii Deorum occiderunt circa muros sublimes Trojæ : quin simul occidit Sarpedon, meus filius : etiam fata sua reposcunt Turnum, et accedit ad terminum vitæ concessæ. Sic dixit ; et retulit oculos ad campos Rutulorum. Pallas autem librat hastam magno robore, et educit gladium splendidum *e* vagina cava. *Hasta* illa vo-

fuerat, auctusque sacrificiis et arâ maximâ post occisum Cacum, Æn. 8, 269, 271, etc. De *Alcida*, Hercule, ibid. 288.

466. *Tum genitor*, etc.) Jupiter, Herculem filium, pro Pallante morituro deprecantem, cùm fata mutare non possit, exemplis consolatur.

471. *Sarpedon*, etc.) Jovis filius ex Laodamia, Lyciæ rex, ad Trojam occisus a Patroclo, Æn. 1, 104.

472. *Metas.*) *Finem.* Translatio a *metis* in circo positis. Æn. 5, 288.

473. *Oculos Rutulorum rejicit arvis.*) *Ad arva.* Sic Æn. 5, 451. *It clamor cœlo.* Hoc autem aspectu favorem

Illa volans, humeris surgunt quà tegmina summa,
Incidit : atque viam clypei molita per auras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hìc Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur :
Aspice, num magè sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat : at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cùm pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricæque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum :
Unâ eâdemque viâ sanguisque animusque sequuntur.
Corruit in vulnus : sonitum super arma dedêre :
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.

lans pervenit, quà suprema armatura humerorum erigitur : et aperiens *sibi* aditum *per* extremitatem clypei, denique libavit etiam de magno corpore Turni. Tunc Turnus diu quatiens immittit in Pallanta lignum armatum ferro acuto, et sic loquitur : Vide, an telum meum meliùs penetret. Dixerat : mucro autem *teli* perfodit ictu coruscante medium clypeum : quamvis tot laminæ ferri, tot æris, corium tauri toties circumplicatum ambiat *eum* : et pervadit moras thoracis, et magnum pectus. Ille *Pallas* incassum extrahit e plaga telum calidum : sanguis atque anima exeunt unâ et eâdem viâ. Concidit super plagam : arma ediderunt sonitum super *eum* : et moriens mor-

suos ad Rutulos transtulisse Jupiter significatur, Æn. 1, 530 : *Propiùs res aspice nostras.*

476. *Humeris tegmina summa.*) Summa pars loricæ, quæ humeros tegit : ubi levi vulnere perstrictus est Turnus.

479. *Robur.*) Validum quodcumque lignum, Georg. 1, 162.

481. *Penetrabile.*) Passivè vulgò significat : hic activè, pro eo quod vim habet penetrandi. Sic Georg. 1, 93 : *Penetrabile frigus adurat.*

482. *Ferri terga.*) Propriè de pellibus dicuntur : hic per translationem, de metallorum laminis.

489. *Petit ore cruento.*) Concidit igitur in faciem : *Petit ore*, id est, mordet terram, vel ex vindictæ rabie, vel ex lucta animæ difficilè e juvenili corpore erumpentis. *Ore cruento*, quia accepto lethali quocumque vulnere, sanguis vulgò per os effluit.

Quem Turnus super assistens :
Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro : qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quicquid solamen inmandi est,
Largior : haud illi stabunt Æneia parvo
Hospitia. Et lævo pressit pede, talia fatus,
Exanimum : rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas (unâ sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœdè, thalamique cruenti)
Quæ bonus Eurytion multo cælaverat auro ;
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata secundis !
Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum

det ore sanguinolento terram inimicam. Turnus incumbens super *illum*, ait : Arcades, reportate memores hæc mea verba Evandro : remitto *ipsi* Pallanta, qualem meruit *remitti* : quæcumque est gloria sepulcri, quodcumque solatium inhumationis, *hoc* concedo : non constabunt illi exiguo *pretio* hospitia data Æneæ. Et locutus talia, compressit pede sinistro mortuum : auferens grande pondus baltei, et crimen *in eo* pictum : *quod erat*, turba juvenum turpiter occisa per noctem conjugalem, et cubilia sanguinolenta ; quæ doctus Eurytion sculpserat multo auro : quo spolio *potitus* Turnus jam triumphat et lætatur. O mens hominum ignara fati, et casûs venturi, et servandæ modestiæ in fortuna prospera ! tempus adveniet Turno, cùm opta-

494. *Æneia hospitia.*) Quomodo Æneam hospitio exceperit, legitur, Æn. 8, 254, etc.

497. *Unâ sub nocte jugali*, etc.) Danaus et Ægyptus, Beli regis filii, cùm inter se dissiderent, Danaus in Græciam abiit, ibique occupavit regnum Argivum : ut fratris genus deleret, quinquaginta filias suas fratris sui filiis item quinquaginta uxores dedit. Illæ patris sui jussu maritos primâ nocte occiderunt, exceptâ unâ Hypermnestrâ, quæ Lynceo pepercit suo. Hinc sorores illæ apud inferos addictæ sunt aquis, in pertusum dolium perpetuò infundendis. *Danaides* dictæ a patre, *Belides* ab avo.

499. *Eurytion*, etc.) Ignotus aliquis artifex. *Cælaverat*, non acu pinxerat : ergo balteus aureis argenteisque

Intactum Pallanta; et cum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.
Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Æneæ, tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum
Cæde novâ quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit: inferias quos immolet umbris,

bit emptum ingenti *pretio*, *ut nunquam* tetigisset Pallanta; et cùm ista spolia et *istum* diem detestabitur. At socii *Pallantis* densati multis lamentis et fletibus reportant Pallanta impositum clypeo. O *Palla*, rediture ad patrem, magne *ejus* dolor *luctus* et honor! hæc prima dies exposuit te bello, hæc eadem eripit: tamen postquàm reliquisti magnos cumulos Rutulorum. Nec jam rumor, sed certus nuntius tantæ calamitatis occurrit ad Æneam: suos parum distare ab exitio: tempus esse opem ferendi Teucris fugatis. *Æneas* cædit ense vicina omnia, et furens facit *sibi* ferro viam per latam turbam; quærens te, *Turne*, ferocientem novâ strage. Pallas, Evander, omnia versantur Æneæ ante ipsos oculos: *imprimis* mensæ, quas primas externus tum adivit, et dexteræ junctæ. Illic quatuor juvenes, natos Sulmone, capit vivos: totidem, quos Ufens

laminis opertus fuit, in quibus hæc cælata fuerant. De verbo *ovat*, Æn. 3, 189.

503. *Turno tempus erit, cùm*, etc.) Cùm scilicet ab Æneæ victus, et vitâ tantùm non donatus, ad adspectum baltei recrudescente victoris irâ, occidetur, Æn. 12, 940.

516. *Mensæ, quas advena*, etc.) Cùm ab Evandro exceptus hospitio est, Æn. 8, 164; et junctis dexteris fœdus initum: ibid. 467.

Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam cùm tenderet hastam,
Ille astu subit, tremebunda supervolat hasta:
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, et spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta: jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi: non hîc victoria Teucrûm
Vertitur: haud anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat: Æneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus

alebat: quos mactet in sacrificium umbris *Pallantis*, et *ut* riget cruore captivorum ignes busti. Deinde cùm longè intentaret inimicam hastam Mago, ille dolo supposuit se, et hasta tremens supervolavit, et *Magus* amplectens genua loquitur talia supplex: Oro te per animam patris *tui*, et *per* spes *tuas* de Iulo crescente, serva hanc vitam meam et patri et *mihi* filio. Est mihi domus sublimis: jacent intimè infossa talenta argenti signati: sunt pondera auri elaborati: victoria Trojanorum non hîc continetur: vita unica non exponet *vos* tantis periculis. Dixerat: Æneas adversum respondet illi talia: Serva tuis filiis talenta

519. *Inferias quos immolet umbris*, etc.) *Inferiæ*, sunt munera quæ tumulis mortuorum *inferuntur*, lac, mel, vinum, aqua, flores, exsectæ comæ; sanguis victimarum, etiam quandoque humanarum, quæ ex captivis assumebantur. Sic Achilles in funere Patrocli mactat duodecim Trojanos juvenes, eorumque corpora in Patrocli pyram injicit, Iliad. 23, 175. Romani deinde, pro humanis illis victimis, gladiatorum certamina circa pyram induxerunt. *Umbras* dixit, plurali numero, pro *umbra*, Pallantis: ut Æn. 5, 81: *Animæque umbræque paternæ*.

524. *Manes.*) Aliquando pro *Diis ipsis inferorum* sumuntur, Æn. 6, 743. Hic et alibi pro *umbris ipsis*, sive animis mortuorum, Georg. 4, 469.

526. *Talenta*, etc.) De talenti valore, Æn. 5, 112, 248.

527. *Facti infectique.*) *Factum aurum* quod in opus conflatum est; *infectum*, quod adhuc in massam compactum.

Sustulit ista prior, jam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus, galeam lævâ tenet, atque reflexâ
Cervice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacrâ redimibat tempora vittâ:
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit: arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.

illa plurima auri et argenti, quæ narras : Turnus jam antè occiso Pallante abstulit prior ista belli pacta. Hoc censet anima patris Anchisæ, hoc Iulus. Sic locutus, corripit sinistrâ *manu* cassidem *ejus*, et condidit gladium usque ad capulum *in* cervice retorta deprecantis. Nec *erat* longè Æmonides, sacerdos Apollinis ac Dianæ, totus resplendens veste et armis conspicuis : cui infula cingebat caput tæniis. *Æneas* aggressus illum persequitur *in* campo, et incumbens lapso mactat *eum*, et opprimit magnis tenebris. Serestus reportat humeris *arma ejus* collecta, tropæum *futurum* tibi, o Mars rex *belli*. Cæculus natus e stirpe Vul-

532. *Parce*, etc.) Serva natis tuis, et tuam in rem abstine : unde *parcus* dicitur abstinens.

534. *Hoc sentit.*) Hæc est eorum sententia, ut omissis muneribus tuis Pallanta ulciscar.

537. *Phœbi Triviæque sacerdos*, etc.) Dianæ et Apollinis templa et sacra sæpe conjunguntur, ut Æn. 6, 35. De *Phœbo* seu *Apolline*, Ecl. 3, 62, 104. De *Trivia*, Diana, sic a triviis, ubi colebatur, dicta, Æn. 4, 511.

538. *Infula*, etc.) Fascia latior, ex qua minores vittæ dependebant, instar diadematis caput sacerdotum ambiens, Æn. 2, 133.

541. *Umbra tegit.*) Vel superincumbente corpore suo morientem inumbrat, quod inane admodum mihi videtur : vel potiùs mortis tenebris operit, quod congruit cum illo v. 746 : *In æternam clauduntur lumina noctem.*

442. *Rex Gradive, tropæum.*) *Gradivus*, Martis nomen, Æn. 3, 35. *Tropæum*, strues armorum ad monimentum victoriæ, Æn. 11, 7.

Instaurant acies, Vulcani stirpe creatus
Cæculus, et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram,
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Sylvicolæ Fauno Dryope quem Nympha creârat,
Obvius ardenti sese obtulit: ille reductâ
Loricam clypeique ingens onus impedit hastâ:
Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ, truncumque tepentem
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace: non te optima mater

cani, et Umbro ortus e montibus Marsorum, novant certamen. Æneas adversum sævit. Absciderat ense *manum* sinistram Anxuris, et ferro totum ambitum clypei. Ille cecinerat aliquid magnum, et putaverat virtutem adfuturam incantamento, et fortè tollebat animum *ad* cœlum, et promiserat sibi capillos albos et prolixam vitam. Tarquitus, quem Nympha Dryope pepererat Fauno sylvarum incolæ, contrà gestiens armis micantibus, dedit se obvium furenti *Æneæ*. *Æneas* detortâ hastâ *Tarquiti* impedit *ejus* loricam et magnum pondus clypei: deinde dejicit *in* terram caput illius, frustra deprecantis et parantis loqui plurima: et propellens truncum calentem, hostili animo loquitur hæc super *eum*: O tremende *hostis*, jace nunc istic: bona ma-

544. *Cæculus*, etc.) Prænestinorum dux, Æn. 7, 678. *Umbro*, Marsorum, ibid. 750.

547. *Dixerat ille aliquid magnum.*) Id est, magicis quibusdam consecrationibus et carminibus adversùs vulnera se munierat. Unde Germanus aliique suspicantur legendum esse, *magicum*, non *magnum*.

551. *Sylvicolæ Fauno Dryope*, etc.) *Fauni*, rustica numina, multi fuêre, Ecl. 6, 27. Horum aliquo et Dryope Nymphâ, natus Tarquitus.

552. *Reductâ loricam*, etc.) Tarquitus longam hastam in Æneam dextrâ intendebat; Æneas hanc detorsit: quam cùm Tarquitus non amitteret manu, inde clypeus ejus

Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro,
Alitibus linquêre feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protinus Antæum et Lycam, prima agmina Turni,
Persequitur; fortemque Numam; fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.

ter tua non te teget terrâ, nec imponet corpus patrio tumulo; relinqueris avibus rapacibus, aut aqua vehet te abjectum *in* profundum, et pisces avidi sugent vulnera. Continuò insectatur Antæum et Lycam, primas turmas Turni; et robustum Numam; et flavum Camertem, natum generoso Volscente, qui fuit agris opulentissimus *inter*

hastâ transversâ impeditus, patentem vulneri locum reliquit.

558. *Patrio.*) Non *paterno*, cùm mater Nympha, paterque Faunus immortales essent: sed *patrio*, seu natali in loco: erat enim Italus, at non ex ea Italiæ parte. *Onerabit membra sepulcro:* commutatio est, pro *onerabit sepulcrum membris.* Sic Æn. 1, 119: *Vina cadis onerârat Acestes.*

562. *Numam.*) Jam Numam occiderunt Nisus et Euryalus, Æn. 9, 453; ideo vellicatur Virgilius apud Macrobium, quasi parum memor. Quasi verò in tanto exercitu duo ejusdem nominis esse non potuerint?

563. *Volscente.*) Qui a Niso occisus fuerat, Æn. 9, 438.

564. *Tacitus Amyclis.*) *Amyclæ* urbs fuit Peloponnesi, Lacedæmoni sic vicina, ut pars ejus a quibusdam habita sit. Hinc profecti coloni urbem in Italiâ cognominem condiderunt, in Auruncis, inter Tarracinam et Caietam: ad lacum, qui deinde *Amyclanus*, postea *Fundanus* dictus est, nunc *lago de Fondi*. Urbs illa jamdiu deleta erat tempore Virgilii: vel a serpentibus juxta Plinium et Solinum; vel a finitimis juxta Ciceronem. *Tacitæ* autem dicuntur Amyclæ: ex eodem Cicerone, vel quòd propter nimiam modestiam injurias a finitimis acceptas cùm tacerent ac dissimularent, ab iisdem oppressæ sunt: vel ex Servio, quia cùm Pythagoricam sectam sequerentur, quæ quinquennale silentium servari, et ab animalium cæde abstineri jubebat, a serpentibus e vicina palude erumpentibus, quos occidere nefas putabant, deletæ sunt.

Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse; Jovis cùm fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses:
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Nyphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:
Atque illi longè gradientem et dira frementem
Ut vidêre, metu versi, retroque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad littora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversâque ingens apparuit hastâ.

Ausonas, et imperavit Amyclis silentibus. Qualis Ægeon, cui aiunt *fuisse* centum brachia, et centum manus, et flammam erupisse quinquaginta faucibus et pectoribus; quando adversùs tonitrua Jovis, sonabat totidem clypeis æqualibus, et nudabat totidem enses: sic Æneas victor furit per totam planitiem, ex quo gladius semel incaluit. Immo ecce irrumpit in equos quatuor Niphæi *alligatos* jugo, et in pectora opposita *eorum*: sed illi, cùm viderunt *Æneam* procul incedentem et dirè furentem, turbati timore et retro fugientes, excutiunt ducem, et trahunt currum ad litus. Interim Lucagus immittit se in medios equis duobus albis jugalibus, et frater *ejus* Liger: sed frater *Liger* regit equos loris, Lucagus ardens quatit gladium nudatum. Æneas non passus *est eos* tanto ardore ferocientes: ir-

565. *Ægeon.*) Gigas Cœli et Telluris filius, ex Hesiodo in Theog. v. 147. *Ægeon* apud homines dictus, *Briareus* apud Deos, ex Homero, Iliad. 1, 403, manibus centum, capitibus quinquaginta instructus. Jovis hostis hic dicitur, quales gigantes ceteri. Tamen Homerus loco citato ait eum Thetidis impulsu opem Jovi tulisse, adversùs Neptunum, Junonem et Palladem, cùm Dii alii adversùs Jovem propter ejus jactantiam, rebellâssent. Ideo apud inferos non torquetur, sed sedet quasi satelles in vestibulo, Æn. 6, 287.

575. *Bijugis.*) A nominativo *bijugus*: dicitur enim *bijugis* tertiæ declin. et *bijugus*

Cui Liger :
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos : nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. Vesano talia latè
Dicta volant Ligeri : sed non et Troius heros
Dicta parat contra : jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ; subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris :
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus umbræ :

rumpit, et oppositâ hastâ sublimis occurrit. Cui Liger *ait* : Non vides equos Diomedis, non currum Achillis, aut arva Phrygiæ : mox terminus belli et vitæ *tuæ* ponetur *in* his terris. Talia verba volant latè *ab* insano Ligere : at heros Trojanus non sic meditatur verba ex adverso : nam librat telum in hostem. Lucagus, postquàm incurvatus imminens in verbera excitavit telo binos equos, dum sinistro pede protenso parat se ad certamen; jaculum *Æneæ* intrat per infimam extremitatem clypei splendentis, deinde perfodit inguen sinistrum. Dejectus e curru semianimus sternitur humi. Quem pius Æneas alloquitur verbis acerbis: Lucage, nulla iners fuga equorum prodidit tuum currum, aut umbræ inanes averterunt *eos* ab hosti-

secundæ, unde infrà, v. 587 : *Admonuit bijugos.*

581. *Non Diomedis equos*, etc.) Non ii sumus hostes, quorum e manibus elabi possis, ut elapsus es e Diomedis manibus, Venere peplum suum obtendente, ut diximus suprà, v. 82, ex Homero, Iliad. 20, 321. Sed jam vitæ terminum attigisti. Porro *equi Diomedis* non illi sunt, quos Rheso abstulit, de quibus, Æn. 1, 766, sed equi quicumque Diomedis. Quippe Rhesi equos rapit Diomedes, Iliad. 10, 498; cum Æneas autem e curru pugnaverat jam, Iliad. 5, 311. De *Diomede*, Æn. 11, 101. De *Achille*, Æn. 1, 103. De *Phrygia*, ubi Troas, ibid. 385.

589. *Inguen.*) Pars est illa corporis, quâ femur, imo ventri vicinum, complicatur : *a virilia*.

Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus,
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuêre parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum
Dicta dabas: morere, et fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer, et nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea compellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjux:
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes? non vivida bello

bus: *tu* ipse exiliens *e* rotis relinquis jugum *currûs*. Sic locutus ista, apprehendit binos jugales. Frater miserandus, dejectus eodem curru, porrigebat manus exarmatas *dicens*: Vir Trojane, per te *ipsum*, per parentes qui te produxerunt talem: omitte hanc animam, et miseresce orantis. Æneas oranti pluribus *verbis ait*: Non proferebas priùs talia verba: morere, et frater ne deseras fratrem. Deinde aperit acumine *gladii* pectus, *quo* latet anima. Dux Trojanus tales faciebat cædes per agros, sæviens more aquæ præcipitis, aut nigræ procellæ. Denique juvenis Ascanius, et juventus frustra obsessa, egrediuntur, et deserunt munimenta *sua*. Interim Jupiter alloquitur prior Junonem: O soror mea et eadem uxor acceptissima: *an* Venus fulcit vires Trojanorum, ut putabas? nec opinio *tua* decipit te? non *est illis* hominibus manus ardens ad bellum? et ani-

603. *Turbinis.*) *Turbo*, ventus est repentino impetu universa *perturbans*, ex Apuleio, *redemoïnho de vento*.

604. *Castra.*) Urbem obsessam, Æn. 7, 157.

607. *Germana*, etc.) Cur Juno dicatur Jovis et *soror* et *conjux*, Æn. 1, 51.

609. *Non vivida bello*, etc.) Existimant aliqui dictum id a Jove simpliciter: nullam inesse virtutem Trojanis, nisi quæ in uno Veneris au-

Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli?
Cui Juno summissa: Quid, o pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram, et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares
Omnipotens: quin et pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostrâ deducit origine nomen:
Pilumnusque illi quartus pater; et tua largâ
Sæpe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherei breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis lethi tempusque caduco

mus asper ac tolerans laboris? Cui Juno *ait* humilis : O formosissime marite, cur lacessis *me* dolentem et metuentem verba tua dura? quippe si mihi esset in amore *ea* auctoritas, quæ fuit olim, et quam deceret esse, non negares hoc mihi, *cùm* possis omnia; immo possem subtrahere Turnum e prælio, et servare salvum patri *ejus* Dauno. Nunc moriatur, et persolvat pio sanguine pœnas Trojanis. Tamen ille trahit nomen e stirpe nostra; et Pilumnus *est* illi pater quarto *gradu;* et sæpe cumulavit portas *templorum* tuorum liberali manu et plurimis muneribus. Cui rex cœli sic loquitur breviter : Si petitur *a te pro illo* juvene morituro dilatio mortis instantis et

xilio posita sit. Sed hoc durius. Quare Servius putat ironiam esse, cujus vera sententia sit : non Venerem Trojanis, sed vividam bello dexteram virtutemque succurrere. Etsi enim Venus ab Æneæ vulnera depulerit, v. 331; hæc tamen ipsius cura ad unum Æneam pertinebat; non ad ceteros item duces, qui propriâ vi multa fortiter patrabant. *Opes*, vires, potentiam, Æn. 9, 532 : *Summâ nituntur opum vi.*

612. *Sollicitas ægram.*) Lacessis, objurgas ludis. Et hinc firmatur Servii sententia de ironia Jovis.

614. *Vis in amore*, etc.) Si tantùm apud te possem amore meo, quantùm olim poteram; non *hoc* mihi negares, ut Latini quoque virtute atque animo superiores essent.

618. *Nostrâ origine.*) *Di-*

Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis;
Tolle fugâ Turnum, atque instantibus eripe fatis:
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum; spes pascis inanes.
Cui Juno illacrymans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod ut o potiùs formidine falsâ
Ludar; et in melius tua, qui potes, orsa reflectas.
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protinus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras;

tempus, et si existimas me *posse* sic statuere; aufer Turnum fugâ, et eripe *eum* fatis urgentibus: licet *mihi* favere *tibi* eo usque. Si verò gratia ulla amplior occultatur sub istis precibus, et si existimas bellum universum *posse* mutari et transferri; alis spem vanam. Cui Juno flens *ait*: Si saltem permitteres ex animo id quod ægrè permittis verbo; et sic hæc vita superesset certa Turno? nunc *verò* acerbus finis destinatur innocenti, aut ego dicor ignara veritatis: quod *ita* potiùs *sit*, ut ego decipiar inani metu; et *tu* referas in melius incepta tua, *tu* qui *id* potes. Postquàm protulit hæc verba, statim dimisit se *e* summo cœlo, involuta nube, propellens procellam per aerem;

vind.) Et verò Pilumnus a quibusdam dicitur Jovis fuisse filius: quod tamen parum huic Junonis orationi convenit. Neque enim cara esse potuit Junoni stirps Pilumni, si Jovis ex pellice filius fuit. Igitur ad ignotam aliam, sed divinam tamen originem referendus est. De *Pilumno*, quarto patre Turni, suprà, v. 76.

625. *Hactenus indulsisse vacat.*) Fuit opinio veterum, fata omnino impediri ne a Jove quidem posse; posse tamen aliquantum differri, ut diximus, Æn. 1, 243.

628. *Quid si, quod voce gravaris*, etc.) Timet Juno ne parum sincerè et ex animo permiserit Jupiter, vitam Turni, dilatâ morte, servari.

631. *Veri vana.*) *Ignara, inscia*, Æn. 7, 440: *Veri effœta senectus.*

632. *Potes.*) Potest Jupiter fata reflectere: vel differendo, vel conditionem aliquam, unde illa pendent, impediendo, Æn. 1, 243.

634. *Hiemem.*) Tempesta-

Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum Dea nube cavâ tenuem sine viribus umbram,
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum!)
Dardaniis ornat telis: clypeumque jubasque
Divini assimulat capitis, dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis,
Morte obitâ quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas lætа ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit: illa dato vertit vestigia tergo.
Tum verò Æneam aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quò fugis, Ænea? thalamos ne desere pactos:

et adivit exercitum Trojanum et castra Latina. Deinde Dea instruit armis Trojanis levem umbram absque viribus, *ex* nube vacua, in figuram Æneæ, *quod erat* prodigium mirabile aspectu; et simulat clypeum, et cristas divini capitis, tribuit ei vana verba, tribuit sonum *vocis* absque anima, et exprimit incessum ambulantis. Qualia simulacra rumor est volare *post* mortem obitam, aut qualia somnia decipiunt sensus sopitos. At simulacrum lætum gestit ante prima agmina, et provocat armis Turnum, et urget verbis. Turnus imminet illi, et procul evibrat hastam sonantem: illud convertit gressus oblato dorso. Tunc autem quando Turnus credidit Æneam retroversum fugere, et turbatus accepit animo spem vanam, ait: Quò fugis, o Ænea? ne desere conjugia promissa: terra quæsita per mare dabi-

tem, Æn. 1, 126. De *Laurento*, urbe Latina, Æn. 7, 63.

636. *Tum Dea nube cavâ*, etc.) Ex Homero, Iliad. 5, 449. Cùm Venus, Diomedi in Æneam irruenti frustra peplum obtendens, ab ipso Diomede vulnerata fuisset, currumque Æneæ commisisset Apollini; Apollo, Æneâ subducto, simulacrum eidem persimile hostibus opposuit. Idem hîc præstat Juno; non quidem ut Æneam, sed ut Turnum Æneæ subducat: urgentibus e littore, erumpentibus ex urbe Trojanis.

638. *Jubas.*) Galeæ cristas, e jubis equinis, Æn. 3, 468.

Hâc dabitur dextrâ tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Fortè ratis, celsi conjuncta crepidine saxi,
Expositis stabat scalis et ponte parato,
Quâ rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras; nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras, et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prœlia poscit;
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultrà latebras jam quærit imago;
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ;

tur *tibi* hâc manu *meâ*. Inclamans talia persequitur; et intorquet ensem nudum; nec animadvertit ventos rapere suam voluptatem. Fortè navis, admota margini lapidis alti, stabat scalis extensis et ponte præparato, quâ *nave* rex Osinius vectus *fuerat* e Clusina regione. Simulacrum Æneæ fugientis conjicit se illuc timidum in latebras; nec lentior imminet Turnus, et omittit moras, et transvolat pontes excelsos. Vix pervenerat *ad* proram; *cùm* filia Saturni *Juno* secat funem, et trahit navem solutam per mare turbatum. Æneas verò vocat ad certamina absentem Turnum; tradit morti plurima corpora hominum obvia. Tunc tenue simulacrum non quærit ulteriùs latibula; at evolans *in* altum confudit *se cum* nigra nube; dum interim ven-

650. *Hac dabitur*, etc.) Amarus jocus: significat enim, se humi dejecturum Æneam, et morti daturum.

651. *Coruscat mucronem.*) Neutrum verbum, Virgilio sæpe activum, Æn. 5, 642.

652. *Nec ferre videt*, etc.) Nec videt hostem, cujus ob fugam exsultat, umbram inanem esse, quæ vento rapitur.

653. *Crepidine.*) *Crepido*, est summitas ripæ, vel abrupti saxi, *apice*, *cimo d'um rochedo*, *d'um penhasco*. *Crepidine*, pro *crepidini*: ut suprà, v. 361. *Hæret pede pes*, pro *pedi*.

655. *Clusinis advectus Osinius oris*, etc.) De illo *Clusii rege* et urbe *Clusio*, suprà, v. 166.

664. *Sublime volans.*) *In sublime*: adverbii more. Sic

Cùm Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis;
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit :
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti? et tales voluisti expendere pœnas?
Quò feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosque, nefas! omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentûm
Accipio. Quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? Vos o potiùs miserescite, venti :
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,

tus vehit Turnum medio mari. Ille circumspectat inscius rerum, et ingratus servatæ *vitæ*; et tollit ad astra geminas manus cum *his* verbis : O pater omnipotens, an existimâsti me aptum tanto sceleri, et voluisti *me* luere tale supplicium? quò vehor? unde discessi? quæ fuga et qualem referet me? an rursus aspiciam muros Laurentes, aut castra *mea*? quid *dicet* multitudo illa hominum, qui secuti *sunt* me et meum bellum? et quos omnes, o scelus! deserui in crudeli morte? et jam cerno *eos* vagos, et audio gemitum morientûm. Quid faciam? aut quæ terra jam satis profundè aperiatur mihi? O venti, vos potiùs miserescite *meî* : *ego* Turnus vos colo sponte : allidite navem

Georg. 1, 320 : *Segetem ab radicibus imis sublime expulsam eruerent.*

666. *Ingratusque salutis.*) Incusat enim Jovem, cujus permissu Junonisque operâ servatus fuerat.

668. *Crimine dignum.*) *Dignum*, qui admitterem tantum scelus; quale est, meos in pugna deserere.

670. *Quemve reducet?*) Qualem me reducet? quantâ ignaviæ labe maculatum?

671. *Laurentes muros.*) Urbem Latini regis, Æn. 7, 63. *Castra :* vel mea, vel Trojanorum.

674. *Palantes video.*) *Palantes, vagos :* quasi *planantes :* a πλανῶμαι, *erro, vagor?* unde et *planetæ*, vaga astra.

677. *Adoro.*) Ventos scilicet. De quorum divinitate Æn. 3, 120.

Ferte ratem, sævisque vadis immittite syrtis,
Quo neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an jaciat mediis, et litora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma?
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes,

ad scopulos, ad saxa: impellite *in* vada aspera syrtium, quò neque Rutuli, neque fama sciens *meam fugam*, sequantur me. Hæc dicens nunc agitur animo huc, nunc illuc: an furens ob tantam ignominiam transfodiat se cuspide, et traducat per costas durum gladium; an immittat *se in* medias aquas, et adeat natatu sinuosa litora, et se referat rursus in arma Trojanorum. Ter tentavit utramque viam: ter suprema Juno cohibuit *eum*, et animo miserta coercuit juvenem. Provehitur findens maria, undà et fluxu *maris* favente: et portatur ad urbem veterem Dauni patris *sui*. Sed interea Mezentius impulsu Jovis ardens succedit *ei in* prælio, et aggreditur Trojanos. Irrumpunt *in*

678. *Syrtis.*) Ita lego cum Servio, non *syrtes:* ne sit obscurior structura. *Syrtis:* locus quilibet arenosus in mari, Æn. 1, 115.

681. *Sese mucrone.... induat.*) Commutatio, pro, *mucronem induat, vestiat, abdatque corpore.* Sic Cæsar, de bello Gall. l. 7: *Se ipsi acutissimis vallis inducbant.*

682. *Crudum ensem.*) *Cruentum.* Nam *cruor*, est sanguis effusus venis et jam friges cens, a κρύος, *frigidus:* a cruore *cruentus*, et *crudus*, qui adhuc est in cruore; a *crudo*, *crudelis;* ut a *fido*, *fidelis.*

685. *Viam.*) Modum utrumque consulendi decori suo.

688. *Urbem.*) *Ardeam*, Dauni et Turni regiam, Rutulorum caput, Æn. 7, 410.

690. *Ovantes.*) Successu

Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,
Ipsa immota manens : prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem :
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam : poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Necnon Evantem Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem comitemque, unâ quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans
Cisseis regina Parin creat : urbe paternâ

eum turmæ Etruscæ, et imminent uni viro, uni, inquam, omnibus odiis et densis jaculis. Ille *Mezentius*, sicut rupes quæ procurrit in magnum mare, objecta furori ventorum et opposita fluctibus, sustinet omnem violentiam et minas cœli et maris, ipsa stans inconcussa : *sic* dejicit *in* terram Hebrum filium Dolichaonis, et cum eo Latagum et Palmum fugientem : sed opprimit saxo et magno fragmento rupis Latagum, *secundùm* os et vultum *sibi* objectum : permittit Palmum volutari jacentem, subsecto poplite; et dat Lauso arma *ejus* ferenda humeris, et cristas imponendas capiti. *Opprimit* etiam Evantem Phrygium, et Mimanta coætaneum et socium Paridis, quem Theano protulit in lucem Amyco patri eâdem nocte, *quâ* Regina filia Cissei, gravida *ex* face, edidit Parin :

exsultantes, et quasi jam triumphantes, Æn. 3, 189.

691. *Tyrrhenæ acies.*) Pars ea Etruscarum gentium, quæ Mezentium regem ob immanitatem ejecerant, et Æneæ in auxilium venerant : suprà, v. 163. Æn. 8, 478.

703. *Theano.*) In secundo casu, *Theanus :* Amyci Trojani uxor : a Tàubmanno Hecubæ soror dicitur, ideo, quia Cissei Thraciæ regis filia vocatur ab Homero, Iliad. 6, 299, et 11, 224. Hecuba autem *Cisseis* a Virgilio

Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia sylvâ
Pavit arundineâ: postquàm inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus,

ad urbem patris *Paris* obiit, Laurens litus habet Mimanta incogitantem. Et quemadmodum aper aliquis morsibus canum pulsus ex altis montibus, nutritus *in* sylva arundinea, quem Vesulus *pinifer* texit annis plurimis, vel palus Laurentia; postquàm ventum est in retia, constitit, et frendet asper, et cohorrescit humeris: nec animus est

et a quibusdam aliis appellatur. At Homerus Hecubam, non Cissei Thracis, sed Dymantis Phrygis filiam fuisse ait, Iliad. 16, 718. Et Theano, uxorem Antenoris et Minervæ sacerdotem: Iliad. 6, 299. Igitur, neque Theano soror Hecubæ fuit; neque Theano Virgiliana eadem est atque Homerica: sed nomen a Virgilio fictum. Quomodo Hecuba, cùm Parin utero ferret, facem gestare se somniaverit, Æn. 1, 31.

706. *Occubat, ignarum*, etc.) Prima pars ad Parin pertinet, qui ad Trojam a Philocteta occisus est: secunda ad Mimanta, qui in campis Laurentibus occiditur. Quare Pierius aliique sic locum hunc restituunt: *urbe paterna occubat hic, carum Laurens habet ora Mimanta.* Sed contra est, quòd antiqui interpretes *ignarum* legerint: Gellius imprimis, qui *ignarum* passivè interpretatur, pro *ignotum:* ut apud Ovid. Metam. l. 7, 403: *Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti.* Sed hic nihil opus est ad passivam illam vim confugere, cùm activè significare possit, *ignarum casûs sui;* id est, *ignorantem se tali casu et loco moriturum.* De *Laurente litore*, Æn. 7, 63.

707. *Ac velut ille*, etc.) *Ille*, frequenter abundat in Virgilianis comparationibus, et magnum aliquid ac singulare significat: *Ille aper*, id est, *magnus aliquis aper.* Sic Æn. 12. 5: *Pœnorum qualis in arvis, saucius illegravi venantum vulnere pectus, jamdudum movet arma leo.*

708. *Vesulus.*) Mons altissimus Alpium maritimarum, ad occidentem Liguriæ, nunc *monte Viso:* in eo sunt Padi fontes, *do Pò.*

709. *Palus Laurentia.*) Inter Tiberis ostia urbemque Laurentum, secundùm litus Tyrrheni maris: qui tractus sylvis et paludibus arundinetisque asper olim fuit, ubi frequentes apri memorantur a poetis: hinc *sylva hæc arun-*

Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant :
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longè et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Coriti de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenæos.
Hunc ubi miscentem longè media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactæ conjugis ostro :

ulli irasci *in eum*, aut accedere propius, sed *omnes* urgent eminus telis et securis clamoribus : ille verò interritus opponit se in omnes partes, stridens dentibus, et excutit tela e tergo. Non aliter nemini *eorum*, quibus Mezentius legitimo est odio, est audacia congredi nudo ense *cum eo* : procul infestant *eum* jaculis et altâ vociferatione. Acron, vir Græcus, venerat ex antiqua regione Coriti, advena, omittens nuptias imperfectas. Postquàm *Mezentius* aspexit procul eum turbantem medias turmas, purpureum *ob* cristas et purpuram sponsæ promissæ :

dinea, id est, palustris, a Virgilio appellatur : testaturque Cluverius, loci speciem nunc ab antiqua non admodum differre, immo et apris infestam esse.

714. *Partes cunctatur in omnes.*) Moram facit ac subsistit, ut opponat se in omnes partes.

716. *Quibus Mezentius iræ.*) Quomodo dicimus : *esse odio. Justa* dicitur illa Etruscorum ira, ob immanem Mezentii crudelitatem : Æn. 8, 478.

719. *Antiquis Coriti de finibus.*) *Coritus*, nunc *Cortona;* urbs in orientali parte Tusciæ, circa Trasimenum lacum, *antiquis finibus:* quia a Corito Dardani patre fundata, a quo Trojani originem duxerunt, Æn. 3, 169.

720. *Grajus homo.*) Græcâ origine : qui Coriti, seu Cortonæ consederat. *Profugus* ad Tarchontem et Æneam, causam non affert poeta. De *Hymenæo*, nuptiarum præside numine, Georg. 3, 60.

722. *Pennis et ostro.*) *Pennis purpureis :* ut Georg. 2, 192 : *Pateris libamus et auro.* Sunt *pennæ*, cristæ cassidis, e plumis avium purpureo colore tinctis, Æn. 3, 468. Munus autem erat a sponsa datum abeunti, in pignus amoris. *Ostrum*, purpura ex ostreo expressa, Georg. 2, 506.

Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si fortè fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet hians immanè, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super accumbens: lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum expirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide vulnus:
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit: haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus et hastâ:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii, lætum pæana secuti.

quemadmodum sæpe leo famelicus percurrens alta stabula (nam impellit immoderata fames) si fortè vidit capream fugacem, aut cervum sublimem ob cornua; lætatur aperiens fauces immaniter, et arrigit jubas, et stat incumbens super viscera, et sanguis tingit os fœdum: sic gaudens Mezentius irrumpit in hostes confertos. Miser Acron sternitur, et moriens ferit talis nigram terram, et inficit sanguine hastam ruptam. Atque idem *Mezentius* dedignatus est occidere Oroden fugientem, et librato *jaculo* acuto infligere *ei* plagam improvisam: sed obviam *præcurrens*, et obtulit *se* adverso, et vir viro objecit se: non melior insidiis, sed generosis armis. Deinde pede imposito, et innitens hastâ super *eum* stratum: O viri, ecce jacet ingens Orodes, pars exercitûs non aspernanda. Socii exclamant,

727. *Lavit.*) Prima brevi, præsentis est temporis, a *lavere*: prima longa, præteriti est temporis, a *lavare*.

733. *Cæcum vulnus.*) Ab Orode non prævisum, quia a tergo, quasi clam, et ex insidiis; seu, ut mox ait, *furto*.

738. *Pæana secuti.*) *Pæan*, carmen triumphale: quod inceptum a Mezentio, socii persequuntur. De *ea voce*, Æn. 6, 657.

Ille autem expirans : Non me, quicumque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere : te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixtâ Mezentius irâ :
Nunc morere : ast de me Divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens, eduxit corpore telum :
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen :
Partheniumque Rapo, et prædurum viribus Orsen :
Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericeten :

repetentes lætum pæana. Ille autem moriens *dixit* : O victor, quisquis es, non gaudebis diu, nec me inulto : sors æqualis te etiam spectat, et mox mordebis eamdem terram. Ad quem *respondet* Mezentius subridens mixto furore : Jam morere : de me autem statuat genitor Deorum et rex hominum. Id loquens, extrahit hastam e corpore : quies acerba et somnus ferreus premit illi oculos : oculi clauduntur in perpetuam noctem. Cædicus jugulat Alcathoum, Sacrator Hydaspen : et Rapo Parthenium, ac Orsen prævalidum robore : Messapus et Clonium, et Ericeten Ly-

741. *Eadem mox arva tenebis.*) Prosternendus et occidendus ab Ænea, infrà, v. 891.

743. *Divûm pater atque hominum rex.*) Quem vos talem esse creditis, ut notat Servius. Jocatur enim impius Mezentius in Deos, qui infrà, v. 773, nullum invocat ad pugnam Deum præter dextram suam et arma : *Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.*

747. *Cædicus*, etc.) Reprehendunt poetam critici, quod nomina permiscuerit. Produnt se tamen ipsa per se, quorum, et qualia sint : Latina quippe, *Cædicus*, *Sacrator*, *Rapo*, *Messapus*, *Salius*, etc. Græca, seu Phrygia et Trojana, *Alcathous*, *Hydaspes*, *Parthenius*, *Orses*, etc.

749. *Lycaonium Ericeten.*) Vel *Lycaonis* filium : vel e *Lycaonia*, minoris Asiæ regione mediterranea : inter Cappadociam, Pisidiam, et Ciliciam.

Illum, infrænis equi lapsu tellure jacentem;
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis,
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit, Atronium Salius; Saliumque Nealces,
Insignis jaculo et longè fallente sagittâ.
Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera: cædebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, neque illis.
Dî Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Juno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quàm magnus Orion,

caonium: illum dejectum *in* terram lapsu equi indomiti; hunc pedes peditem. Agis quoque Lycius concurrerat *in Messapum*: hunc tamen deturbat Valerus non carens virtute avorum: Salius Atronium; et Salium Nealces, bonus jaculo et sagittâ eminus decipiente. Jam Mars asper adæquabat dolores et mortes mutuas: victores et victi pariter occidebant, et pariter cadebant: nec fuga cognita erat his, neque illis. Dii in domo Jovis miserantur vanum furorem utriusque *partis*, et tantas difficultates esse hominibus. Hinc Venus, hinc Juno filia Saturni aspicit ex adverso. Tisiphone pallida furit in mediis millibus. At verò Mezentius librans magnam hastam intrat *in* campum turbulentus: quantus Orion excellit humeris super fluc-

751. *Lycius Agis.*) E *Lycia*, minoris Asiæ regione meridionali et maritima: inter Cariam ab occidente, et Ciliciam ab oriente.

754. *Longe fallente sagittâ.*) Eminus incautos ferienti. *Mavors*, Martis nomen, quia magna vertit: Ecl. 9, 12. *Venus*, Æn. 1, 260. *Juno*, *Saturni filia*, Æn. 1. 7, 50.

761. *Tisiphone.*) Una e tribus Furiis, Æn. 6, 572. Georg. 3, 552.

763. *Orion.*) Arbitror, poetam explicandum de ejus specie cœlesti: maximum enim sidus est, stellis constans sex et quinquaginta lucidissimis: pingitur accinctus gladio et clavam intendens: unde cum mari navigantibus oritur, videtur mare medium secare: mox humeris, deinde toto corpore e fluctibus emergens. Sic quoque in terra degentibus, videtur ex horizonte ad summum usque cœ-

Cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole suâ stat;
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ:
Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint. Voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum
Æneæ. Dixit, stridentemque eminus hastam
Jecit: at illa volans clypeo est excussa, proculque

tus, quando graditur pedes, aperiens *sibi* iter per vasta stagna medii Nerei; aut *quando* reportans antiquam ornum e summis montibus, ambulat *in* terra, et tegit caput inter nubes. Talis Mezentius immittit se magnis armis. Ex adverso Æneas, conspicatus *eum* in longa turma, parat ire obviam illi. Ille stat intrepidus, expectans generosum hostem, et immotus *est* suâ proceritate: et mensus spatium, quantum sufficiebat hastæ, *ait*: Nunc dextera, *quæ* mihi Deus *est*; et hasta, quam vibro volatilem, auxilientur *mihi*. Voveo, o Lause, te *fore* tropæum ipsum Æneæ, vestitum spoliis detractis e corpore raptoris. *Sic* ait, et procul evibravit hastam sonantem: illa autem volans detorta est *e* clypeo *Æneæ*, et longè confodit inter

lum pertingere. *Ornus annosa*, clava est, quâ instructus pingitur. *Ornus* arbor, fraxinus sylvestris. *Nereus*, marinum numen, Ecl. 6, 35. *Nerei stagna*: humilior expressio maris, quam auget addendo, *maxima*: ut Æn. 1, 122: *Nantes in gurgite vasto*.

773. *Dextra mihi Deus.*) Nam ubique *Contemptor Divûm Mezentius*, Æn. 7, 648.

775. *Ipsum te, Lause, tropæum*, etc.) Solent victores truncum arboris eligere, quem spoliis onerent, idque *tropæum* appellant. Mezentius vovet, non truncum arboris, sed Lausum ipsum filium suum tropæi loco sibi futurum: id est, se daturum, et quasi consecraturum filio spolia Æneæ.

Egregium Anthorem latus inter et ilia figit,
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Italâ consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Aspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus: imaque sedit
Inguine, sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrymæque per ora volutæ.
Hîc mortis duræ casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.

ilia et latus illustrem Anthorem, Anthorem socium Herculis, qui profectus Argis adhæserat Evandro, et remanserat in urbe Itala. Miser dejicitur alienâ plagâ, et spectat cœlum, et moriens recordatur dilectos Argos. Tunc pius Æneas immittit hastam: illa pervadit per clypeum cavum trino ære, per telas lineas, et opus *clypei* compactum tribus coriis tauri: summâ *sui parte* stetit in inguine; sed non tulit vim *suam eo usque*. Statim Æneas, gaudens conspecto sanguine regis Etrusci, educit gladium a femore, et ardens imminet turbato. Lausus, cùm *id* conspexit, altè ingemuit *ex* amore *in* dilectum patrem; et lacrymæ sparsæ *sunt* per vultum. Sanè, si aliqua posteritas datura est fidem tanto facto, non hîc tacebo exitum

778. *Anthorem.*) Non ab *Anthor*, *Anthoris*: brevis enim esset media syllaba: ut in *Hector*, *Hectoris*; *Nestor*, *Nestoris*. Igitur ab *Anthores*, *Anthoris*: ut *Diores*, *Dioris*: unde *Anthorem*, sicut *Diorem*, Æn. 12, 509. Ita, Servius. De *Argis*, urbe Peloponnesi. Æn. 1, 288. De *Hercule*, apud Evandrum excepto, Æn. 8, 200.

780. *Italâ urbe.*) *Pallanteo* Evandri regiâ, Æn. 8, 51.

784. *Linea terga.*) Suprà, v. 482. *Ferri terga.*) Id est, plexus varios. *Lino* autem, sive *linteo* tegebantur ærea etiam scuta, ut iis inhærere pictura posset: ex Servio. De *inguine*, suprà, v. 589.

788. *Femore.*) *Femur* et *femen*, promiscuè sumuntur: tamen propriè *femen*, pars

Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat:
Prorupit juvenis, seseque immiscuit armis.
Jamque assurgentis dextrâ, plagamque ferentis
Æneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit: socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parmâ protectus abiret;
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus: furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusâ si quando grandine nimbi,
Præcipitent, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tutâ latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit; in terris ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet; et Lausum increpitat, Lausoque minatur:

asperæ mortis, et tua fortia gesta; nec te *ipsum*, o celebrande juvenis. Ille retro ferens gressum, et debilis, et impeditus, recedebat, et trahebat *cum* clypeo hastam hostilem: juvenis irruit, et se interposuit armis, et objecit se cuspidi Æneæ attollentis dextram, et inferentis vulnus, et ipsum sustinuit retardando: socii adjuvant ingenti clamore, dum pater excederet tectus parmâ filii; et evibrant spicula, et longè propellunt hostem jaculis: Æneas sævit, et continet se tectus *clypeo*. Et quemadmodum, si aliquando nubes ruunt effusâ grandine, omnis arator et omnis agricola fugit *ex* agris, et viator abdit *se sub* aggere securo, aut *sub* crepidine fluvii, aut sub cavo rupis arduæ, dum pluit; ut possint Sole revocato operari per diem in terris: sic Æneas obrutus undequaque spiculis, sustinet omnem nubem armorum, donec *cesset* tonare; et objurgat Lausum, et comminatur Lauso: Quò curris, o

est interior; *femur*, exterior. Aiunt aliqui solùm dici *femur*, in nominativo: cujus genitivus sit *femoris* vel *feminis*: leguntque hic, *femine*.

794. *Inque ligatus*, etc.) Æneæ hastili, per clypeum in inguen impacto, cum ipso clypeo quasi illigatus.

800. *Parmâ.*) Brevis cly-

Quò moriture ruis? majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens : sævæ jamque altiùs iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt. Validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro ;
Implevitque sinum sanguis : tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpusque reliquit.
At verò ut vultum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris :
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit;
Et mentem patriæ subiit pietatis imago :
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tantâ dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua : teque parentum
Manibus, et cineri, si qua est ea cura, remitto.

moriture, et *cur* suscipis majora viribus? pietas tua decipit te improvidum. Ille nihilominus insanus gaudet : et jam furor asper graviùs exardescit duci Trojano, et Parcæ colligunt ultima fila Lauso. Nam Æneas immittit validum ensem in medium juvenem et abdit totum : cuspis trajecit quoque parmam, levem armaturam minacis *juvenis*, et tunicam quam mater neverat auro flexili ; et cruor replevit sinum : tunc vita tristis abiit per aerem ad inferos, et deseruit corpus. At verò cùm filius Anchisæ vidit faciem et ora morientis, ora pallentia miris modis, ingemuit graviter miserescens, et porrexit dexteram, et specimen *illud* pietatis *in* parentem penetravit animum. O puer infelix, quid nunc pro istis meritis? quid pius Æneas dabit tibi dignum tantâ virtute? retine arma tua, quibus gaudebas; et te reddo umbris parentum et sepulcro, si

peus, rotundus, et undique *par*, *velitum* apud Romanos ob levitatem proprius, Æn. 9, 548, unde infrà, v. 817 : *Parmam*, *levia arma*.

815. *Parcæ.*) Tres, quæ fusis hominum sortes evolvunt, Æn. 1, 26.

818. *Tunicam.*) De ea veste interiore, Æn. 9, 616.

820. *Manes.*) Inferorum Dii sunt, vel animæ mortuorum, Æn. 6, 743.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem :
Æneæ magni dextrâ cadis. Increpat ultro
Cunctantes socios, et terrâ sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat,
Arboris acclinis trunco : procul ærea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes : ipse æger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam :
Multa super Lauso rogitat, multosque remittit
Qui revocent, mœstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimum super arma ferebant

quâ *ratione* id curas. Tamen, o miser, solaberis necem infaustam eâ *re* : moreris manu ingentis Æneæ. Ultro excitat socios morantes, et erigit *e* terra illum fœdantem cruore crines de more compositos. Interim pater *ejus*, ad undas Tibris fluvii, tergebat aquis plagam, et curabat corpus adnixus trunco arboris : ærea cassis longè pendet *e* ramis, et onerosa arma jacent *in* prato. Juvenes præcipui circumsistunt : ipse saucius, anhelans, sustentat collum, deponens in pectus barbam promissam : quærit plurima de Lauso, et mittit plurimos qui retrahant *eum*, et portent *ei* jussa patris. Sed socii plorantes portabant in clypeo Lausum mortuum, magnum, et magnâ plagâ oc-

832. *De more.*) Juvenum, qui, ut et mulieres, capillos certâ lege componebant, ut videre est in antiquis statuis. De *Tiberino* fluvio, Æn. 8, 330.

835. *Acclinis.*) Vulgò *acclivis :* sed emendant Turnebus, Lambinus, Casaubonus, etc., ut et *reclinis* pro *reclivis :* a voce antiqua et Lucretiana, clino. Cæsar, de bello Gall. l. 6 : *His sunt arbores procubilibus : ad eas se applicant : atque ita paulummodo acclinatæ quietem capiunt.* Dicitur tamen *proclivis*, non *proclinis :* a *clivo*, quæ inclinatio est et devexitas montis. Ego existimo : sicut *clivus* a *clino* dictus est, quod apud omnes constat ; ita potuisse dici *acclivis* et *reclivis*, etiamsi a *clino* deriventur.

Procul) Servius aliique hinc probant, *procul*, significare *juxta :* itemque ex illo, Ecl. 6, 16 : *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.* Ego in eam opinionem adduci non possum : et puto, *procul*, non quidem longam semper distantiam, sed aliquam saltem significare.

Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longè gemitum præsaga mali mens:
Canitiem immundo deformat pulvere, et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret:
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera servor,
Morte tuâ vivens? heu! nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiisque meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse:
Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relinquo:
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: et, quanquam vis alto vulnere tardat,

cisum. Mens *patris* præsagiens calamitatem agnovit procul lamenta: deturpat canos *crines* fœdo pulvere, tollit ad cœlum geminas palmas, et incumbit cadaveri: O fili, an tanta cupido vitæ corripuit me, ut paterer *eum* quem genui supponi pro me dexteræ inimicæ? an *ego* pater servor per has plagas tuas, tuam vivus *per* mortem? heu! nunc denique mihi misero durum *est* exilium, nunc plaga intimè inflicta *est*. Ego, o fili, ipse infeci scelere tuum nomen, ejectus solio et regno paterno propter cupiditatem *meam*. Debebam pœnas patriæ, et *debebam* ipse dare animam sceleratam indignationi meorum *subditorum* per omnia *genera* mortis. Nunc vivo, nec adhuc relinquo vitam et homines: at relinquam. Hæc proferens, simul erigit se in femur saucium: et quamvis violentia profundi vul-

849. *Heu! nunc misero mihi*, etc.) Non me movit huc usque, aut ignominia exilii, aut dolor inflicti ab Ænea vulneris: quandiu te ultorem superesse putavi: nunc. etc.

852. *Ob invidiam.*) Non, *ob odia*, ne meritò expulsus esse videatur, inquit Servius. Malè; cùm profiteatur se *criminis* reum *debere pœnas patriæ*. Fortasse *ob invidiam* dicit, non *subditorum in se*, sed, *suam in subditos*: id est, cupiditatem, avaritiam, immanitatem.

Haud dejectus equum duci jubet : hoc decus illi,
Hoc solamen erat ; bellis hoc victor abibat
Omnibus : alloquitur mœrentem, et talibus infit :
Rhœbe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
Viximus : aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum : aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter ; neque enim, fortissime, credo,
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit : et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis :
Ære caput fulgens, cristâque hirsutus equinâ.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Atque hîc Æneam magnâ ter voce vocavit.
Æneas agnovit eum, lætusque precatur :

neris retardet *eum*, non fractus imperat adduci equum : hoc erat illi ornamentum, hoc solatium ; *per* hunc exibat victor *ex* omnibus præliis : alloquitur mœstum *equum* et affatur talibus *verbis* : Rhœbe, diu viximus, si ulla res diu durat hominibus : vel hodie victor reportabis spolia illa sanguinea et caput Æneæ, et mecum eris ultor mortis Lausi : vel, si nullus impetus pandit *mihi* viam *ad ultionem*, cades simul ; opinor enim, o fortissime, dedignaberis ferre imperia exterorum, et Trojanos dominos. *Sic* ait, et exceptus dorso, composuit corpus assuetum *huic equo*, et armavit binas manus telis acutis : splendens æreâ *casside secundùm* caput, et horrens cristâ *ejubis* equinis. Sic præceps cepit cursum per medios. Pudor magnus ardet in corde intimo, et amentia juncta *cum* dolore, et amor turbatus furore, et fortitudo *sua sibi* cognita. Tunc verò appellavit Æneam ter altâ voce. Æneas agno-

861. *Rhœbe, diu*, etc.) Carpitur hîc a quibusdam Virgilius, quòd Mezentium inducat se cum equo componentem. Ducem tamen habet Homerum, Il. 8, 185, ubi Hector equos item suos, Xanthum, Podargum, Æthono, et Lampum adhortatur.

Sic pater ille Deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantùm effatus, et infestâ subit obvius hastâ.
Ille autem: Quid me erepto, sævissime, nato
Terres? hæc via sola fuit, quâ perdere posses.
Nec mortem horremus, nec Divûm parcimus ulli:
Desine, jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona priùs. Dixit, telumque intorsit in hostem:
Inde aliud, super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum astantem lævos equitavit in orbes,

vit eum, et gaudens orat *Deos*: Sic pater ille Deorum, sic magnus Apollo efficiat, ut incipias conserere manum *mecum*. *Hoc* solùm locutus *est*, et occurrit adversus minaci hastâ. Ille autem *Mezentius ait*: O crudelissime, cur me territas sublato filio? unicus fuit ille modus, quo posses me occidere: nec timemus mortem, nec reveremur ullum numen: abstine *ab illis*: nunc venio moriturus, et priùs fero tibi hæc munera. Dixit et libravit jaculum in hostem: deinde infigit aliud, et præterea aliud, et circuit *in* magnum orbem: sed clypeus aureus excipit *illa*. Ter equitavit in sinistros circuitus circa stantem *Æneam*, spar-

875. *Sic pater ille*, etc.) Æneæ pietas in invocandis Diis, quos contrà Mezentius negligit: *dextra mihi Deus*, etc. v. 773. *Sic*, etc. id est: *sic faciat pater Deûm, ut incipias*, etc. Est enim in pugna, quæ missilibus peragitur, deterior ejus conditio qui incipit. Vel: *faciat pater Deûm, ut sic incipias*: id est *æques contra peditem*. Nam etsi habitus equestris videtur ad impetum pedestri superior, in pedestri tamen magna et multiplex utilitas. Et verò Æneas pedes, confosso equo, equitem deturbavit.

878. *Quid me erepto*, etc.) Orbatum filio patrem frustrà territas: magis enim post illius excessum cupio mori, quàm me ipse cupis occidere. Sic Donatus.

879. *Hæc via sola fuit*, etc.) Aliâ enim viâ superare non posses: tunc vita mea consumpta est, tunc me cepit odium vitæ; cùm cecidit Lausus, cùm ejus funus his oculis vidi. Sic Donatus.

880. *Nec mortem*, etc.) Frustra minaris mortem, quam quæro: frustra Deos invocas, quos contemno, quos probris lacesso; quibus, si adessent, minimè parcerem.

881. *Hæc tibi porto dona priùs.*) Ut, quasi mutuo munere, me occidas. *Umbo*, Æn. 2. 546.

Tela manu jaciens : ter secum Troius heros
Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere; et urgetur pugnâ congressus iniquâ,
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troesque Latinique.
Advolat Æneas, vaginâque eripit ensem :
Et super hæc : Ubi nunc Mezentius acer, et illa

gens manu jacula : ter heros Trojanus secum circumfert magnum numerum *jaculorum*, in æreo clypeo *defixum*. Denique cùm pigeret ducere tot moras, et extrahere tot jacula *e clypeo;* et *cùm* premeretur certans prælio impari, meditans mente plurima, tum denique irruit, et impingit hastam inter cava tempora pugnacis equi. Equus attollit se rectum, ferit aerem ungulis *posterioribus*, et ipse cadens super equitem excussum impedit *eum*, et pronus in caput opprimit projectum humerum. Trojani et Latini commovent cœlum clamore. Æneas accurrit, et extrahit gladium e vagina, et simul hæc *dicit* : Ubi est jam ferox Mezentius, et aspera illa violentia animi? Etruscus, post-

887. *Sylvam.*) Magnam telorum multitudinem, infixam clypeo, Georg. 1, 152.

889. *Pugnâ congressus iniquâ.*) Pedes Æneas, contra equitem Mezentium.

892. *Tollit se arrectum*, etc.) Videtur primùm sublato capite ex dolore vulneris, in posteriores pedes surrexisse : mox contrario motu recidens in anteriores, posterioribus aerem verberásse : quo succussu dejectus est Mezentius : equus in caput cernuus procubuit.

894. *Ejectoque incumbit cernuus armo.*) *Cernuus* is dicitur, qui procumbit in faciem, eam scilicet partem, quâ *cernimus*, seu videmus : hinc *cernuare*. Ita vulgo grammatici omnes. *Armus* est humerus, ut quibusdam videtur, brutorum animantium. Tamen hìc explicatur de humero Mezentii, quemadmodum de humero Herminii, Æn. 11, 644.

895. *Clamore incendunt cœlum.*) Commovent, concitant. Sic Æn. 4, 360 : *Desine meque tuis incendere teque querelis.*

Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas, nec sic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

quàm aspiciens aerem hausit spiritum, et collegit animum, *ait* contra: Hostis acerbe, cur objurgas *me*, et intentas necem? nullum crimen est in *mea* cæde: nec sic redii ad prælium, *ut mihi parceres;* nec meus Lausus fecit mihi tecum hæc fœdera. Hæc solum precor, per veniam *quæ datur* superatis hostibus, si datur aliqua: patere *ut* cadaver *meum* tumuletur humo. Novi aspera odia meorum circumsistere *me:* precor, contine hunc furorem, et redde me tumulo conjunctum *cum* filio. Hæc dicit, et excipit gladium gutture sciens et *videns*, et spargit animam cum sanguine exundante in arma.

900. *Mortemque minaris? nullum*, etc.) Quid suspendis ictum, quasi me ad mortem deprecandam invitares? potes me occidere: nullum crimen est, si quod hostis tibi parabat, id ipsum huic inferas. Non ad pugnam eâ mente redii, ut vincerem, sed ut morerer. Nec Lausus morte suâ fœdus hoc tecum mihi pepigit, ut vitam deinde mihi condonares: donum quippe respuerem tuum, qui filio superesse nolo.

905. *Circumstare odia.*) De odiis Etruscorum in Mezentium regem suum, Æn. 8, 478.

ÆNEIDOS

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Postera die victor Æneas de spoliis Mezentii tropæum Marti erigit; Pallantis mortui corpus magno apparatu ad Evandri urbem remittit, ubi summo patris luctu excipitur. Latini oratores duodecim dierum inducias ab Ænea obtinent, et interim uterque exercitus cadavera suorum supremis honoribus prosequitur. Venulus, e Diomedis urbe reduæ, nullam inde spem esse auxilii, Latinis refert. Latinus rex, eâ spe destitutus, convocato concilio, legatos ad Æneam de pacis conditionibus, mittendos censet. Addit Drances huic regis sententiæ multa in Turnum belli auctorem convitia: quæ Turnus amarè, sed animosè refellit: paratum se professus singulari cum Ænea certamine commune periculum redimere. Iis ita rixantibus nuntiatur, Trojani exercitûs expeditos equites planis itineribus Laurento imminere: Æneam cum reliquis copiis per loca montibus impedita eòdem contendere. Turnus, cognito Æneæ consilio, suas etiam copias bifariam dividit: equites sub Camilla et Messapo Trojanis equitibus opponit; ipse cum ceteris montium angustias occupat, ut Æneam opprimat insidiis. Diana mortem Camillæ prævidens, cùm eam impedire non possit, saltem ultioni providet: dimissâ e cœlo Nymphâ, Opi, quæ percussorem illius interimat. Commisso equestri prœlio Camilla ab Arunte occiditur, Aruns ab Opi. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt. Cujus calamitatis nuntio ad Turnum perlato, is relictis, quas insederat, angustiis, auxilio suorum accurrit. Eòdem subsequitur Æneas: imminente jam nocte, castra utrique ante urbem collocant.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Æneas (quanquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est)
Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis; clypeumque ex ære sinistræ

Interim Aurora oriens deseruit mare. Æneas victor, primo mane reddebat vota Diis; quamvis et urgeat sollicitudo dandi tempus sociis tumulandis, et animus turbatus sit morte *Pallantis*. Defigit in colle quercum excelsam, ramis circum amputatis; et imponit *ei* arma splendida, spolia ducis Mezentii: *quod erat* tropæum tibi *sacrum*, o magne Deus belli: accommodat *quercui* cristas stillantes sanguine, et spicula hominis fracta, et loricam appetitam et apertam duodecim locis: et annectit lævæ

1. Oceanum, etc.) Noctem quæ prælium secuta est, non describit: quo nomine perperam carpitur a Donato in Eunuchum Terentii: nam, ut ait Servius, *quæ naturalia sunt omnibus per se patent.* De *Aurora*, pro *die*, Æn. 6, 535; Georg. 1, 249.

4. *Primo Eoo.*) *Lucifero*, stellâ Veneris; quæ mane ante ortum Solis apparet, diciturque tum *Eous*, ab ἠὼς, *Aurora*; serò Solem cadentem subsequitur, tumque vocatur *Vesper*. Ecl. 6, 86. Porrò Æneas vota exequitur antequàm funus curet: quia polluti credebantur, et Deorum sacris inepti, qui funera attigerant: Æn. 6, 227, in notis.

7. *Tropæum.*) Tropæa editissimis in locis constitui usuvenit: sic Pompeius devictis Hispanis posuit in Pyrenæis jugis. Fiebant vel ex immani trunco arboris, quem armis circum vestiebant, ut corporis loco esset; vel ex acervo et cumulo spoliorum, etc. De *Marte*, bellorum Deo, Ecl. 9, 12.

9. *Tela trunca.*) Quæ in Æneam a Mezentio projecta, et clypeo recepta atque infixa magno numero fuerant, Æn. 10, 887.

10. *Perfossumque.*) Duo tantùm vulnera Mezentius ab Æneâ acceperat: alterum in inguine, Æn. 10, 785; alterum in jugulo, ibid. 907. Unde igitur duodecim illa thoracis foramina? suspica-

Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes :
Maxima res effecta, viri : timor omnis abesto.
Quod superest, hæc sunt spolia, et de rege superbo
Primitiæ ; manibusque meis Mezentius hîc est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum :
Ne qua bella ignaros (ubi primùm vellere signa
Annuerint superi, pubemque educere castris)
Impediat, segnesque metu sententia tardet.

parti clypeum ex ære, et suspendit collo gladium *manubrio* eburneo. Deinde sic exorsus hortatur socios exultantes : nam omnis turba ducum circumstabat eum densa : O socii, res maxima perfecta *est* : omnis metus absit. Quantum ad reliqua : hæc sunt spolia et primitiæ de feroci rege *Turno*, et hîc jacet Mezentius meâ manu. Nunc nobis eundum *est* ad regem et urbem Latinam. Parate arma, et *cum* animo ac spe desiderate pugnam : ne ulla mora detineat *vos* impeditos, et *dubia* sententia retardet pigros *præ* timore; cùm primùm Dii permiserint *nobis* eruere signa *e terra*, et emittere juventutem *e* castris. Intetur Servius eum ab Etruscis infensis post mortem fuisse multis ictibus appetitum : ut fuit Hector, ut Tydeus. Oraverat tamen moriens Mezentius Æneam, ne suorum odiis eum objiceret. Numerum autem *duodenum*, pro quolibet incerto numero, a poeta positum puto.

11. *Eburnum.*) Quia vel vagina, vel manubrium, erat ex ebore.

13. *Ovantes.*) Exultantes ob victoriam, Æn. 3, 189.

16. *Primitiæ.*) Primi fructus belli in Turnum suscepti, quos pius Æneas Marti dedicat : ut solebant primitiæ frugum, aut primi gregum fœtus Diis sacrari. *De rege superbo.* Turnum explico, non Mezentium : non enim hæ erant Mezentii primitiæ, sed spolia omnia. *Hic est.* Servius *hic* pronomen putat, et explicat *talis* : quasi diceret : hic tantus tamque formidandus hostis, nunc talis ac tantillus est, umbra tantum et inane simulacrum. Ego *hîc* adverbium malo.

19. *Vellere signa.*) More Romanorum, qui in castris humi defigebant signa : quæ si deinde ad pugnam iturî facilè evellerent, bono ducebant omini ; si difficilè, malo.

Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus : qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait : egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis
Muneribus ; mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait illacrymans, recipitque ad limina gressum ;
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior : qui Parrhasio Evandro
Armiger antè fuit ; sed non felicibus æquè
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

rim tradamus terræ socios et cadavera insepulta : qui honos unicus superest iis *qui sunt* sub profundo Acheronte. Ite, inquit : donate ultimis honoribus animas *illas* insignes, quæ emerunt nobis hanc regionem suo sanguine ; et Pallas primus reducatur in urbem tristem Evandri : *Pallas*, quem non inopem virtutis funesta dies eripuit et extinxit necè asperâ. Sic dixit plorans, et refert pedem ad portam, ubi senex Acœtes custodiebat depositum cadaver Pallantis mortui, *Acœtes* qui priùs fuit armiger Evandro Arcadi, sed jam non venerat tam faustis ominibus comes addictus dilecto alumno. Circumstant omnes, et turba famulorum,

23. *Honos Acheronte sub imo.*) Qui enim carebant honore sepulcri, despecti apud inferos, et vagi centum annos errabant, Æn. 6, 325. *Acheron*, inferorum fluvius, hic pro *inferis* accipitur, Æn. 6, 325.

26. *Evandri ad urbem.*) *Pallanteum*, Æn. 8, 51.

29. *Ad limina.*) Ad januam quippe domûs producebantur defunctorum cadavera, Æn. 9, 486. Ceteras verò funerum cæremonias describemus, Æn. 6, 215, et sequentibus. Videtur Æneas confecto prælio fugatisque hostibus, in urbem ingressus suam, in ea noctem duxisse. Eò etiam illata ante noctem fuerant principum virorum cadavera, præcipuè Pallantis : quod insigni aliqua in domo depositum invisit summo mane Æneas : indeque deductam funeris pompam extra urbem prosequitur.

31. *Parrhasio Evandro.*] Arcadi, Æn. 8, 344.

Circum omnes famulûmque manus, Trojanaque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.
Ut verò Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ; lacrymis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cùm læta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas!
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam, cùm me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum durâ prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani,

et multitudo Trojanorum, et Trojanæ tristes passis capillis juxta ritum. Postquàm verò Æneas ingressus est portis sublimibus, emittunt ad astra magnum gemitum pectoribus perculsis, et insonuit aula tristi fletu. Ipse *Æneas*, postquàm aspexit caput candidi Pallantis sustentatum, et *ejus* faciem, et plagam mucronis Itali apertam in molli pectore, lacrymis erumpentibus sic loquitur: O deplorande juvenis, an fortuna, cùm prospera accederet *ad me*, eripuit te mihi; ut non videres imperium nostrum, neque victor reducereris ad urbem paternam? non hæc dederam de te promissa patri *tuo* Evandro, *cùm ab eo* abii; cùm amplexus me abeuntem, dimitteret *me* in magnum imperium *Etruscorum*; et timens admoneret *me Latinos* homines esse asperos, bellum esse *mihi* cum forti natione. Et nunc quidem ille, delusus spe admodum va-

35. *Iliades*, etc.) De more solvendæ comæ in luctu, Æn. 1, 484.

39. *Fultum.*) Sustentatum suppositis vestibus, tapetibus, etc. De *Ausonibus*, Italis, Æn. 7, 54.

47. *Mitteret in imperium.*) Ad Tuscos, quibus regem petentibus Evander Æneam miserat, Æn. 8, 475, 551.

Fors et vota facit, cumulatque altaria donis :
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore
Infelix ! nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi :
Hæc mea magna fides : at non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat; et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem;
Intersintque patris lacrymis; solatia luctûs
Exigua ingentis, misero sed debita patri,
Haud segnes alii, crates et molle feretrum

nâ, forsan etiam concipit vota *pro te*, et onerat aras muneribus : *dum* nos tristes prosequimur inutili honore juvenem mortuum, et jam nullatenus subjectum *Diis* ullis superis. O miser! spectabis mœstum funus filii. Hi *sunt* nostri reditus, et triumphi sperati : hæc magna mea confidentia! tamen, o Evander, non videbis *eum* cæsum plagis indecoris; nec filio *turpiter* salvo, optabis tibi mortem acerbam. Hei mihi! quantum amittis tutamen, o Italia! et quantum tu, o Iule! Postquàm hæc flens dixit, jubet cadaver deplorabile auferri; et mittit mille viros electos ex universo exercitu, qui prosequantur pompam ultimam, et adsint luctui patris : *quæ sunt* solamina parva magni doloris, tamen debita infausto patri. Alii non tardi componunt crates et flexile feretrum, e ramis arbuteis et

51. *Nil jam cœlestibus*, etc.) Vivi subditi sunt superis Diis, mortui inferis.

55. *Fides.*) Quâ confidebam victorem Pallantea rediturum.

56. *Pudendis vulneribus.*) A tergo illatis; quæ fugacem notent, tibique mortem optabilem reddant, ne dedecus nati aspicias. *Ausonia*, Italia, Æn. 7, 54.

64. *Crates et molle feretrum*, etc.) De illo feretro, in modum cratis, Æn. 6, 218, in notis.

Arbuteis texunt virgis et vimine querno;
Extructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi;
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestes, auroque ostroque rigentes,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni, supremum mœstus honorem

virgultis querceis; et tegunt lectum *illic* collocatum umbraculo foliorum. Illic constituunt juvenem excelsum in strato rustico: qualem *constituerunt* florem, sive teneræ violæ, sive languentis hyacinthi, decerptum pollice puellæ; cui nondum splendor, nondum sua pulchritudo periit; nec *tamen* terra parens jam nutrit, et sufficit *ei* vires. Tum Æneas exportat vestes duas, asperas auro et purpurâ, quas ipsa Dido Sidonia ei olim elaboraverat gaudens *illo* labore, et distinxerat textum auro subtili. Induit tristis unam illarum juveni, *quasi* ultimum ornamentum; et tegit capillos comburendos *alterâ*, *quasi* velo.

65. *Arbuteis*, etc.) *Arbutus*, arbor in deliciis veterum, *medronheiro*, Ecl. 3, 81; apta fuit cratibus, quare, Georg. 1, 166: *Arbuteæ crates. Quernum vimen*: virgultum, sive ramusculus e quercu.

67. *Stramine.*) Vulgò *stramen* accipitur pro *culmis* et *paleis* et *frondibus*, quæ pecori substernuntur. De *viola*, Ecl. 2, 47. De *Hyacintho*, Ecl. 3, 63.

69. *Languentis hyacinthi.*) Sæpe Virgilius finalem syllabam naturâ suâ brevem producit, sequente literâ H; ut hìc: ut Æn. 10, 126: *Et Clarus et Hæmon*; ibid. 720: *Linquens profugus hymenæos.* Ut Æn. 7, 398: *Turnique canit hymenæos.*

72. *Ostro.*) Purpurâ, ex ostreo expressâ, Georg. 2, 506.

74. *Sidonia Dido.* Ex Phœnicia, Æn. 1, 450.

Induit; arsurasque comas obnubit amictu.
Multaque præterea Laurentis prœmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam;
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Pòst bellator equus positis insignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Præterea accumulat plurima dona prælii Laurentini, et imperat spolia portari longâ serie. Addit equos et tela, quæ eripuerat hosti. Alligaverat quoque manibus post dorsum *eos*, quos *pater* demissurus esset *ut* inferias umbris filii, irrigaturos rogum fuso sanguine; et imperat ipsos duces portare arbores vestitas armis hostium, et nomina hostium inscribi *arboribus*. Miser Acœtes obrutus annis ducitur, nunc turpans pectus pugnis, nunc vultum unguibus; et sternitur humi profusus toto corpore. Trahunt quoque currus rigatos cruore Rutulorum. Deinde Æthon, equus bellicus, depositis ornamentis, incedit plorans, et rigat caput longis guttis. Alii portant hastam et cassidem

78. *Laurentis pugnæ.*) Laurentino in littore commissæ, Æn. 7, 63.

81. *Umbris inferias.*) Octo juvenes in pugna captos; ut ad rogum immolarentur, *inferrenturque* quasi dona tumulo, Æn. 10, 519.

83. *Truncos.*) Minora tropæa quæ manibus præferrentur: suprà, v. 7.

88. *Currus.*) Pugnabant enim sæpe viri principes in curribus: ut *Niphæus*, Æn. 10, 570; et paulò post, *Lucagus*.

89. *Positis insignibus Æthon.*) Equi Pallantis nomen, quod uni ex Solis equis ab Ovidio tribuitur, ab αἴθω, *uro* vel *ardeo*. *Insignia* equi, sunt *phaleræ*, Æn. 5, 310; *monilia* et *stragula picta*, Æn. 7, 277, 278. *Flet*, more equis satis vulgari: ut in humanum doloris affectum transire sæpe videantur.

Hastam alii galeamque ferunt, nam cetera Turnus
Victor habet. Tum mœsta phalanx Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquàm omnis longè comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto :
Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes,
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ :

Pallantis: nam victor Turnus possidet reliqua *arma*. Postea tristis turma sequitur, et Trojani, et ductores Etrusci, et Arcades conversis hastis. Postquàm tota series prosequentium *funus* longè transiit, Æneas constitit, et adjecit hæc altè gemens : Eadem aspera sors belli nos appellat hinc ad alios fletus. Salve *in* perpetuum mihi, *o Palla* maxime, et vale *in* perpetuum. Nec locutus plura, ibat ad muros excelsos, et referebat pedem in urbem. Et jam oratores venerant ex urbe Latini *regis*, tecti ramis olivæ, et petentes *hanc* facultatem, *ut* redderet cadavera, quæ jacebant ferro strata per agros ; et permitteret *ea* subire

91. *Cetera.*) Ergo clypeum, ensem, sed præcipuè balteum abstulit Turnus, Æn. 10, 496.

92. *Phalanx.*) Propriè agmen pedestre Macedonum, Æn. 2, 254. Hic pro quolibet agmine. *Teucri*, Æn. 1, 239; *Tyrrheni*, Æn. 8, 479; *Arcades*, Æn. 8, 51.

96. *Alias ad lacrymas.*) Ad peragenda ceterorum sociorum funera.

97. *Salve... vale.*) *Novissima verba*, quibus a funere discedebant, Æn. 6, 227, in notis.

99. *Gressumque in castra ferebat.*) Ad urbem suam, opere subitario castrorum in morem extructam, Æn. 7, 157. Igitur funus extra urbem comitatus, nunc dimisso funere ad urbem redit.

100. *Urbe Latinâ.*) Laurento, Latini regiâ, Æn. 7, 63.

101. *Velati ramis oleæ.*) *Velati*, non capite, sed manibus : quibus ramos paci-

Nullum cum victis certamen et æthere cassis :
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur veniâ, et verbis hæc insuper addit :
Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacemne exanimis et Martis sorte peremptis
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero. Rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potiùs se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat; his decuit mecum concurrere telis :
Vixet, cui vitam Deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.

sepulcrum terræ : nullum esse bellum cum victis et privatis luce *cœlesti* : ignosceret *iis*, *quos* olim appellaverat hospites et soceros. Illos orantes *ea quæ* non *erant* neganda Æneas clemens donat *illa* facultate, et præterea voce adjicit ista : O Latini, quæ sors immerita vos immiscuit tanto bello, ut recusetis nos amicos? an petitis pacem mortuis et interfectis casu prælii? sanè cuperem dare illam etiam viventibus. Nec venissem *huc*, nisi fata assignassent *mihi* hanc regionem et *hanc* sedem; nec facio bellum cum gente *Latina*. Rex *vester* abrupit *jura* nostri hospitii, et potiùs se commisit armis Turni. Justius fuisset Turnum exponere se huic morti. Si statuit terminare bellum manu, et ejicere Trojanos, decuit *eum* pugnare mecum his armis : vixisset *is nostrûm* cui Deus aut virtus sua servasset vitam. Abite jam, et subjicite flammas mi-

ficæ arboris oleæ, tæniis laneis implicatos, supplices præferebant, Æn. 7, 237.

104. *Æthere cassis.*) *Cassus*, privatus : non a *quassus*, ut nugatur Servius, sed omnino a verbo *careo*.

105. *Socerisque vocatis.*) Dùm Latinus Æneam in socium, hospitem, et generum accepit, Æn. 7, 263.

114. *Turni se credidit armis.*) Non sponte tamen : sed cogente Amatâ uxore, Æn. 7, 616.

118. *Vixet.*) Syncope, pro *vixisset*. Sic, Æn. 4, 682 : *Extinxti*, pro *extinxisti*, etc.

Dixerat Æneas : olli obstupuêre silentes,
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior, semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert : O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem !
Justitiæne priùs mirer, belline laborum?
Nos verò hæc patriam grati referemus ad urbem,
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi : quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc; unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigêre dies; et pace sequestrâ
Per sylvas Teucri, mixtique impunè Latini,

seris civibus *mortuis*. Æneas locutus erat; illi taciti obstupuerunt, ac tenebant oculos et vultus inter se obversos. Tum senex Drances semper infestus odiis et criminatione juveni Turno, sic deinde voce reponit verba : O vir Trojane, famâ magne, major factis : quibus laudibus extollam te *ad* cœlum ! An priùs admirabor te *ob* justitiam, an *ob* opera bellica? nos autem memores *beneficii* reportabimus ista *quæ dicis* in urbem patriam; et sociabimus te regi Latino, si aliqua fortuna modum offerat : Turnus quærat sibi *alia* fœdera. Immo delectabit etiam *nos*, erigere moles fatales murorum tuorum, et portare humeris saxa Trojanæ *urbis*. Dixerat hæc; et omnes communi voce mussitabant talia. Statuerunt *inducias ad* duodecim dies; et pace intermediâ, Trojani et Latini confusi absque

122. *Crimine.*) Criminationibus, quibus Turnum semper onerabat, ex odio. Sic, Æn. 2, 98 : *Hinc semper Ulysses criminibus terrere novis.*

126. *Justitiæne priùs mirer.*) More Græcorum, apud quos verba *admirandi* et similia nonnulla genitivo junguntur. Sic infrà, v. 280 : *Memini lætorve malorum.* Apud Horat. od l. 2, 9, 17 : *Desine mollium tandem querelarum*, etc.

133. *Pace sequestrâ.*) *Conciliatrice.* Nam *sequester*, est arbiter inter utramque partem medius, cujus judicium utraque pars *sequitur*. Vel juxta

Erravêre jugis. Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus : evertunt actas ad sidera pinus ;
Robora nec cuneis, et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam fama volans, tanti prænuntia luctûs,
Evandrum Evandrique domos et mœnia complet ;
Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuêre faces ; lucet via longo
Ordine flammarum, et latè discriminat agros.
Contrà turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina. Quæ postquàm matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere ;

periculo vagati sunt per montes et sylvas. Fraxinus alta sonat securi utrimque acutâ : eruunt pinus erectas ad astra ; nec intermittunt secare cuneis quercus et cedros odoratas, nec vehere ornos plaustris stridentibus. Et jam fama, prænuntia tanti doloris, dispersa implet Evandrum, et Evandri ædem atque urbem, quæ *fama* priùs narrabat per Latium, Pallanta victorem *esse*. Arcades *incipiunt* concurrere ad portas *urbis*, et juxta ritum veterem corripuerunt funebres tædas : iter splendet longâ serie flammarum, et latè dividit campos. Multitudo Trojanorum adversùm veniens conjungit *iis* agmina *sua* dolentia. Quæ quando matres viderunt ingredi domos, commovent clamoribus urbem omnem. At nulla violentia potest cohibere Evandrum,

Servium et Donatum, *pax sequestra*, sunt *induciæ* quæ *sequestræ* sunt, id est, mediæ inter bellum præteritum et bellum futurum.

135. *Ferro bipenni. Bipennis*, vel *ferrum bipenne*, securis est utrinque acuta, a *bina pinna :* est autem *pinna* fastigium quoddam : unde summitas templorum vocatur *pinnaculum*.

137. *Robora.*) *Robur*, vel species est durissimæ quercûs, vel durum quodlibet lignum, Georg. 1, 162. *Olens*, Ecl. 2, 11.

138. *Ornos.*) *Fraxinos* sylvestres.

147. *Incendunt.*) Metaphora, pro *concitant*, Æn. 4, 360.

148. *Potis est.*) Æn. 3, 671. *Feretrum*, Æn. 6, 218.

Sed venit in medios : feretro Pallanta reposto
Procumbit super, atque hæret lacrymansque gemensque;
Et vix tandem voci laxata dolore est :
Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti :
Cautiùs ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ, bellique propinqui
Dura rudimenta, et nulli exaudita Deorum
Vota precesque meæ ! tuque, o sanctissima conjux,
Felix morte tuâ, neque in hunc servata dolorem !
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troûm socia arma secutum

sed currit in medios : feretro deposito, concidit super Pallanta, atque inhæret flens et gemens; ac demum difficilè via aperta est voci *per* dolorem : O Palla, non dederas hæc promissa patri tuo : *sed fore* ut velles te committere duro Marti circumspectiùs. Non eram nescius, quantum valeret nova *cupiditas* gloriæ in bello, et jucundus *ille* honor in prima pugna. O primi conatus juvenis infelices, et acerba experimenta belli vicini, et vota precesque meæ *a* nullo Deorum auditæ ! et tu, o sanctissima uxor, felix *per* mortem tuam, nec superstes ad hunc luctum ! contra ego vivendo excessi mea fata, ut pater restarem superstes *filio*. *Si* Rutuli obruissent me telis *eo quod* junxi societatem belli *cum* Trojanis, ipse *libens* amisissem

156. *Primitiæ.*) Suprà, v. 16. *Belli propinqui :* vel inter finitimos et propinquos populos, ita ut ab eo abstinere non potuerim; vel imminentis, cujus mors Pallantis præludium est.

160. *Vici mea fata.*) Superavi naturalem ordinem, longiore vitâ. Fatum enim esse videtur, ut Pater ante filium moriatur.

161. *Troûm socia*, etc.) Si peccavi initâ cum Trojanis armorum societate; solus plecti a Rutulis debui, solus animam effundere. *Obruerent;* supple *utinam*, aut *si :* ut Æn. 6, 31 : *Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes. Volscorum.*) Gens fuit Latinis et Rutulis contermina ab oriente, Æn. 7, 803. *Latium*, Æn. 7, 54.

Obruerent Rutuli telis : animam ipse dedissem ;
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras : sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quòd si immatura manebat
Mors natum; cæsis Volscorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quàm pius Æneas, et quàm magni Phryges, et quàm
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera letho.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis ?
Vadite, et hæc memores regi mandata referte :
Quòd vitam moror invisam, Pallante perempto,

vitam, *et* hæc pompa reveheret domum me, non Pallanta. Nec *incusabo* vos, o Trojani, nec fœdus, nec quas manus sociavimus *per* hospitium : calamitas ista debita erat meæ senectuti. Tamen si mors immatura destinata erat filio ; oportebat *eum* mori inducentem Trojanos in Latium, occisis priùs *multis* millibus Volscorum. Ego verò, o Palla, non honorabo te aliâ pompâ, quàm pius Æneas ; et quàm illustres Trojani, et quàm ductores Tusci, et omnis exercitus Tuscorum. *Illi* portant magna trophæa, *ex iis*, quos tua manus demisit morti. Tu etiam, o Turne, stares jam grandis truncus *vestitus* armis, si par fuisset ætas, et vis æqualis ab ætate. Sed miser, cur cohibeo Teucros *a* pugna ? abite, et memores reportate regi *vestro* hæc *mea* dicta : *O Ænea*, si sustineo adhuc vitam odiosam, occiso Pallante, dextera tua causa est, *cur id fa-*

Phryges, Trojani, Æn. 1, 385. *Tyrrheni duces*, Æn. 10, 164. *Tropæa*, suprà, v. 7.

174. *Esset par ætas.*) Aut mihi, aut nato : sed ego senior sum, natus junior fuit quàm ut te vinceret.

Dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides meritis : vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro,
Nec fas ; sed gnato manes perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon
Constituêre pyras ; huc corpora quisque suorum
More tulêre patrum ; subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos : ter mœstum funeris ignem
Lustravêre in equis, ululatusque ore dedêre.
Spargitur et tellus lacrymis, sparguntur et arma :
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis

ciam : dextera, quæ, ut intelligis, debet Turnum et filio *Pallanti*, et *mihi* patri, *qui ambo id* meriti *sumus :* unicus hic modus *solandi me* restat tibi et fortunæ. Non cupio gaudia vitæ, nec licitum *est ;* sed *cupio* ferre hæc *gaudia* filio ad profundos inferos. Interim Aurora reddiderat miseris hominibus beneficum lumen, reducens opera et labores. Jam pater Æneas, jam Tarchon erexerunt rogos in sinuoso littore : unusquisque juxta morem majorum tulit illuc cadavera suorum ; et suppositis nigris flammis, sublime cœlum tegitur fumo in *similitudinem* noctis : ter induti rutulis armis *pedites* ambulaverunt circa rogos : ter in equis circuiverunt tristem flammam funeris, et emiserunt ore ulutatus. Tellus etiam rigatur fletu, arma etiam rigantur. Et clamor hominum et sonitus buccinarum *tollitur ad* cœlum. Deinde alii mittunt *in* ignem spolia ablata Latinis interfectis, et cassides, et pulchros gladios, et

182. *Aurora.*) Dies altera post pugnam. De *Aurora*, Georg. 1, 249 ; Æn. 6, 535.

185. *Pyras.*) Rogos, busta, ligneas strues comburendis cadaveribus, Æn. 4, 494. De ritibus pompæ funebris, Æn. 6, 215, et sequentibus.

189. *Decurrêre....lustravêre in equis.*) Primum refero ad pedites : secundum ad equites : ut sic totus exercitus officio funebri erga socios

Conjiciunt igni, galeas ensesque decoros;
Frænaque, ferventesque rotas : pars, munera nota,
Ipsorum clypeos, et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti :
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes : tum litore toto
Ardentes spectant socios semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus aptum.
Nec minùs et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxêre pyras : et corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt; avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cetera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore cremant. Tunc undique vasti

fræna, et celeres rotas : pars, dona nota *mortuis*, scuta ipsorum, et jacula non fausta. Plurima corpora boum circum immolantur morti; jugulant in ignem, et setosos porcos, et pecudes direptas ex omnibus campis; deinde *per* totum litus aspiciunt socios *qui* cremantur; observant rogos semiustos; neque possunt *inde* abstrahi, quousque nox frigida mutavit cœlum distinctum astris micantibus. Nec aliter infelices Latini erexerunt quoque rogos innumeros in alia parte : et partim condunt humi plurima hominum cadavera; partim quoque auferunt asportata in vicinos campos, et remittunt *in* urbem. Comburunt reliqua, et immanem cumulum promiscuæ stragis, nec numerando, nec honorando. Tunc undequaque spatiosi campi resplen-

fungeretur. De *lustratione*, pro *circuitione*, Æn. 1, 612.

195. *Ferventesque rotas.*) *Rotas* curruum hostilium, unde solebant principes viri pugnare. *Ferventes* : quæ solebant cursu incalescere : Horat. Od. l. 1, 1 : *Metaque fervidis evitata rotis.*

202. *Cœlum stellis aptum.*) Commutatio : pro, *cui aptæ et connexæ sunt stellæ*, Æn. 4, 482.

206. *Ubique remittunt.*) Non uni omnia corpora, sed unumquodque suæ. De vario more *sepeliendi* et *comburendi cadaveris*, Æn. 5, 48.

Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram :
Mœrentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam verò in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, et longè pars maxima luctûs.
Hîc matres, miseræque nurus, hîc cara sororum
Pectora mœrentûm, puerique parentibus orbi
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos :
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno, et magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.

dent certatim frequentibus ignibus. Tertia dies expulerat e cœlo frigidam noctem : dolentes evertebant altum cinerem et ossa permixta *in* rogis, et tegebant *ea* tepido acervo terræ. Jam verò præcipuus tumultus et pars doloris longè maxima erat per domos, *in* urbe Latini opulenti. Illic matres, et nurus infaustæ, illic dilecta pectora sororum dolentium, et pueri orbati patribus, detestantur funestum bellum, et nuptias Turni : volunt *ut* ipse armis, ipse gladio dirimat *rem*; si quidem petit sibi imperium Italiæ et præcipuam potestatem. Drances acerbus asperat hæc, et testatur Turnum unum vocari, unum peti ad pugnam. Contra multiplex *est* simul sententia variis verbis pro Turno, et magna auctoritas reginæ protegit *eum* : multa fama tuetur virum partis tropæis. Inter has dissensiones,

211. *Ruebant ossa focis.*) Quomodo ossa hominum, a busti reliquiis secernerentur, Æn. 6, 227. Quomodo post crematìonem tumularentur, Æn. 5, 48. *Ruo*, activè, Æn. 1, 39.

215. *Nurus.*) *Nurus*, propriè uxor filii, *nora* : sumitur vulgò pro juniore qualibet feminâ, conjugio copulatâ, Æn. 2, 501. De *hymenæo*, Georg. 3, 60.

223. *Reginæ nomen.*) *Amatæ*, quæ favebat Turno, sororis filio, Æn. 7, 357. De *tropæis*, suprà, v. 7.

Hos inter motus, medio flagrante tumultu,
Ecce super mœsti magnâ Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt : nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum : nil dona neque aurum,
Nec magnas valuisse preces : alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Ænean manifesto numine ferri
Admonet ira Deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenêre, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis, et maximus ævo,
Et primus sceptris, haud lætâ fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet : et responsa reposcit

medio tumultu ardente, ecce præterea tristes legati referunt responsa e magna urbe Diomedis : *aiunt* nihil perfectum *esse* omnibus impensis tantorum laborum : nihil dona effecisse, nec aurum, nec magnas preces : alia auxilia quærenda *esse* Latinis, aut pacem petendam a rege Trojano. Ipse rex Latinus concidit *ex* magnitudine doloris. Furor Deorum et sepulcra recentia ante oculos, ostendunt Æneam fatalem juvari evidenti *auxilio* Deorum. Itaque congregat in excelsam regiam magnum concilium et præcipuos suorum accersitos jussu *suo*. Illi congregantur, et plenis viis currunt ad domum regis. Latinus, et grandior ætate, et præcipuus regno, sedit inter medios, non hilari vultu. Atque hic imperat legatos, reversos ex urbe Ætolica, dicere quænam reportent : et quærit singula res-

226. *Diomedis ab urbe.*) *Arpis*, infrà, v. 243.

230. *Pacem petendum.*) Regimen gerundii. Sic Lucretius, l. 1, 3 : *Pœnas in morte timendum ;* ibid. 381 : *Motu privandum est corpora quæque.*

238. *Primus sceptris.*) Reges enim erant plerique, ex iis qui Turni auxilio venerant, Æn. 7, 647.

239. *Ætola ex urbe.*) *Arpis*, ab Ætolo Diomede conditis : mox v. 243.

Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit :
Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra,
Atque iter emensi casus superavimus omnes;
Contigimusque manum, quâ concidit Ilia tellus.

ponsa suo ordine. Tunc indictum *est* linguis silentium ; et Venulus obediens *imperio incipit* ita *loqui* : O cives, vidimus Diomeden et castra Græca, et perfecto itinere evasimus omnia pericula, et tetigimus manum, quâ regnum

242. *Venulus.*) Qui ad Diomedem legatus fuerat, Æn. 8, 9.

243. *Diomedem.*) Filius fuit Tydei, nepos OEnei : paterno quidem et avito jure, Ætoliæ rex : sed cùm pater Tydeus Agrii patrui invidiâ regno pulsus esset, et Argos Peloponnesi urbem ad regem Adrastum confugisset; ibi Diomedes ex Deiphyle, Adrasti filia, natus est. Is Adrasto mortuo maximam et quasi regiam auctoritatem Argis obtinuit : avum suum, item ab Agrii filiis pulsum, in Ætoliam restituit : Argivorum et vicinarum urbium dux ad Trojam profectus est, ex Homero, Il. 2, 563. Ibi maxima quæque post Achillem, ac difficillima perfecit : Palladium ex arce Trojana rapuit; Rhesum Thraciæ regem occidit, unde laudat Virgilius ejus manum, *quâ concidit Ilia tellus;* Venerem et Martem vulneravit. Quare Venus ejus domum evertit, adulterio Ægialeæ uxoris ejus cum Cylabaro apud Argos : quorum ex insidiis cùm ægrè elapsus esset, neque verò posset in Ætoliam reverti, ut notat Cedrenus, in Apuliam, maximè orientalem Italiæ partem, mari fugit : ibique exceptus a Dauno rege, ex parte agri donatus, urbes multas condidit, præcipuè *Argos Hippium*, id est, *equestre :* ex nomine natalis urbis, cujus ager *aptus equis* dicitur ab Homero ; quæ vox deinde corrupta est primò in *Argyrippam*, vel *Argyripam*; deinde in *Arpos*. Ejus ruinæ nunc adhuc dicuntur *Arpe*, non longè a *Siponto* urbe et radicibus promontorii *Gargani*, *monte de S. Angelo*, quod in mare Hadriaticum procurrit. De ejus morte multiplex opinio refertur a Strabone, l. 6. Prima est eum in Diomedeis insulis, huic litori vicinis, subitò evanuisse; ejusque socios, dolore mortis illius esse mutatos in aves, infrà, v. 272. Secunda est, ipsum in patriam revocatum, in ea diem obiisse. Tertia est, subactâ illâ maris Hadriatici orâ ad usque Venetos, apud illos mortuum et divinis honoribus affectum esse. De *Iapyge*, qui nomen dedit Iapygiæ, sive Apuliæ, Æn. 8, 710.

Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis agris.
Postquàm introgressi, et coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen patriamque docemus :
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore :
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii : quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella ?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, et scelerum pœnas expendimus, omnes,
Vel Priamo miseranda manus. Scit triste Minervæ
Sidus et Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.

Trojanorum periit. Ille victor extruebat in campis Gargani Iapygis urbem Argyripam, de nomine patriæ gentis. Postquàm ingressi *sumus*, et facultas concessa *est* alloquendi præsentem; offerimus dona, profitemur nomen et patriam: qui indixerint *nobis* bellum, quæ causa *nos* adduxerit *in urbem* Arpos. Ille sic tranquillâ voce respondit *iis quæ* audierat : O felices populi, imperium Saturni, Ausonii veteres : quæ sors vos turbat tranquillos, et impellit movere bella insueta ? quotquot vastavimus ferro arva Trojana (omitto ea *mala quæ* tolerata *sunt* pugnando ad sublimes muros, et quot ille Simois sepeliverit viros) luimus per orbem immania supplicia, et omnes pœnas criminum, turba deploranda *ipsi* etiam Priamo. Novit *ista* funestum sidus Palladis, et scopuli Eubœæ, et *mons* vindex Caphareus. Post illam *Trojæ* expeditionem pulsi ad

252. *Saturnia regna*, etc.) De *Saturni fuga in Italiam*, Æn. 8, 319. De *Ausonibus*, antiquis Italiæ incolis, ibid. 328, Æn. 7, 54.

257. *Simois.*) Fluvius Troadis, Æn. 1, 104.

259. *Triste Minervæ sidus*, etc.) *Sidus Arcturi*, quod cùm per se procellosum sit, vim adhuc perniciosiorem ex ira Minervæ dici potest accepisse ad vexandas Ajacis Oilei naves. Sic enim Solinus, c. 20, de Caphareo : *Ubi post Ilii excidium Argivam*

Militia ex illa diversum ad litus abacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exulat: Ætnæos vidit Cyclopas Ulysses.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penates

diversa littora, Menelaus filius Atrei circa columnas Protei exulat: Ulysses adiit Cyclopas Ætnæos. An memorabo regnum Pyrrhi, et domum Idomenei subversam? aut Lo-

classem, vel Minervæ iræ; vel quòd certior prodit memoria, sidus Arcturi gravibus affecit cladibus. De *Arcturo*, Æn. 3, 748: Georg. 1, 68. Explicari tamen potest *sidus* de ipsa tempestate, quam excitavit Minerva: nam sic videtur vocem illam accepisse Virgilius, Georg. 1, 311: *Quid tempestates autumni et sidera dicam?* et Æn. 12, 451: *Ad terras abrupto sidere nimbus it mare per medium.*

De *Minerva*, Æn. 2, 31. De *Ajace ab ea interfecto* ad Caphareum, Eubœæ insulæ scopulum, Æn. 1, 44, 49. De *Eubœa* Græciæ insula, *Negreponto*, Æn. 6, 2.

262. *Atrides Protei*, etc.) *Menelaus*, Spartæ rex, de quo, Æn. 2, 264. *Atrei* filius, confecto Trojano bello, octo annis tempestate jactatus est circa Ægypti litora, antequàm in patriam rediret; et divertit apud *Proteum* regem Ægypti, de quo, Georg. 4, 388. Ita ferè Homerus, Odyss. 4, 82, 385, etc.

Columnas.) *Limites, terminos* Ægypti. Quippe Strabo, l. 3, de columnis Herculis apud fretum Gaditanum disserens, ait id nomen inde ortum esse, quòd viri illustres, ut finem imperii aut expeditionis suæ notâ aliquâ consignarent, aras, aut columnas, aut in modum columnarum turriculas, fretis, aut promontoriis, aut montibus imposuerint: quæ nomina, destructis per temporum injuriam monumentis illis, loco ipsi remanserunt. Tales columnæ Herculis in freto Gaditano, aræ Philænorum ad Syrtes Africæ, columna Ionica in Isthmo Corinthiaco, turris Pelori et turris Rhegina in freto Siculo, aræ Bacchi et Alexandri in India. Igitur *columna Protei*, pars erit illa littoris Ægypti, ubi deinde magnus portus Alexandriæ fuit, qui sic describitur a Strabone, l. 17: *Ad dextram est Pharus, insula et turris; ad sinistram verò cautes et promontorium Lochias.* Et verò testatur Homerus, Menelaum ad Pharum insulam primò exscensionem fecisse, Odyss. 4, 355.

263. *Ætnæos.*) Ulysses in Siciliam apud Cyclopas appulsus est, ubi mons Ætna, ut fusè narrat Achæmenides, Æn. 3, 613.

264. *Regna Neoptolemi.*) Pyrrhi, Epiri regis, Achillis

Idomenei? Libyco-ne habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm
Conjugis infandæ prima intra limina dextrâ
Oppetiit : devictâ Asiâ subsedit adulter.
Invidisse Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur :

cros degentes litore Lybico? Ipse rex Mycenarum, dux magnorum Græcorum, periit in primo aditu *domûs*, manu sceleratæ uxoris : *post* Asiam subactam adulter insidiatus est *ei*. *An memorabo* Deos obstitisse *mihi*, quominus revectus *in* patriam regionem viderem dilectam conjugem et speciosam Calydona? nunc quoque monstra terribilia aspectu insectantur *me* : et socii amissi evolârunt alis in

filii : qui ab Oreste Agamemnonis filio occisus est, ob amorem Hermiones, Æn. 3, 328, etc. De *Pyrrho Neoptolemo*, Æn. 2, 263.

265. *Penates Idomenei.*) Cretensis regis, qui a suis pulsus est ob occisum filium; Æn. 3, 122. *Penates*, Dii sunt domestici, Æn. 2, 717.

Libyco litore Locros.) De *Locris*, Græciæ populis circa Parnassum montem, Æn. 3, 399. Horum aliqui, post bellum Trojanum consederunt in meridiali cornu Italiæ, circa Zephyrium promontorium, ut ibidem explicuimus : alii in Africa, circa Pentapolim, quæ Cyrenaica regio est, ad mare Mediterraneum, et orientem Syrtis majoris, ut ait Servius; ut verò testatur Domitius Afer, in regione Africæ planè oppositâ, nempe ad Oceanum Atlanticum.

266. *Mycenæus*, etc.) Agamemnon, Mycenarum rex, Clytemnestræ uxoris et Ægisthi adulteri insidiis occisus, Æn. 3, 54. De *Mycenis*, urbe Peloponnesi, Æn. 1, 288. De *Achivis*, Græcis, Æn. 1, 492.

268. *Devictâ Asiâ subsedit adulter.*) *Subsido*, est *clam sedeo in insidiis.* Unde Valerius Max. l. 7, c. 2, vocat *subsessorem alieni matrimonii*, adulterum, qui alienæ conjugis pudicitiæ insidiatur. Itaque sensus est, Agamemnoni adulteriorum vindici, qui ob Paridis adulterium Trojam everterat, insidiatorem adulterum non defuisse, qui eum sub prima domûs limina primumque reditum opprimeret.

270. *Conjugium*, etc.) *Conjugem* Ægialeam, suprà v. 243. *Calydona*, urbem Ætoliæ, quam Diomedes et avito jure possidebat, et armis domuerat, Æn. 7, 306.

Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cùm ferro cœlestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne verò, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portâstis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus

aerem, et volucres errant *circa* fluvios, et replent rupes tristibus sonis: heu crudelia supplicia meorum! hæc autem exspectanda mihi jam fuerunt ab illo tempore; quando insanus invasi gladio corpora immortalia, et sauciavi plagâ dextram *manum* Veneris. Ne verò, ne hortemini me ad talia prælia. Nec mihi bellum ullum est cum Trojanis post excisam Trojam, nec recordor, aut gaudeo *de* antiquis calamitatibus. Ferte ad Æneam dona, quæ tulistis ad me e patriis terris. Stetimus adversùs valida *ejus* arma, et conseruimus manus: credite *mihi* experto, quantus attollat clypeum, quo impetu vibret hastam. Si terra Idæa pro-

272. *Socii amissi*, etc.) Circa promontorium Apuliæ Garganum, insulæ sunt, non duæ, ut ait Strabo, sed quinque: *Diomedeæ* ab antiquis dictæ: harum maxima nunc *Tremiti*. Illic Diomedis socii in aves finguntur commutati: vel ob iram Veneris, vivo adhuc Diomede, ut aiunt Virgilius et Ovidius, Metam. l. 14, 494: vel ob dolorem amissi morte Diomedis, ut innuere videtur Strabo aliique. Has aves in his tantùm insulis reperiri ait Plinius, l. 10, 44; easque dentes habere, colore esse candidas, infestas advenis præterquàm Græcis. Joannes Meursius ait easdem esse quæ Græcis dicuntur ἐρῳδιοί, Latinis *ardeæ*, Gallis *hérons*, Lusitanis verò *garças*. Plinius facit *fulicarum* similes, Ovidius non *cycnos* quidem, sed cycnis proximas.

276. *Cœlestia corpora.*) Venerem in vola manûs Diomedes vulneraverat, Iliad. 5, v. 335; Martem in imo ventre, v. 857.

280. *Lætorve malorum.*) Græcâ formâ, suprà, v. 126.

283. *Contulimusque manus*, etc.) Adulatur hìc he-

In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, ultrò Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, et in decimum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis,
Hic pietate prior. Coeant in fœdere dextræ,
Quà datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum,
Audisti, et quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati, variusque per ora cucurrit
Ausonidûm turbata fremor: ceu saxa morantur
Cùm rapidos amnes; clauso fit gurgite murmur,

duxisset duos tales viros præter eum, Trojanus prior intulisset bellum urbibus Argivis, et Græcia doleret mutatis fatis. Quamdiu tardatum est circa muros pertinacis Trojæ, victoria Græcorum substitit manu Hectoris et Æneæ, et retro tulit pedem in decimum annum. Ambo *erant* illustres animis, ambo bellicâ fortitudine: iste superior *erat* religione. Dextræ *vestræ* conveniant in fœdera, siquidem *id* conceditur: sed cavete, ne arma vestra congrediantur *cum illius* armis. Audivisti simul, rex optime regum, et quæ sint *ejus* responsa, et quis sit *ejus* sensus *de* tanto bello. Vix legati ea *dixerant*, et varium murmur diffusum est per ora turbata Italorum: veluti quando saxa coercent fluvios torrentes; *tunc* obstructo alveo murmur editur, et propinquæ ripæ fremunt aquis strepitantibus. Sta-

roi suo Virgilius: quanquam enim adversùs Diomedem stetit, Iliad. 5, 225; tamen huic minimè fuisse parem constat ex eo, quod ab eodem in coxa vulneratus ictu lapidis fuit, fuissetque adeò interfectus, nisi Venus auxilio filii adfuisset, v. 311.

284. *In clypeum assurgat.* Ipse attollat clypeum suum. Sic, Æn. 12, 729: *Altè sublatum consurgit Turnus in ensem, et ferit.*

285. *Idæa terra.*) *Troas*, ubi mons *Ida*, Æn. 2, 801. *Inachias*, Argivas: Æn. 7, 286. *Dardanus*, Trojanus: Æn. 1, 239.

Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primùm placati animi, et trepida ora quiêrunt;
Præfatus Divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius, non tempore tali
Cogere concilium, cùm muros obsidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente Deorum,
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite: spes sibi quisque; sed, hæc quàm angusta, videtis.
Cetera quâ rerum jaceant perculsa ruinâ,

tim atque animi sedati et ora tumultuantia composita fuerunt; rex precatus Deos incipit e summo solio: Equidem, o Latini, et cuperem, et utilius fuisset deliberare priùs de summa rerum, non *verò* convocare concilium tali tempore, cùm hostis premit muros. Facimus bellum difficile, o cives, cum stirpe Deorum, et hominibus invictis, quos nullæ pugnæ debilitant, et *qui etiam* superati non possunt abstinere ab armis. Si constituistis aliquam spem in exercitu Ætolorum advocato, deponite *eam:* unusquisque *sit* sibi *sua* spes; sed videtis, quàm tenuis *spes* illa sit. Quo casu rerum *nostrarum* cetera concussa

301. *Præfatus Divos.*) Notat Turnebus veteres, præcipuè Romanos, id solemne habuisse; ut antequàm verba publicè facerent, Deos precarentur, et frequenter orationum exordia ab invocatione Deorum sumerent. Talia fuêre exordia omnia Catonis; talia Ciceronis ac Demosthenis nonnulla.

302. *Ante equidem.*) ORATIO Latini duas habet partes. I. Exponit hostilium virium magnitudinem cui suarum tenuitatem opponit. II. Proponit conditiones pacis tres: aut terras Æneæ assignandas, *si sedere hic velit;* aut naves ædificandas, si malit aliò abire; denique oratores ad eum mittendos cum regiis muneribus.

305. *Cum gente Deorum.*) Æneas a Jove per Venerem ortus: Trojana gens a Jove per Dardanum, *Æn. 1*, 239.

308. *Ætolûm.*) Diomedis sociorum, in Apulia sedentium, suprà, v. 243.

Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso: potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.
Nunc adeò, quæ sit dubiæ sententia menti
Expediam; et paucis, animos adhibete, docebo.
Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos.
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.

jaceant, omnia *denique* sunt ob oculos et in manibus vestris. At neminem accuso: fuit *vobis* fortitudo, quæ potuit esse maxima: pugnatum est totâ mole regni. Itaque exponam, quis sensus jam sit incertæ menti *meæ*, et ostendam paucis *verbis*: advertite animos. Est mihi vetustus ager, vicinus fluvio Tyrrheno, protensus in occidentem, ultra terminos Siculos. Aurunci et Rutuli colunt, et versant aratro colles asperos, et *utuntur* sterilissimis eorum

316. *Est antiquus ager*, etc.) Servius, quem sequor, agrum metitur ab urbe Laurento Tiberim versùs, quo ferè loco Trojam suam novam Trojani jam condiderant. Atque ita erit *Tusco proximus amni*, nempe Tiberi: erit *longus in occasum*, sive ad occasum Laurenti urbis: immo, ne angustiæ agri objiciantur, ultra Tiberim in occasum porrigetur; siquidem *Siculi* primi omnium Italiæ incolæ, qui deinde *Sicani* dicti sunt, ultra Tiberim multas antiquitus tenuerunt urbes, in quibus numerat Dionysius, *Alsium*, et *Cære*, in eodem tractu maritimo ultra Tiberim. Igitur erit ager ille, *longus fines super usque Sicanos*, id est, usque ad fines illos, quos veteres Siculi tenebant, priusquàm a Pelasgis et Aboriginibus inde pulsi, *Sicaniam* insulam occuparent, unde *Sicani* dicti sunt, Æn. 7, 795. Quin etiam *Aurunci Rutulique serere* potuerunt: non veri quidem *Rutuli*, qui fixerant sedem ad orientem Laurentinæ ditionis, Æn. 7, 795; nec veri *Aurunci*, qui suam fixerant ultra Circæum, Æn. 7, 54, sed quædam eorum reliquiæ, quæ circa Tiberim remanserant: hunc enim tractum a Tiberi ad Circæum variis temporibus varios habuisse colonos, qui sesè invicem alias in regiones expulerint, testatur Plinius, l. 3, 5: *Latium antiquum, a Tiberi Circeios usque, observatum est millium passuum quinquaginta longitudine. Colonis sæpe mutatis, tenuêre alii aliis temporibus: Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.*

Hæc omnis regio et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum; et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro,
Bis denas Italo texamur robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant; nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos:
Munera portantes eborisque, aurique talenta,
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

locis ad pascua. Tota illa regio, et tractus pineus alti montis detur amicitiæ Trojanorum; et statuamus justas conditiones fœderis, et admittamus *eos* socios in regnum *nostrum*. Quiescant *illic*, si tanta *est* cupiditas, et struant urbes. Si *verò* voluntas est *ipsis* adire alias regiones et alios populos, et *si* possunt abire e terra nostra, struamus *ipsis* ligno Italico viginti naves, aut plures si possunt implere: tota materies jacet prope aquas: ipsi præscribant numerum et formam navium; nos suppeditemus æra, operam, et nautica *omnia*. Insuper placet, centum oratores Latinos e præcipuo genere ire, ut exponant *Trojanis mea* dicta, et jungant fœdera: et *placet eos* præferre manibus ramos pacificos, portantes dona eboris, et talenta auri, et sellam et togam, notas nostri imperii. *Vos*, deliberate in commune, et subvenite rebus fractis. Tum idem

326. *Italo robore.*) *Robur*, pro *quocumque duriore ligno* sumitur, Georg. 1, 162.

329. *Navalia.*) Vulgò *navale*, locus est ubi stant naves. Hic, vel locus est ubi ædificantur: vel, ut ait Servius, ligna quibus ædificantur: vel potùs instrumenta omnia, quæ ad navium fabricam pertinent. De *talentis*, Æn. 5, 112.

334. *Sellam*, etc.) *Sellam curulem*: ita dictam deinde a Romanis, non quod a *Curibus* Sabinis inventa esset, nam Florus testatur Tarquinium Priscum ab Etruscis eam accepisse, sed omnino a *curru*: nam vetus auctor apud Gel-

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliquâ invidiâ stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et linguâ melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens: genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat:
Surgit, et his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur

Drances infestus, quem gloria Turni pungebat occultâ invidiâ et stimulis acerbis, abundans divitiis, et abundantior eloquentiâ; sed manus *ejus erat* iners *ad* bellum, *tamen* reputabatur non vanus auctor *in* consiliis, potens factionibus: maternus splendor dabat illi genus illustre, a patre habebat ignotum *genus*: surgit, et accusat his verbis *Turnum*, augetque invidiam: Suades, o bone rex, rem ignotam nemini, nec indigentem voce nos-

lium, l. 3, 18, testatur, *Senatores, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratiâ in curiam vehi: in quo curru sella esset supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur.* Utebantur autem eâ reges primò, tum consules, censores, prætores, et ædiles curules: hanc etiam Romani regibus amicis muneris loco mittebant, ut Porsenæ apud Dionysium, Masinissæ apud Appianum et Livium. Erat illa *eburnea*, sed potiùs cælato ebore contecta; tum incurvis pedibus. De *trabea*, togâ regiâ et consulari, Æn. 7, 188.

335. *Consulite in medium.*) Id quod est in communem utilitatem, Georg. 1, 127: *In medium quærebant.*

339. *Futilis.*) Vanus, loquax, inutilis, nihil continens, qui sibi credita statim effundit. Translatio est, juxta Servium, Donatum, Lactantium, a vase *futili* dicto, cujus os latum et patulum: fundus angustus et acutus erat, ita ut in terra depositum stare non posset, sed statim in latus effunderetur. Hoc utebantur in sacris Vestæ, quia iis sacris aquam in terra deponi nefas erat.

340. *Seditione.*) Factionibus, captandis vulgi animis.

343. *Rem nulli obscuram*, etc.) ORATIO Drancis quinque habet partes. I. Dicit, omnes ideo tacere, quia Turnum timent. II. Unum se profitetur ex omnibus audacter in Turnum dicere pro republica, quam ille temeritate ac fugâ suâ pene ever-

Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros,
(Dicam equidem, licèt arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu : dum Troia tentat
Castra fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias : nec te ullius violentia vincat;
Quin gnatam egregio genero dignisque hymenæis

trâ. Omnes fatentur se cognoscere quid postulet sors gentis *nostræ*, sed verentur dicere. Concedat licentiam loquendi et deponat tumorem *ille*, cujus propter omnia adversa et funesta studia (dicam enim verò, quamvis mihi comminetur arma et necem) videmus tot lumina ducum periisse, et urbem universam jacere *in* dolore : dum *ille* oppugnat castra Trojana confidens fugæ, et *dum* armis minatur cœlo. Unum præterea, optime regum, unum addas istis muneribus, quæ multa imperas ferri et dici Trojanis : nec vis cujusquam te impediat, quominus, *cùm sis* pater, tradas filiam illustri genero et splendidis nuptiis, et confir-

tit. III. Censet pacis conditionibus ceteris hanc etiam adjiciendam, ut Lavinia conjux Æneæ detur. IV. Orat Turnum, ne patiatur privati commodi rationes publicis rationibus obstare. V. Denique orat, ut si bello abstinere nolit, privatam contentionem, non publico periculo, sed privato certamine dirimat : quod ab Ænea proponitur.

345. *Dicere mussant.*) *Mussare*, est *muto* proximum esse, submissâ et parum distinctâ voce, quasi timidè ac dubitanter loqui *obmurmurare*. Hic *timere, vereri* : *não se atrever a fallar.*

347. *Cujus ob auspicium.*) Quia bellum administratur nutu et auspiciis Turni; non Latini, qui rerum *habenas* eam in rem deposuerat : Æn. 7, 600 : et fortè felicioribus auspiciis bellum suscepisset, si suscipiendum duxisset.

351. *Fugæ fidens.*) Carpit fugam Turni : cùm a Junone, non tamen sponte, subductus est e pugna, Æn. 10, 659. De *hymenæis*, nuptiis, Georg. 3, 60.

Des pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quòd si tantus habet mentes et pectora terror,
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis? o Latio caput horum et causa malorum!
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio: miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi: sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeò dotalis regia cordi est,
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,

mes hanc pacem perpetuo fœdere. Quòd si tanta formido *Turni* occupat animos et pectora *nostra*, obsecremus ipsum et precemur ab ipso veniam: *precemur*, ut permittat regi, et relinquat patriæ jus suum. Cur toties propellis miseros cives in manifesta pericula? o tu qui es Latinis origo et causa calamitatum illarum! nulla *est* salus *in* bello: omnes flagitamus *a* te pacem, o Turne, et simul pignus certissimum pacis, *Laviniam*. Ego, quem tu existimas tibi infensum, et verò non curo esse, ecce primus accedo supplex: miserescе tuorum, depone iram, et ejectus recede. Satis vidimus cædium, fugati *ab Æneâ*, et *fatis* vastavimus arva spatiosa. Aut si gloria *te* excitat, si contines pectore tantas vires, si denique tibi cara est *hæc* aula *quam ambis* in dotem, aude, et securus oppone pectus adversum contra hostem. Nempe, ut uxor regia detur Turno, nos fundamur campis, animæ ignobiles, turba

359. *Cedat*, etc.) Si adeò Turnum timemus, ut nullus ausit de eo conqueri: ne queramur, ne vi agamus; sed precemur ipsum, saltem sinat, ut rex et patria rei communi liberè consulant pro suo jure.

372. *Inhumata infletaque turba.*) Privata funebri honore: quod apud veteres miserrimum fuit, Æn. 6, 325.

Sternamur campis? Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, tibi semper copia fandi,
Tunc cùm bella manus poscunt: patribusque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
Quæ tutò tibi magna volant, dum distinet hostem

insepulta et indefleta? nunc verò tu, si est tibi virtus ulla, si habes quicquam patriæ fortitudinis, contuere *ex adverso illum* qui te appellat. Violentia Turni accensa est his verbis: dat gemitum, et emittit e profundo pectore verba ista: Semper quidem, o Drance, copiosa tibi est facultas loquendi, tunc cùm bella exigant opus: et senibus convocatis primus interes: sed aula non est implenda verbis, quæ magnifica excidunt tibi impunè; dum propugna-

375. *Qui vocat.*) Suprà, v. 115.

378. *Larga quidem*, etc.) ORATIO Turni duas habet partes præcipuas, quarum prima refellit Drancem; secunda caput, de quo deliberatur, attingit. I. Refellit criminationem temeritatis et fugæ, primò vanam Drancis eloquentiam per ironiam illudendo; secundò commemorando facta sua, cædem Evandri, Bitiæ, etc. II. Timorem Drancis de Trojanorum virtute conceptum elevat, ironicè exaggerando: aitque, nunc Græcos ipsos, Achillem, Diomedem, coram Trojanis trepidare; flumina ipsa retro ab iis fugere, etc. III. Simulatum de se timorem Dranci adimit, profitendo se tam ignavo sanguine maculari nolle. Atque hæc prima pars orationis est. IV. Concedit ad eas pacis conditiones abeundum, si res desperata sit, quanquam fortè mori tum gloriosiùs foret. V. Ostendit rem adeò non esse desperatam, ut potiùs integra sit; cùm auxilia sibi multa supersint; cùm victoria Trojanis admodum cruenta fuerit, damnumque par; cùm adhuc bellum in ortu ipso sit atque initio, ideoque facilè mutari possit fortunæ vicissitudine. VI. Auxiliis Diomedis, quæ desunt, opponit auxilia quæ adsunt quam plurima, Messapi, Tolumnii, Camillæ. VII. Denique offert se pugnæ singulari.

Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance : tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet : nec longè scilicet hostes
Quærendi nobis : circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam meritò, fœdissime, pulsum
Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tibrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcades armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilique aggere septus.

cula murorum cohibent hostem, nec fossæ redundant sanguine. Itaque tona *vi* eloquentiæ, *quod tibi* consuetum *est;* et tu, o Drance, accusa me timoris : quandoquidem tua manus edidit tot cumulos cadaverum Trojanorum et passim illustras campos tropæis. Licet *tibi* explorare, quid valeat virtus ardens : scilicet hostes non erunt nobis petendi procul, undique circumdant muros. An ibimus contra *illos* oppositos *nobis?* cur moraris? an fortitudo bellica semper erit tibi in superba lingua et istis pedibus fugacibus? *an* ego fugatus *sum*, o ignavissime? an verò ullus accusabit me *quòd* fusus *fuerim :* qui considerabit Tibrim inflatum crescere sanguine Trojano, et universam domum Evandri extinctam esse cum sobole, et Arcadas spoliatos exercitu? Bitias et vastus Pandarus non sic experti *sunt* me, et mille alii quos *uno* die victor dejeci ad inferos, clausus muris et circumdatus munimentis hostili-

385. *Tropæis.*) Suprà, v. 7.

394. *Evandri procubuisse domum.*) Occiso Pallante ab ipso Turno, Æn. 10, 442.

396. *Bitias et Pandarus.*) Portæ Trojanæ custodes, quos interfecit Turnus cùm in eam urbem insiluit, Æn. 9, 708 et sequentibus.

Nulla salus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis, proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ, contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt?
Nunc et Tydides, et Larissæus Achilles?
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas?

bus. Nulla est salus in bello, *ais*? ominare talia, o insane, homini Trojano, aut rebus tuis. Itaque ne desinas commovere omnia magno timore, et extollere potentiam nationis bis superatæ, contra *verò* minuere potentiam Latini. Nunc etiam principes Myrmidonum reformidant arma Trojana? nunc etiam Diomedes, etiam Larissæus Achilles? fluvius etiam Aufidus retro fugit mare Hadriaticum?

399. *Capiti cane*, etc.) *Canere*, vatum proprium est, et futura prædicentium; et sensus est: Jacta infaustum illud omen in Trojanos, in te ipsum; quòd nempe nulla, neque his, neque tibi per bellum salus sit.

402. *Bis victæ*.) Primùm ab Hercule, deinde a Græcis. Æn. 3, 476.

403. *Nunc et Myrmidonum*, etc.) Ironicè metûs inanitatem exaggerat. Dic, ut nobis timorem incutias, Myrmidonas, Diomedem, Achillem timuisse arma Trojana: qui nunquam illa timuerunt. *Myrmidones*, Thessali vel Æginetæ, Achillis milites, Æn. 2, 7. *Phrygia*, ubi Troas. Æn. 1, 385. *Tydides*, Tydei filius Diomedes, suprà, v. 243. *Larissæus Achilles*, Thessalus, Æn. 2, 197.

405. *Amnis et Hadriacas*, etc.) Dic ipsos etiam fluvios, Trojanorum metu, retro aquas egisse. *Aufidus*, nunc *Lofanto*, fluvius Italiæ in Hirpinis nascens, inter Apuliam, Dauniam, et Peucetiam, in mare Hadriaticum fluens, celebris Cannensi prælio, quo circa ejus ostia Romani ab Annibale victi sunt. *Hadriacum*, vel *Hadriaticum*, vel *Hadrianum* mare, *Hadria*, pars est Mediterranei maris: a promontorio Salentino, quod superius est Italiæ cornu, in sinum influens, Italiamque ad septentrionem alluens unde *mare superum* vocatur. Huic nomen ab *Hadria* urbe et fluvio in tractu Veneto, supra Padi ostia, sub extremum sinum, ad latus occidentale: nunc dicitur sinus ipse *Golfo de Veneza*, ab urbe Venetiis. Scribitur, vel sine aspiratione *Adria*; vel, ut in plerisque omnibus antiquitatis monumentis, cum aspiratione *Hadria*.

Vel cùm se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus; et formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextrâ hâc, absiste moveri,
Amittes: habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua, magne pater, consulta, revertor,
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inermes.
Quanquam o! si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui ne quid tale videret,

eodem ipso *tempore*, quo scelestus *ille* accusator simulat se timidum adversùs meas rixas; et exasperat metu *suo* accusationem *suam*. Desine turbari, nunquam perdes talem animam hac manu *meâ*: maneat tecum et stet in illo *tuo* pectore. Jam redeo ad te et ad tuam deliberationem, o magne pater. Si nullam deinceps constituis spem in nostris armis; *si* sumus tam *destituti*, et omnino periimus *ob* exercitum semel fugatum, et *si* fortuna nullam habet vicissitudinem: precemur pacem et porrigamus manus exarmatas. Tamen, o si restaret *nobis* aliquid virtutis pristinæ, ille *videretur* mihi felix *in* laboribus, et virtute præstans præ ceteris, qui, ne cerneret quicquam tale,

407. *Artificis scelus.*) Pro *scelesto artifice*. Sic apud Comicos frequenter. Terent. Andr. 3, 5, 1: *Ubi illic scelus est, qui me perdidit? crimen* item, pro *criminatione* seu accusatione, suprà, v. 122.

408. *Dextrâ hâc.*) Quæ consuevit fortes occidere, non ignavos. Sic Cæsar ad Metellum, apud Lucanum, l. 3, 135: *Haud unquam jugulo se polluet isto nostra, Metelle, manus; dignum te Cæsaris irâ nullus honos faciet.*

415. *Quanquam o! si*, etc.) Si funditus occidimus, petamus pacem: tamen, vel ita quoque, si quicquam haberemus virtutis, deberemus mortem majori felicitati ducere, quàm pacem: ut ille Mezentius, qui ab Ænea occisus est, Æn. 10, sub finem. De forma illa optationis. *Quanquam ô!* Æn. 5, 195.

416. *Fortunatus laborum*,

Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt;
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variusque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus, et Arpi?
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misêre duces: nec parva sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.

semel procubuit moriens et momordit ore tellurem. Si *verò* nobis restant vires, et juventus adhuc illæsa, et urbes ac nationes Italæ *ad* subsidium; si *verò* præterea victoria contigit Trojanis cum multo sanguine, si *sunt* illis suæ mortes, et par clades in omnibus: quare ignavi deficimus in primo ingressu *belli?* cur tremor invadit membra ante *sonitum* buccinæ? tempus, et multiplex motus annorum instabilium vertit plurima in melius: fortuna alternatim revisens decepit plurimos, et rursus constituit *eos* in firmo *statu*. Ætolus et Arpi non erunt nobis subsidio? sed erit Messapus, et fortunatus Tolumnius, et ductores, quos tot nationes miserunt: nec parvus honos comitabitur congregatos e Latio et campis Laurentibus. Est etiam Camil-

egregius animi.) Græca locutio, suprà, v. 73: *Læta laborum.*

423. *In limine primo.*) Vixdum inito bello.

424. *Ante tubam.*) Antequàm decretoria pugna tubarum sonitu indicta sit.

428. *Ætolus et Arpi.*) Diomedes Argyripæ conditor, suprà, v. 243.

429. *Messapus*, etc.) Dux aliquot Etruscorum, invulnerabilis, Æn. 7, 691. *Tolumnius*, augur, qui fœdus disturbabit, Æn. 12, 258, et in eo tumultu occidetur. *Felix* dicitur ob peritiam et felicitatem auguriorum. De *Latio*, et *Laurentibus agris*, Æn. 7, 54, 63. De *Camilla*, duce Volscorum, Æn. 7, 803; et infrà, v. 535.

Est et Volscorum egregiâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes ære catervas.
Quòd si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantùmque bonis communibus obsto;
Non adeò has exosa manus victoria fugit,
Ut tantâ quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licèt. Vobis animam hanc, soceroque Latino,
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devoveo: solum Æneas vocat? et vocet, oro.
Nec Drances potiùs, sive est hæc ira Deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.

la, ex illustri gente Volscorum, ducens agmen equitum et turmas fulgentes ære. Quòd si Trojani me vocant unum ad pugnam, et id *vobis* videtur, et tantùm noceo publicæ utilitati; victoria non adeò fugit aversata *meas* istas manus, ut abnuam audere quicquam pro spe tanta. Ibo virtute *meâ* adversùs *Æneam*: quamvis ille præ se ferret magnum ipsum Achillem, et haberet arma paria *Achilleis*, fabricata manibus Vulcani. Ego Turnus, nemine majorum inferior virtute, devoveo hanc vitam vobis et Latino socero: Æneas me poscit unum? et *verò* precor, ut poscat *me unum*: potiùs quàm *ut* Drances morte pereat *mecum*, si talis est ira Deorum, *ut pereamus*, aut referat *gloriam*, si virtus aut gloria est *hîc consequenda*. Illi

433. *Florentes ære catervas.*) *Fulgentes:* metaphora de qua Georg. 2, 6.

437. *Tanta pro spe.*) Vel victoriæ; vel Laviniæ; vel laudis inde colligendæ, quòd solus privato periculo communem salutem pepererim.

439. *Vulcani manibus.*) Et habebat quidem Æneas, quod ignorabat Turnus, arma Veneris rogatu a Vulcano fabricata, Æn. 8, 370. Quemadmodum Achilles arma item rogatus Thetidis ab eodem obtinuerat, apud Homerum, Iliad. 18, 369.

443. *Nec Drances potiùs*, etc.) Invitavit Drancem ut secum in hostes irrueret, socius laudis et periculi, v. 389. Nunc orationem quasi retractans ait: Æneas me solum vocat? et verò id opto potiùs quàm ut Drances aut laudis aut periculi mei particeps sit.

Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant.
Certantes : castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet :
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma juventus,
Flent mœsti mussantque patres : hîc undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.
Haud secus atque alto in luco cùm forte catervæ
Consedêre avium, piscosove amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,

rixantes disserebant hæc inter se de rebus ambiguis: Æneas movebat *loco* castra et exercitum. Ecce nuntius currit magno tumultu per domum regiam, et replet urbem magno metu, *dicens* : Trojanos ordinatos *in* aciem, et exercitum Etruscum descendere e fluvio Tiberi per tota arva. Statim turbatæ *sunt* mentes, et commota pectora plebis, et furor excitatus non levibus stimulis. Tumultuantes corripiunt arma manibus, juventus fremens *flagitat* bellum, patres plorant querunturque tristes : tum ingens clamor effert se undique in aerem *cum* multiplici discordia. Non aliter ac cùm fortè turmæ avium sederunt in profunda sylva; aut *cùm* rauci cycni emittunt cantus in piscoso fluvio Padusæ, inter aquas garrulas. Nempe, o cives, inquit Tur-

449. *Tiberino*, etc.) Æn. 8, 330. *Teucros*, Æn. 1, 239. *Tyrrhenam*, Æn. 8, 479. *Mussant*, obmurmurant, suprà, v. 345.

451. *Amne Padusæ.*) *Padus*, maximum Italiæ flumen, de quo, Georg. 1, 482; ostiis quidem septem in mare Hadriaticum defertur, sed duobus antiquissimis : quorum septentrionale dicitur *Volana*, hodie o *Pó de Volana*; meridiale, *Paduse*, hodie o *Po d'Argenta*. Vocat *stagna*, propter diffusas paludis in morem circa ostia Padi, et variis fossis confluentes aquas. *Amne Padusæ*; ut *urbem Patavi*, Æn. 1, 251.

Cogite concilium, et pacem laudate sedentes,
Illi armis in regna ruunt. Nec plura locutus
Corripuit sese, et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait, et Rutulos: equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:
Cetera, quâ jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros totâ discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt.

nus, arreptâ occasione, convocate concilium, et otiosi prædicate pacem, *dum* illi irrumpunt in regnum armati. Nec plura effatus, proripuit se, et celer exportavit *se* ex alta domo. Tu, ait, o Voluse, significa turmis Volscorum *ut* armentur: duc etiam Rutulos: Messape, et Coras cum fratre, explicate per agros equites in armis. Pars defendant ingressus urbis, et occupent turres: reliqua multitudo ferat arma mecum, quâ *parte* jussero. Confestim ex urbe tota curritur ad muros. Ipse pater Latinus abrumpit concilium et magna exorsa, et turbatus luctuoso tempore,

463. *Maniplis.*) *Manipulus* erat certus militum numerus, qui sub eodem signo pugnabat. Erat Romuli tempore militum centuria; postea duas centurias cepit. Sic dicitur, ex Varrone, quia *minima manus* sive turba militum erat: ex Vegetio, quia *junctis manibus*, id est, simul pugnabant: meliùs ex Ovidio, Aurelio Victore, Donato, etc. quia pro signis et aquilis, Romuli tempore, habuerunt fasciculos fœni, pertichâ suspensos: fasciculi autem illi dicuntur *manipuli*, quòd manum impleant.

464. *Equites Messapus.*) Sic interpungimus, post Servium et Donatum: ut Volusus ducat Rutulos, et simul moneat Volscos ut sub ducibus suis pugnæ se parent; Messapus verò, Coras et ejus frater Catillus, de quibus Æn. 7, 672, ducant equites. *Messapus*, nominativus est pro vocativo: ut Æn. 8, 77: *Hesperidum fluvius regnator aquarum Adsis*, etc. Æn. 1, 192: *Socer arma Latinus habeto.*

467. *Jusso.*) *Jussero.* Sic frequenter in duodecim tabulis, apud Cicer. de legibus, etc. *præcepsis*, pro *preceperis*: *rupsis*, pro *ruperis*: *rapsis*, pro *rapueris*. Sic *faxo*, pro *fecero*: *faxim*, pro *fecerim*. Turnebus, l. 18, c. 15.

Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Ænean, generumque asciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subjiciunt : bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros variâ cinxêre coronâ
Matronæ puerique : vocat labor ultimus omnes.
Necnon ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magnâ matrum regina catervâ,
Dona ferens : juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, atque oculos dejecta decoros :
Succedunt matres, et templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces :
Armipotens belli præses, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.

differt *ea in aliud* : et accusat se plurimùm, quòd non ultro admiserit et urbi adoptaverit generum, Trojanum Æneam. Alii faciunt fossas *ante* portas, aut supponunt stipites et saxa : rauca tuba dat signum sanguineum *ad* pugnam. Tunc matronæ et pueri circumdederunt muros multiplici cœtu : extrema necessitas invitat omnes. Regina quoque *cum* ingenti comitatu matrum vehitur ad templum et supremam arcem Palladis, portans munera ; et prope comes *est* Lavinia puella, causa tantæ calamitatis, et submittens formosos oculos. Matres sequuntur, et implent templum vapore thuris, et e porta sublimi emittunt voces luctuosas. O virgo Tritonia, potens *in* armis, præsidens bello, rumpe *tuâ* manu arma Trojani prædatoris, et dejice illum humi præcipitem, et disturba sub altis portis.

477. *Palladis arces.*) Templa Palladis vulgò in arcibus, quia Pallas inventrix dicitur arcium : Ecl. 2, 61 : *Pallas quas condidit arces ipsa colat.* Dona ferunt ipsi, *peplum*, Æn. 1, 484. Cultum verò Palladis reliquorumque Deorum Laurentes a Græcis acceperant, qui frequentes consederant in meridionali Italiæ parte, quæ inde diù *magna Græcia* dicta est.

483. *Armipotens Tritonia.*) Palladis nomen, Æn. 2, 171. Præses autem fuit urbium, artium, belli, etc. De *Phrygia*, ubi Troas, Æn. 1, 385.

Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus :
Jamque adeò Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem,
Fulgebatque altâ decurrens aureus arce :
Exultatque animis, et spe jam præcipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum :
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus altè
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit : quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis : tum talia fatur :
Turne, sui meritò si qua est fiducia forti,

Turnus ipse ardens armatur ad pugnam : et jam armatus *secundùm* loricam Rutulum *erat* asper squamis æreis, et texerat auro tibias, adhuc detectus *secundùm* caput : et alligaverat gladium lateri : et splendebat aureus exiliens e summa arce : et gestit animo ; et spe jam præoccupat hostem. Qualis equus postquàm ruptis retinaculis fugit stabula, demum liber et fruens patente campo; ille aut vadit ad pascua et greges equarum; aut solitus lavari noto fluvio aquæ exilit, et collo altè erecto petulans fremit, et crines errant per collum et per humeros. Cui Camilla, sequente turmâ Volscorum, obvia occurrit, et regina descendit *ex* equo sub ipsis portis: quam tota turma imitans, descendit ad terram relictis equis : deinde *Camilla* dicit ista: Turne, si *animus* generosus habet jure aliquam in se confidentiam, audeo et polliceor obstare exercitui Troja-

488. *Squamis ahenis*, etc. *Suras*, etc.) De *squamis* loricæ corio superadditis, Æn. 3, 467. *Sura*, pars est tibiæ carnosa, quæ cum toto crure ocreis vestitur, *barriga da perna*.

498. *Volscorum acie.*) Qui jam vocati a Turno per Volusum fuerant, v. 463. De *Camilla*, eorum duce, infrà, v. 535. De *Volscis*, Æn. 7, 803. De *Tyrrhenis*, Æneæ sociis, Æn. 8, 479.

Audeo, et Æneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem! sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo properans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces:
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis.
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,

norum, et sola procedere obvia adversùs equites Etruscos. Permitte me experiri manu prima discrimina pugnæ: tu pedes mane ad muros et tuere urbem. Turnus *respondet* ad ista hærens oculis in *terribili* puella: O virgo, gloria Italiæ; quas conabor dicere, quas referre *tibi* gratias! sed jam, quandoquidem animus ille *tuus* est supra omnia *pericula*, divide mecum periculum. Ut fama et missi observatores faciunt fidem, Æneas callidus præmisit equites levis armaturæ, *qui* vastarent agros; ipse accelerans per deserta alta montis, *superato* jugo, accedit ad urbem. Meditor insidias belli, in curva semita sylvæ, ut occupem militibus armatis angustias bifidas. Tu, signis conjunctis, occurre equitatui Etrusco. Messapus ardens erit

515. *Furta belli ...*) *Insidias*: dicitur quippe *furtum*, quicquid clam fit, Æn. 5, 588.

Convexo.) *Concavo*, aut saltem *curvo*, Æn. 1, 314.

517. *Tyrrhenum equitem.*) Qui præmissus erat ab Æneа, per planos campos.

518. *Messapus erit*, etc.) Cum equitibus aliquot *Etruscis*, quorum dux erat, Æn. 7, 691. *Turmæ Latinæ*, sive *Rutulæ*, sub Voluso, suprà, v. 464. *Tiburti manus*, sub Catillo et Cora, suprà, v. 465. Æn. 7, 670.

Tiburtique manus : ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et partibus Messapum in prælia dictis
Hortatur sociosque duces : et pergit in hostem.
Est curvo anfractu vallis accommoda fraudi
Armorumque dolis : quam densis frontibus atrum
Urget utrinque latus : tenuis quò semita ducit,
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni.
Hanc super, in speculis summoque in vertice montis,
Planities ignota jacet, tutique receptus,
Seu dextrâ lævâque velis occurrere pugnæ
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.
Huc juvenis notâ fertur regione viarum,
Arripuitque locum, et sylvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacrâque catervâ,
Compellabat, et has tristi Latonia voces
Ore dabat : Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis,

tecum, et catervæ Latinæ, et turmæ Tiburtinæ : sume tu quoque munus ducis. Sic dixit, et similibus verbis animat Messapum, et duces socios *ejus* ad pugnam : *et ipse* vadit in hostem. Est vallis flexu sinuoso, apta fraudibus et insidiis belli : quam nigra latera premunt utrinque spissis foliis : trames parvus ducit illuc, et meatus arcti atque ingressus difficiles ferunt *ad eam*. Super eam, in speculis et in supremo cacumine montis, sternitur planities incognita et perfugium tutum, sive velis descendere *ad* pugnam, *a* dextra et sinistra *parte ;* sive imminere e verticibus et dejicere vastos lapides. Juvenis *Turnus* vadit *illuc* per spatia itinerum *sibi* cognita, et occupavit locum, et constitit in sylvis *illis* asperis. Interim in cœlestibus sedibus *Diana* filia Latonæ alloquebatur velocem Opim, unam e comitibus puellis, et *e* turba *sibi* sacra ; et ore mœsto proferebat hæc verba : O virgo, Camilla vadit ad bellum

522. *Vallis accommoda.*) *Vallis* ultimam brevem hic producit propter cæsuram : Servius tamen legit antiquo nominativo, *valles*.

534. *Latonia.*) Diana, Latonæ filia, Ecl. 3, 67.

Cara mihi ante alias: neque enim novus iste Dianæ
Venit amor; subitâque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno, viresque superbas,
Priverno antiquâ Metabus cùm excederet urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipse sinu præ se portans juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis, tantus se nubibus imber
Ruperat: ille innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet: omnia secum
Versanti subitò vix hæc sententia sedit.
Telum immane manu validâ quod fortè gerebat

asperum, et frustra tegitur nostris armis, dilecta mihi præ ceteris: nam hic amor non novus contigit *mihi* Dianæ, flexitque animum *meum* improvisâ dulcedine. Metabus, ejectus regno per invidiam et *ob* potentiam ferociorem, cùm exiret *e* veteri urbe Priverno, fugiens per medias pugnas belli, asportavit sociam exilii infantem, et appellavit *eam* Camillam, *de* nomine matris Casmillæ, mutatâ parte *nominis*. Ipse ferens *eam* ante se *in* sinu, quærebat longa cacumina sylvarum secretarum: arma infesta urgebant undique, et Volsci discurrebant circumjectis militibus. Ecce, *in* medio fugæ, Amasenus tumens exundabat altis ripis, tanta pluvia effuderat se *e* nubibus: *ille* meditans enatare, retinetur amore infantis et timet dilecto oneri: ægrè tandem fixum *est* hoc consilium *illi*, omnia secum raptim expendenti. Alligat filiam inclusam

539. *Ob invidiam.*) Vel subditorum in se: vel suam, ut explicuimus de Mezentio, Æn. 10, 8, 52.

540. *Priverno*, etc.) *Privernum*, urbs Volscorum, circa Promptinas paludes, et Amaxenum fluvium, paucis aliquot leucis a mari distans: ejus ruinæ hodie visuntur juxta oppidum *Piperno: Amaseus*, hodie est *Toppia*, Æn. 7, 794, in extrema nota. De *Volscis*, ibidem, et v. 803.

Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ;
Quam dextrâ ingenti librans, ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuêre undæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magnâ propiùs jam urgente catervâ,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes

cortice et sylvestri subere huic *telo*, quod telum grande gestabat fortè manu robustâ, firmum nodis, et ligno exsiccato, *utpote* bellator; et circumnectit aptam mediæ hastæ: et evibrans *hastam* illam grandi dexterâ, sic loquitur ad cœlum: Diana virgo, benefica cultrix sylvarum: ipse pater *infantis* hanc tibi consecro famulam: fugit hostem per aera tenens primùm tua jacula: o Dea obtestor te, accipe hanc tuam, quæ jam creditur dubiis ventis. Dixit *hæc*, et jacit hastam libratam reducto brachio: aquæ sonuerunt: fugit misera Camilla super velocem fluvium in hasta stridula. Metabus verò, numerosâ turbâ jam propiùs imminente, projicit se in flumen, et victor extrahit e glebis herbosis hastam cum infante, *quæ erat* donum *jam sacrum* Dianæ. Nullæ urbes exceperunt eum

553. *Robore cocto.*) Ligno duriore, ad fumum exsiccato, Georg. 1, 175: *Et suspensa focis explorat robora fumus.* De *robore*, ibid. 162.

554. *Libro* et *subere.*) *Liber*, cortex interior et tenuis, *alburno, samo, livrilho.* Hoc *suber*, arbor crassissimi ac levissimi corticis, *liege, sobreiro.*

566. *Donum Triviæ.*) *Camillam*: vel, quam Triviæ quasi dono salvam recipiebat: vel, quam ipsi Triviæ quasi donum voverat. *Trivia* Dianæ nomen, quia colebatur in triviis, Æn. 4, 511.

Accepêre : neque ipse manus feritate dedisset :
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Illic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto,
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenerâ puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habenâ,
Strymoniamque gruem aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Thyrrena per oppida matres

domibus, nullæ muris : neque ipse se subdidisset iis *ob* asperitatem *morum*: traduxit vitam pastoritiam et secretis in montibus. Illic inter vepres et inter latebras *sylvarum* horridas, alebat filiam uberibus equæ gregalis et lacte ferino, premens ubera in labris *filiæ* tenellis. Et statim atque infans fixit gressus primis plantis pedum; oneravit manus *ejus* telo acuto, et alligavit arcum ac sagittas humero parvulæ. Pro aureo *ornatu* capillorum, pro vestitu pallæ defluentis, pellis tigridis pendet e capite per tergum. Jam tunc libravit manu molli jacula puerilia, et agitavit fundam tereti loro circa caput, et prostravit gruem Strymoniam vel cycnum candidum. Matres plurimæ in Etruscis urbibus frustra desideraverunt illam *in* uxorem

568. *Manus dedisset.*) *Consensisset, cessisset*, Adagium est, ex iis desumptum, qui pugnâ victi, aut manus ligandas præbent, aut iisdem protensis mortem deprecantur.

570. *Lustra.*) Cubilia ferarum in sylvis, Georg. 2, 471.

571. *Armentalis equæ.*) Quæ gregatim inter armenta versabatur : *Lacte ferino*, equino : nam equum vocavit *ferum*, Æn. 2, 51.

576. *Crinali auro*, etc.) Vel reticulo aureo, quo virgines complecti capillos solebant : vel acu crinali, quâ capilli discernuntur : vel alio quolibet aureo capitis ornatu. *Palla*, pallium muliebre, apertum ac talare, Æn. 9, 616.

580. *Strymoniam gruem.*) Quia frequens est id genus circa Strymonem, Macedoniæ fluvium, Æn. 10, 265.

Optavêre nurum : solâ contenta Dianâ,
Æternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militiâ tali, conata lacessere Teucros :
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verùm age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere Nympha polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infaustò committitur omine pugna.
Hæc cape, et ultricem pharetrâ deprome sagittam ;
Hâc, quicumque sacrum violârit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cavâ miserandæ corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit : at illa leves cœli demissa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas : fremit æquore toto

filiorum *suorum :* contenta *cultu* solius Dianæ, fovet pudica perpetuum amorem virginitatis et armorum. Vellem *ut* non fuisset perculsa *amore* talis belli, aggressa oppugnare Trojanos : nunc esset mihi dilecta et una e meis comitibus. Age verò, o Nympha ? siquidem premitur fatis crudelibus, descende cœlo, et adi regionem Latinam, ubi funestum prælium miscetur auspiciis adversis. Accipe hæc, et extrahe e pharetra vindicem sagittam. Quisquis læserit vulnere corpus *mihi* dicatum, *sive fuerit* Trojanus, sive Rutulus, simul hâc *sagittâ* mihi solvat pœnas sanguine : ego deinde nube cavâ inferam sepulcro cadaver miseræ Camillæ et arma non direpta, et restituam *illam* patriæ. *Sic* dixit *Diana* : at illa *Nympha* delapsa per levem aerem cœli insonuit, inclusa obscuro nimbo *secundùm* corpus. Sed interim omnis multitudo Trojana accedit ad muros *Laurenti*, et duces Tusci, et omnis acies equitum, distincti in turmas *certo* numero : equus subsiliens fremit toto campo,

582. *Nurum.*) Uxorem filii, *nora.*

599. *Numero in turmas.*) *Turmæ*, propriè erant equi-

Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis,
Huc obversus et huc : tum latè ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent : hastasque reductis
Protendunt longè dextris, et spicula vibrant :
Adventusque virûm, fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat : subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos : fundunt simul undique tela
Crebra, nivis ritu, cœlumque obtexitur umbrâ.
Continuò adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam

et obluctatur conversus arctis habenis huc et illuc : tum campus horrescit undique ferreis hastis, et arva resplendent excelsis armis. Messapus quoque, et Latini veloces, et Coras cum fratre, et equitatus virginis Camillæ, apparent contra oppositi *in* campo : et immittunt longè hastas brachiis contractis, et conjiciunt spicula : et fervet adventus hominum, et hinnitus equorum. Et jam uterque *exercitus* steterat, progressus intra jactum teli : erumpunt *in* repentinum clamorem, et concitant equos frementes : simul spargunt undique tela frequentia, more nivis, et cœlum tegitur tenebris. Statim Tyrrhenus et ardens Aconteus concurrunt connixi hastis oppositis, et primi magno strepitu faciunt

tum, et capiebant equites vulgò triginta, Æn. 5, 553, in notis.

604. *Ala Camillæ.*) Vegetius : *Alæ dicuntur equitum*, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegunt acies. Atque ita sumitur *ala* apud Virgilium. Ostendit tamen Lipsius de militia, Rom. l. 2, 7, *alas* etiam quandoque de peditibus dici : et vulgò de copiis, sive equestribus, sive pedestribus sociorum, quæ ad latera aciei collocabantur.

612. *Tyrrhenus.*) Hic non gentile nomen, sed proprium est principis alicujus viri, ex Æneæ aut Tarchontis exercitu.

Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti
Præcipitat longè, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies : versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt
Troes agunt, princeps turmas inducit Asylas.
Jamque propinquabant portis : rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt :
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro atque æstu revoluta resorbens
Saxa, fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egêre ad mœnia versos :
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.

impetum, et feriunt pectora equorum impulsa pectoribus. Aconteus dejectus in modum fulminis aut molis impulsæ *per* machinam, corruit procul, et effundit vitam in ventos. Exercitus *Latini* confestim territi *sunt:* et Latini conversi opponunt *retrò* scuta, et reflectunt equos ad muros. Trojani persequuntur, primus Asylas immittit agmina. Et jam attingebant portas : et iterum Latini emittunt clamorem, et retorquent colla *equorum* facilia. Trojani fugiunt, et revertuntur habenis omnino immissis. Quale *est* mare quando excurrens æstu reciproco, modò volvitur ad terras, et spumans effundit undam super rupes et perluit ultimas arenas sinuando *se;* modò cedit retro, præceps et resorbens saxa æstu convulsa, et deserit litus fluctu detumescente. Bis Etrusci pepulerunt ad urbem Rutulos fugatos: bis iidem fugati respiciunt muniendo humeros clypeis. Sed

617. *Præcipitat.*) Pro *præcipitatur*, Ut Æn. 1, 108. *Tum prora avertit*, pro *avertitur.*

619. *Rejiciunt parmas.*) In tergum, ut sese a persequentium jaculis in fugâ defendant. *Parmas*, scuta brevia, rotunda, et undique *paria*, *broquel*, *rodéla.*

Tertia sed postquàm congressi in prælia, totas
Implicuêre inter se acies, legitque virum vir :
Tum verò et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit :
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat,
Vulneris impatiens, arrecto pectore, crura :
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri : nec vulnera terrent,
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum, transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor : dant funera ferro

quando commissi ad tertiam pugnam, miscuerunt invicem totos exercitus, et vir elegit virum: tum verò et gemitus morientum *audiuntur*; ac rotantur in alto sanguine et arma, et corpora, et equi moribundi confusi *in* strage hominum : oritur crudele prælium. Orsilochus, cùm timeret aggredi *Remulum*, immittit hastam *in* equum Remuli, et figit ferrum sub aure : quo ictu equus furit arrectus, et impatiens plagæ agitat alta crura sublato pectore: ille *Remulus* dejectus humi corruit. Catillus *sternit* Iolam, et magnum animo, magnum corpore et armis sternit Herminium, cui coma flava *erat in* capite aperto, et nudi humeri : nec plagæ terrent *eum*, tam latè apertus est in ictus : hasta immissa huic per latos humeros intremit, et transfixa *cum* dolore incurvat hominem. Spargitur latè niger sanguis, pugnan-

636. *Orsilochus*, etc.) Trojanus. *Remulus*, Latinus, alius ab illo Tiburtino *Remulo*, qui moriens phaleras nepoti dederat, Æn. 9, 360 : item ab illo Numano Remulo, quem Ascanius occiderat, ibid. 592.

640. *Catillus*, etc.) Tiburtinus, de quo, Æn. 7, 672.

645. *Duplicatque virum*) Videtur a tergo inter utrasque scapulas percussus, ita ut in anteriorem partem corpus curvatum et quasi plicatum ex ictu fuerit.

Certantes : pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextrâ rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo;
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonæ bellique ministras.

tes edunt strages gladiis, et per plagas quærunt mortem gloriosam. At Camilla pharetrata gaudet in mediis stragibus, *quasi* Amazon, nudata *secundùm* unam mammam *ad* prælium. Et modò jaciens manu congerit hastas flexiles, modò infatigabilis corripit dextrâ manu robustam securim. Arcus aureus, et sagittæ Dianæ sonant ex humero *ejus*. Ipsa quoque verso arcu defigit sagittas fugaces, si aliquando cedit fugata in tergum. *Sunt* verò circa *eam* selectæ sociæ, et virgo Larina, et Tulla, et Tarpeia intentans æream securim, Italæ *puellæ*; quas ipsa divina Camilla elegit sibi *quasi* honorem, famulas *in* bello et bona

648. *Amazon.*) *Volsca*, Amazonum tamen more armata : id est, exusta mamma dextra, sinistroque latere nudato, ut diximus, Æn. 1, 494.

650. *Denset.*) Secundæ conjugationis : vel *densat*, primæ : Æn. 10, 432. *Bipennis*, securis utrinque acuta, supra, v. 135.

652. *Arma Dianæ.*) Venatoria : sagittæ in pharetra, bipennis, hastilia.

654. *Spicula converso*, etc.) More Parthorum, quos eâ arte celebres diximus, Ecl. 1, 62.

657. *Dia Camilla.*) Græca vox δία, *generosa*, *præstantissima*, *divina* : quia Dianæ Deæ consecrata, suprà, v. 557. Sic apud Homerum Helena vocatur δία γυναικῶν, *præstantissima mulierum*.

658. *Pacisque bonæ*, etc.) Sic plures et saniores codices, Pierio teste. Aliqui tamen habent : *pacisque bonas bellique ministras*.

Quales Threiciæ, cùm flumina Thermodoontis
Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis :
Seu circum Hippolyten, seu cùm se Martia curru

pace. Quales Thraciæ Amazones, quando legunt fluenta Thermodoontis, et pugnant armis pictis sive quando bellicosa Penthesilea redit *in* curru, et magno tumultu ulu-

659. *Quales Threiciæ.*) De Amazonum gente ac nomine, Æn. 1, 321, 494. Nunc de patria et sede. I. Constat Amazonum sedem non fuisse in *Thracia* propria et *Europæa*, quæ Macedoniæ confinis est, sed in septentrionali minoris Asiæ litore, quod Ponto Euxino alluitur : urbemque regiam ab ipsis illic conditam fuisse *Themiscyram*, non longè a Thermodonte fluvio : eisdemque paruisse totum illum tractum, qui deinceps Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociamque complexus est. Ita Herodotus, Pausanias, Diodorus Siculus, etc. II. Constat e Xenophonte, Exped. l. 6, tractum illum ipsum tulisse quoque *Thraciæ* nomen, nempe *Asiaticæ*. III. Habemus ex iisdem auctoribus, præcipuè Diodoro, Amazonas, circumflexo Euxini litore tum orientali tum etiam septentrionali, trajectoque Tanai fluvio, maximam Sarmatiæ Asiaticæ et Europææ subegisse partem : deinde, cum ab Hercule ac Theseo nativis in sedibus bello appetitæ et victæ essent; occupato in Libya Hercule, bellum eas Græcis intulisse, transmisso scilicet Bosphoro Cimmerio : indeque per Thraciam Europæam, Macedoniam, ac Thessaliam, aperuisse sibi aditum ad ipsam Atheniensium arcem, quam aliquandiu tenuerunt. Tamen hinc pulsæ sunt a Theseo, ut probant iis in locis multa, tum Thesei victoriæ, tum Amazonum cladis monumenta : earumque reliquiæ, intra pristinos Pontici litoris fines, servavêre deinceps formam aliquam imperii, usque ad Trojani belli tempora; cum Penthesilea, nativo odio Græcis infesta, Trojanis auxilium tulit, et ab Achille aut Pyrrho sub belli finem occisa est. Tum etiam ad usque Alexandrum magnum perstitêre, ad quem Thalestris Amazonas trecentas adduxit, ex Diodoro et Q. Curtio.

Thermodoontis.) Thermodon Cappadociæ fluvius est, in oram Euxini meridialem influens; nunc *Pormon*.

661. *Hippolyten.*) Thesei uxor fuit, dicta ab aliis *Antiopa* : ex qua Hippolytum filium suscepit, insidiis Phædræ novercæ deinde sublatum. Hanc bello Herculis Amazonico Theseus, vel dono Herculis acceperat, vel dolo ipse rapuerat : bello deinde Attico adversùs Amazonas, ab illis pro viro pugnans occisa est. Plutarchus

Penthesilea refert : magnoque ululante tumultu
Fœminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre : cujus apertum
Adversi longâ transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirin Pagasumque super : quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit; alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inertem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden : sequiturque incumbens eminus hastâ,
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque,
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,

lante muliebres turmæ gestiunt scutis lunatis : o bellicosa virgo, quem primum, quem ultimum sternis hastâ? aut quot spargis humi corpora moribunda : primo Eumenium patre Clytio : cujus oppositi pectus patens transfodit longâ *hastâ ex* abiete. Ille corruit vomens fluenta sanguinis, et mordet terram sanguinolentam, et moriens agitat se in *sua* plaga. Deinde Lirin et Pagasum præterea : duorum alter dum collabens equo succidente retrahit habenas; alter dum succurrit, et porrigit cadenti dexteram lentiorem, repentè et simul concidunt. Adjicit iis Amastrum Hippotæ filium : et imminens insequitur : propiùs hastâ, et Tereum, et Harpolycum, et Demophoontem, et Chromim : et quot jacula vibrata manu virgo intorsit, tot homines Trojani

in Theseo, Diodorus, etc. De *Penthesilea*, quæ ob virtutem filia Martis credita est, Æn. 1, 494.

663. *Lunatis peltis.*) Scutis brevissimis, in formam Lunæ mediæ præcisis.

667. *Abiete.*) Hasta ex *abiete* arbore, *abeto.*

Tot Phrygii cecidêre viri. Procul Ornitus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur :
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus,
Et malæ texêre lupi cum dentibus albis;
Agrestisque manus armat sparus : ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur :
Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putâsti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes : telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora; sed Buten adversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, quâ colla sedentis

corruerunt. Ornitus venator procul excurrit *in* armis insuetis et equo Apulo : cui pellis extracta juvenco pertinaci tegit latos humeros; magnus rictus gutturis et genæ lupi cum dentibus candidis operuerunt caput, et sparus rusticus armat manum : ipse excurrit in mediis turmis, et supereminet toto capite. Illa perfodit hunc interceptum, non enim difficile *erat* disturbato agmine : et hostili animo hæc ait super *illum* : Existimavi, o Etrusce, te venari feras *in* sylvis : venit dies, qui ulciscatur verba vestra fœmineis armis. Tamen referes umbris parentum *tuorum* gloriam hanc non exiguam, *te* occisum esse hastâ Camillæ. Continuò *occidit* Orsilochum et Buten, duo maxima corpora Trojanorum; sed Buten acumine *teli* transfodit adversum, inter cassidem et thoracem, quâ collum equitan-

677. *Phrygii.*) Trojani, e Phrygia, Æn. 1, 385.

678. *Equo Iapyge.*) Ex Apulia, quæ *Iapygia* dicta est : Æn. 8, 710, et suprà, v. 247.

682. *Sparus.*) Telum rusticanum, a *spargendo* dictum.

686. *Tyrrhene.*) *Orte* e Tyrrhena gente.

688. *Vestra verba.*) Quibus fortitudinem vestram in-

Lucent, et lævo dependet parma lacerto.
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro inferior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior insurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnâ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit;
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te cominus æquo

tis micat, et *quà* parma descendit infrà humerum sinistrum; fugiens *verò* et circumacta magnum in orbem fallit Orsilochum, interiùs secans gyrum, et persequitur *eum qui priùs eam* persequebatur. Deinde assurgens altiùs bis impingit validam securim per arma et per ossa *huic* homini roganti et multùm precanti: plaga spargit vultum calido cerebro. Occurrit illi, et stetit stupefactus improviso visu bellicosus filius Auni incolæ Apennini, non ultimus Ligurum, quamdiu fata permittebant *ei* fallere. Ille autem, cùm videt se nullo cursu posse subducere se prælio, nec expellere Reginam imminentem, incipiens consultò agitare dolos mente et solertiâ, dicit ista: Quid tam illustre *est*, si *cùm sis* fœmina, confidis equo robusto? relinque celeritatem *equi*, et propiùs committe te mecum

temperanter jactatis. De *Manibus* parentum, Georg. 4, 469. Æn. 6, 743.

693. *Parma.*) v. 619. *Lacerto*, Æn. 5, 422.

695. *Gyro interior.*) Breviori spatio atque ambitu reflectens sese, Æn. 5, 170.

700. *Apenninicolæ.*) De *Apennino*, monte Italiæ, Liguriam a septentrione ambiente, Æn. 12, 703. De *Liguria*, Æn 10, 185. Monet autem Cato Ligures esse fallaces.

706. *Fugam.*) Cursum celerem. Sic Æn. 1, 321, de Harpalyce Amazone: *Volucremque fugâ prævertitur Eurum.*

Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Jam nosces, ventosa feret cui gloria fraudem.
Dixit: at illa furens, acrique incensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque assistit in armis,
Ense pedes nudo, purâque interrita parmâ,
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferratâ calce fatigat.
Vane Ligur, frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentâsti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frænisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico a sanguine sumit:
Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto

planæ terræ, et para te *ad* certamen pedestre: mox cognosces, cui laus inanis inferet damnum. *Sic* ait: illa verò furens et commota asperâ indignatione, dat equum sociæ, et stat in armis paribus, pedes, et interrita ense stricto atque scuto splendente. Sed juvenis existimans *se* victorem esse fraude, aufugit ipse, nulla *est* mora, et abripitur fugax habenis detortis, et talo ferrato impellit velocem equum. Fraudulente Ligur, et frustra elate superbo animo: frustra callidus adhibuisti astutiam patriam: nec *illa* astutia reducet te salvum Auno doloso. Virgo hæc loquitur, et ardens pedibus velocibus prætergreditur cursu equum, et correpto fræno opposita pugnat, et sumit supplicium ab hostili sanguine: *tam facilè*, quàm facilè ac-

708. *Fraudem.*) Hanc veram et antiquam lectionem esse contendit Servius; non *laudem*, ut vulgò legitur: et sensus est: cognosces cui jactantia damnum afferat.

711. *Purâ parmâ.*) Juxta Servium, *nudâ* et absque rerum gestarum figuris: quia, inquit, tunc primùm in bella descenderat. Juxta Donatum, *expedita* et absque pondere. Juxta interpretationem a nobis jam traditam, *Æn.* 6, 560, *nitida, lucida, tersa.*

721. *Accipiter.... sacer.*) *gavião*, avis rapax; ideò Marti sacra. Latinum no-

Consequitur pennis sublimem in nube columbam;
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque Deorum
Observans oculis, summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans; reficitque in prælia pulsos:
Quis metus, o nunquàm dolituri! o semper inertes
Tyrrheni! quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit.
Quò ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in venerem segnes nocturnaque bella,

cipiter avis dicata *Marti*, ex alta rupe persequitur alis columbam altam in aere, et tenet correptam, et dilaniat unguibus acutis: tunc sanguis et pennæ evulsæ decidunt ex aere. Sed genitor hominum et Deorum non quiescit sublimis in supremo cœlo *quasi* nullis oculis videns ista. Pater *ille* excitat ad durum certamen Tarchontem Tyrrhenum, et commovit *ejus* iram non levibus stimulis. Itaque Tarchon inter strages et acies recedentes impellitur equo, et exhortatur equitatum variis sermonibus, appellans unumquemque nomine *suo*; et revocat ad pugnam fugientes: O Tyrrheni, nunquam *satis* dolituri! o semper ignavi! quis timor, quæ tanta segnitia incidit animis *vestris*? Fœmina dispergit *vos* vagos, et fugat has turmas? cur gestatis manibus ferrum, et cur hæc arma inania? tamen non estis ignavi ad voluptates et ad pugnas nocturnas, aut exspectandas epulas et compotationes mensæ opimæ,

men e Græco deductum, ὀξύτερος, *celeriter volans*, seu meliùs ab *accipio;* Lusitanum nomen, fortè a *capio*, litterâ c in *g* mutatâ, etc.

730. *Alas.*) Equitatum, v. 604.

732. *O nunquam dolituri.*) O qui nunquam acceptis injuriis movemini, ut fortes

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, et plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studium: dum sacra secundus aruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus et ipse
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert:
Direptumque ab equo dextrâ complectitur hostem,
Et gremium ante suum multâ vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor, cunctique Latini
Convertêre oculos: volat igneus æquore Tarchon
Arma virumque ferens: tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Quà vulnus lethale ferat. Contrà ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram et vim viribus exit.
Utque volans altè raptum cùm fulva draconem

quando tibia curva Bacchi indixit choreas: hic *est* amor *vester*, hæc cura: dummodo favens aruspex nuntiet sacrificia, et hostia opima invitet in profundos lucos. Hæc locutus, ipse etiam moriturus impellit equum in medios, et minax immittit se adversum Venulo; et constringit dextrâ *manu* hostem detractum ab equo, et magno impetu concitatus abripit *eum* ante sinum suum. Clamor erigitur ad cœlum, et Latini omnes converterunt oculos. Tarchon ardens volat campo, portans hominem et *ejus* arma: deinde abrumpit ferrum e suprema *ejus* hasta, et quærit partes apertas, quibus inferat plagam mortiferam. Ille contra obluctans repellit *ejus* dextram a gutture *suo*, et evitat vim viribus. Et sicut, quando fulva aquila volans altè

decet, ad justam ac dignam ultionem, *Palantes*, vagos, Æn. 10, 674.

737. *Tibia Bacchi.*) Bacchanalia intelligit et epulas Baccho sacras ad sonitum tibiæ, ut cetera Deorum sacra. De *Baccho*, Ecl. 5, 29. De *tibiis*, Æn. 9, 618.

739. *Aruspex.*) Qui ex inspectis hostiarum visceribus futura prædicit: quæ ars propria Tyrrhenorum, Æn. 8, 498.

746. *Æquore.*) Planitie campi, Æn. 2, 780.

750. *Vim viribus exit.*) Activè, ut Æn. 5, 438.

Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minùs urget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans: ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Aruns
Velocem jaculo et multâ prior arte Camillam
Circuit, et quæ sit fortuna facillima, tentat.
Quà se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hàc Aruns subit, et tacitus vestigia lustrat.
Quà victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
Hàc juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, et certam quatit improbus hastam.

portat serpentem raptum, et illigavit *ei* pedes, et hæsit unguibus; serpens verò vulneratus convolvit sinuosas spiras, et rigescit squamis sublatis, et altus assurgens sibilat ore: illa rostro incurvo non minus premit obnitentem, et simul quatit aerem alis. Non aliter Tarchon gaudens aufert prædam e turma Tiburtinorum: imitati exemplum et eventum ducis *sui* Tyrrheni irruunt. Tunc Aruns, addictus morti, prior currit circa celerem Camillam *cum* sagitta et multa solertia: et explorat quænam fortuna sit commodissima. Quàcumque virgo ardens immittit se medio exercitu; Aruns sequitur *eam* hâc parte, et occultus considerat incessum *ejus*: quà revertitur illa victrix, et refert pedem ab hoste, juvenis clam deflectit illac habenas expeditas. Undique percurrit hos aditus, et jam hos aditus, et omnem circuitum, et librat malignus hastam ine-

757. *Tiburtum.*) Quorum inter principes erat Venulus. De *Tibure* urbe Latii, Æn. 7, 630.

759. *Mæonidæ.*) Tyrrheni, e Mæonia sive Lydia orti, Æn. 2, 781. Æn. 4, 216.

Fortè sacer Cybele Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis :
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrinâ ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu :
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida : tum croceam chlamydemque sinusque crepantes

vitabilem. Fortè Chloreus *dicatus* Cybele et quondam sacerdos, procul splendebat conspicuus *in* armis Phrygiis : et impellebat equum spumantem, quem tegebat pellis compacta squamis æreis auratis *in modum* plumarum. Ipse conspicuus ferrugine et purpurâ externâ vibrabat Lycio *arcu* corneo sagittas Cortynias : arcus auratus sonat ex humeris, et galea aurea est *huic* vati : præterea strinxerat *in* nodum fulvi auri chlamydem croceam carbasinam et *ejus*

768. *Sacer Cybele.*) Alii legunt : *Sacer Cybelo :* alii *Satus Cybelo;* ne idem sit *sacer* et *sacerdos.* Nugæ : potest enim quis sacer esse dicatusque per votum numini, non per sacerdotium : ut Camilla, quæ tamen Dianæ sacerdos non erat. De *Cybelo* monte Phrygiæ et *Cybele* Dea Deorum matre, Æn. 3, 111.

770. *Ahenis in plumam,* etc.) Non militibus tantùm, sed et equis etiam loricæ quandoque fuerunt : et ii propriè dicebantur *cataphracti.* De iis ita Sallust. apud Servium : *equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Igitur lorica equi erat ex pelle sive corio, cui insertæ erant æreæ laminæ, in modum squamarum incisæ, erant autem squamæ illæ non rotundæ quidem ac vulgares, sed oblongæ; ita ut ad plumarum formam potiùs accederent : neque ex ære simplici, sed aurato, Æn. 3, 467.

772. *Peregrinâ ferrugine et ostro.*) Ostro, sive purpurâ Ibericâ, ferrugineâ et subnigricante : de qua, Æn. 9. 582. De *ostro,* Georg. 2, 506.

773. *Lycio Cortynia,* etc.) Species pro genere. Arcus enim insignes e cornea materia, e Lycia Asiæ regione, de qua, Æn 4, 143. Sagittæ item ex urbe Cretæ insulæ *Cortyna,* vel *Gortyna,* Ecl. 6, 60.

775. *Cassida.*) Nomen primæ declinationis, deductum ex accusativo nominis tertiæ : *cassida, cassidæ;* a *cas-*

Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur: totumque incauta per agmen,
Fœmineo prædæ et spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cùm tandem tempore capto
Conjicit, et superos Aruns sic voce precatur:
Summe Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus vestigia prunâ:

plexus crepitantes. Pictus acu *secundùm* tunicam et barbara tegmina crurum. Puella sive ut appenderet templis arma Trojana, sive ut venando incederet in aureis *spoliis* captis, sequebatur cœca hunc unum ex omnibus certantibus in prælio: et imprudens flagrabat per totum exercitum muliebri cupiditate prædæ et spoliorum. Cùm denique tempore captato Aruns vibrat jaculum ex insidiis, et orat Deos his verbis: Supreme Deorum Apollo, præses sacri Soractis, quem præcipui colimus, cui ignis e pinu alitur in cumulum, et *cui nos* cultores, securi religione, calcamus plantis multas prunas per mediam flammam: con-

sis, *cassidis*, *cassidi*, *cassida*: quod et apud Propertium reperitur, l. 3, 11, 15. Sic apud Varronem, teste Nonio, *compeda* a *compes*; *chlamyda*, a *chlamys*: apud sacros scriptores nostros, *lampada*, a *lampas*. *Croceam*: tinctam croco flore, *açafrão*.

777. *Tunicas et barbara*, etc.) De *tunicis*, Æn. 9, 616. *Tegmina crurum*: sunt ocreæ non vulgari quidem Græcorum aut Italorum, sed Barbarorum more: hoc est, ut videtur plerisque, Phrygum, qui primi acu pingere repererunt. Paulò tamen aliter visum explicandum illud, Æn. 2, 504: *Barbarico postes auro*.

780. *Certamine pugnæ.*) Sic Lucret. l. 4, 841. Sic et Æn, 2, 780: *Maris æquor*.

785. *Soractis.*) *Soracte* vel *Soractes*, mons in Etruria in agro Falisco, ad occidentalem ripam Tiberis, ad septentrionem Romæ; nunc *monte de S. Silvestre*. Ibi lucus et templum Apollinis fuit, Plinius, l. 7, 2: *Haud procul urbe Roma, in Faliscorum agro, familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hir-*

Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias pulsæve tropæum
Virginis, aut spolia ulla peto: mihi cetera laudem
Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius urbem.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit; partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subitâ turbatam morte Camillam,
Annuit oranti, reducem ut patria alta videret,
Non dedit, inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertêre animos acies, oculosque tulêre
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ,
Nec sonitûs memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam

cede, o pater omnipotens, hanc ignominiam deleri nostris armis. Non peto exuvias, aut tropæum, aut ulla spolia victæ puellæ: reliqua facta mihi præstabunt gloriam: revertar *libenter* inglorius in urbem patriam, dummodo hæc funesta pestis moriatur vulnere a me *inflicto*. Apollo audivit, et concessit *ut* pars voti animo succederet; partem dissipavit in leves ventos. Concessit precanti *ut* occideret morte improvisâ *Camillam* turbatam: non concessit ut nobilis patria cerneret eum reversum, et nubes dispulerunt vocem in ventos. Itaque statim atque hasta librata manu edidit stridorem per aerem; agmina converterunt animos, et omnes Volsci direxerunt oculos ad Reginam. Ipsa nullatenus animadvertit aut aerem *impulsum*, aut stridorem, aut jaculum veniens ex alto, donec jaculum appulsum ad

piæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur, et ob id perpetuo Senatusconsulto militiæ aliorumque munerum vacationem habent. Addit Servius ex Varrone, sacrificulos illos, per prunas ambulaturos, medicamento aliquo solitos sibi plantas tingere. *Aruns* igitur ex illis Hirpis Etruscis fuit, et equitibus Tarchontis. *Pineus ardor*, sunt prunæ, e pinu succensa excitatæ.

793. *Inglorius.*) Nullâ cæde nobilis: hanc enim cædem esse ignotam volo.

798. *Notos.*) Speciem pro genere: *ventos* meridiales pro quibuslibet ventis, Ecl. 2, 58.

Hæsit, virgineumque altè bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitiâ mixtoque metu: nec jam ampliùs hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
At velut ille, priùs quàm tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco:
Conscius audacis facti; caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentusque fugâ, mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis, labuntur frigida letho
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic expirans, Accam ex æqualibus unam
Alloquitur, fida ante alias quæ sola Camillæ,

mammam præcisam infixum est, et profundè immissum hausit virgineum sanguinem. Sociæ festinantes accurrunt, et suscipiunt Reginam cadentem: Aruns præ ceteris stupefactus, fugit, gaudio et timore mixtis: nec jam ultra audet fidere hastæ, nec occurrere armis virginis. Et quemadmodum aliquis lupus, pastore aut magno juvenco interfecto, memor facti *sui* audacis, recipit se in montes excelsos *extra* viam positus, priusquàm jacula hostilia assequantur *ipsum*: et reflectens caudam supponit *eam* trementem utero, et adit sylvas: non aliter Aruns turbatus subduxit se ex oculis, et gaudens ob fugam miscuit se mediis armatis. Illa moriens educit manu jaculum: sed cuspis ferrea hæret ad costas inter ossa profundo vulnere. Concidit pallida, concidunt oculi frigidi morte; color olim rubicundus deseruit vultum. Tum moriens sic alloquitur Accam unam e sociis, quæ sola Camillæ fideli serat præ ceteris,

809. *Ille lupus.*) *Ille* frequenter abundat in comparationibus, Æn. 10, 707.

815. *Contentus fugâ.*) Præter allatam interpretationem, potest hæc etiam afferri: *Concitatus fugâ, contendens fugam*; a *contendo*.

Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens: tum frigida toto
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum letho posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum verò immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejectâ crudescit pugna Camillâ.
Incurrunt densi: simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcadis alæ.
At Triviæ custos jamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;

cum qua *solebat* communicare curas *suas*; et sic loquitur ista: Acca soror, potui huc usque *pugnare*; nunc dura plaga me interficit, et omnia circum nigrescunt caligine. Fuge, et fer ad Turnum hæc ultima monita: succedat *mihi* ad pugnam, et avertat Trojanos ab urbe. Denique vale. His prolatis, simul dimittebat habenas, non sponte labens in terram; tum frigida dissolvit se paulatim toto corpore, et demisit colla incurva caputque morte victum, abjiciens arma; et vita dolens cum gemitu, abit in tenebras. Tunc autem vastus clamor suboriens verberat astra aurea: prælium inhorrescit occisâ Camillâ. Irrumpunt conferti: simul omnis multitudo Trojanorum, et ductores Tusci, et equitatus Evandri Arcadis. At Opis exploratrix Dianæ jamdudum sedet sublimis in summis montibus et immota aspicit prælium: et cùm inter medios clamores juvenum certantium procul vidit Camillam affectam tristi

835. *Alæ.*) Equites, suprà v. 604.

836. *Triviæ.*) Dianæ, quæ colebatur in triviis, Æn. 4, 511.

839. *Multatam.*) Aliqui

Ingemuitque, deditque has imo pectore voces ;
Heu ! nimiùm virgo, nimiùm crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema jam in morte : neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet meritâ. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacâque ilice tectum.
Hìc Dea se primùm rapido pulcherrima nisu

morte; et suspiravit, et emisit hæc verba ex intimo pectore; Heu virgo ! tulisti supplicium nimis crudele, conata bello aggredi Trojanos : nec profuit tibi derelictæ inter vepres coluisse Dianam, aut tulisse humeris nostras pharetras. Tamen Dea tua non te relinquet jam ingloriam in suprema morte : neque hæc mors erit absque honore inter populos, nec feres famam non vindicatæ. Nam quisquis læsit vulnere tuum corpus, solvet *id* nece meritâ. Fuit sub excelso monte magnum sepulcrum Dercenni, veteris regis Laurentini, ex aggesta terra, et tectum umbrosâ ilice. Dea formosissima collocat se primùm illic celeri impetu, et ab

legunt *mulcatam*. Differunt verò *multare*, *et mulcare* : quòd *multare* est a voce Osca vel Sabina, *multa*, quæ pœnam pecuniariam a judice irrogatam significat, ut notant Festus et Varro ; et per translationem, quamlibet aliam pœnam : *mulcare* autem Latina vox est, quæ significat *verberare*, a *mulceo*, quod est *mollio* : quia quod verberatur, mollitur : hinc Vulcanus dictus est *Mulciber*, a verberando ferro. Vide Germanum Valentem, et Vossium.

843. *Desertæ in dumis.*) De vita Camillæ in sylvis, suprà, v. 539 et sequentibus.

850. *Dercenni*, etc.) De hoc vetere Laurente rege, Latino multò antiquiore, nihil apud auctores. *Bustum* ait, pro loco ubi cineres post combustionem depositi fuerunt. *Ilex*, arbor glandifera, *azinheira*, *roble*. De *Laurente* regione, Æn. 7, 65.

Sistit, et Aruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentum armis, ac vana tumentem :
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc, periture, veni, capias ut digna Camillæ
Præmia. Tu-ne etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, et auratâ volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetrâ, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longè; donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,
Lævâ aciem ferri, dextrâ nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit unà Aruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum expirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt :

excelso tumulo circumspicit Aruntem. Quando aspexit illum coruscantem armis et vanè superbientem, ait : Cur discedis in diversam *partem*? huc fer gradum, huc veni, moriture; ut recipias mercedem dignam Camillâ. Tu-ne morieris sagittis *ipsius* etiam Dianæ! Dixit, et *quemadmodum Amazon* Thracia, eduxit ex aurata pharetra sagittam celerem, et inimica intendit *arcum* corneum, et extendit longè; donec extremitates *ejus inflexæ* committerentur inter se et jam tangeret manibus æqualibus, sinistrâ cuspidem ferri, dexterâ et nervo mammam. Statim Aruns audivit simul stridorem sagittæ aeremque frementem, et ferrum infixum est in corpore. Socii immemores relinquunt illum in incognito pulvere arvorum expirantem et ultima

854. *Vana.*) More adverbii, pro *vanè*, ut Georg. 3, 500 : *Terram crebra ferit.*

856. *Digna Camillæ præmia*, etc.) Mors divinâ manu illata, præmium, non pœna est. Si mori debuerat Camilla, mori divinâ manu debuerat, non imbelli timidi mortalis telo. Tu-ne dignum Camillâ munus auferes? et ignavus cùm sis, non cujuslibet numinis, sed ipsius etiam Dianæ telis moriere?

858. *Threissa*, etc.) *Ut Threissa*, id est, *ut Amazon*. Sic Camilla, v. 648 : *Exultat Amazon*, id est, *ut Amazon*. Neque enim Opis aut Camilla tales erant re ipsâ, sed cultu tantùm atque habitu. De *Amazonibus Thraciis*, suprà, v. 659.

Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.
Prima fugit dominâ amissâ levis ala Camillæ :
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas ;
Disjectique duces, desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros lethumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra :
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atrâ
Pulvis : et e speculis percussæ pectora matres
Fœmineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupêre patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba.
Nec miseram effugiunt mortem ; sed limine in ipso ;
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas. Pars claudere portas :
Nec sociis aperire viam ; nec mœnibus audent

gementem : Opis effertur alis ad æthereum cœlum. Levis equitatus Camillæ fugit primus, reginâ amissâ : Rutuli turbati fugiunt, fugit fortis Atinas : et ductores dissipati, et manipuli vastati quærunt *loca* tuta, et currunt equis, conversi ad muros. Nec ullus potest sustinere armis, aut stare contra Trojanos imminentes et inferentes mortem : sed reportant humeris defessis arcus laxos, et ungula equorum currendo pulsat campum pulverulentum. Pulvis confusus nigrâ caligine fertur ad muros : et matres verberantes sinum emittunt e speculis fœmineam vociferationem ad astra cœli. Qui primi attigerunt cursu portas apertas, hos turba hostilis opprimit agmine superjecto : nec evitant mortem funestam ; sed in ipso ingressu, in muris patriis, et inter tutas domos confossi emittunt animas. Pars *incipit* claudere portas : nec audent patefacere aditum sociis, nec

867. *Olympum.*) Montem Thessaliæ, pro *cœlo*, Ecl. 5, 56. *Ala*, equitatus, suprà, v. 604, *Rutuli*, milites Turni, Æn. 7. 794.

Accipere orantes : oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, atque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruinâ,
Volvitur; immissis pars cæca et concita frænis
Arietat in portas, et duros obice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) ut vidêre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum :
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,

admittere precantes *intra* muros : et incipit tristissima strages, propugnantium armis ingressus, et ruentium in pugnam. *Ex iis qui sunt* exclusi, pars labitur in fossas præruptas, premente *multitudine* irruentium, ante oculos et vultus parentum plorantium : pars *insana* et concitata *equis* frænatis impellunt portas et postes firmatos repagulis. *In* suprema *illa* contentione matres ipsæ, ex quo conspexerunt Camillam (*id* docet verus amor patriæ) festinantes emittunt e muris tela manibus, et imitantur *arma* ferrea duris lignis, stipitibus, fustibus præustis : nihil moratæ, et cupiunt primæ mori pro *defensione* murorum. Interim nuntius acerbissimus occupat Turnum in sylvis, et Acca refert juveni magnum *illum* tumultum : turmas Volscorum cæsas *esse*, Camillam occisam esse,

890. *Arietat in portas.*) Non quidem equorum in portas impulsu, quod visum est *Donato;* sed obviis quibusdam aut trabibus aut molaribus impactis, instar arietum : de qua machina, Æn. 2, 492.

893. *Utvidêre Camillam.*) Vel cùm viderunt Camillæ corpus inter sociarum manus relatum : vel potiùs, quia v. 594, dixit Diana se nube cavâ corpus illud tumulo illaturam, ex quo viderunt Camillam, pro aliena salute ad arma concurrentem, amor patriæ suasit ipsis idem pro salute propria faciendum. De *robore*, pro quovis duriore ligno, Georg. 1, 162.

Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (nam sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix è conspectu exierat, campumque tenebat,
Cùm pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, sylvâque evadit opacâ.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt.
At simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longè, Laurentiaque agmina vidit;
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum, flatusque audivit equorum;
Continuò pugnas ineant, et prælia tentent,
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

hostes infestos imminere, et faventeMarte vastasse omnia; timorem jam extendi ad muros. Ille furiosus deserit colles occupatos et sylvas difficiles, nam auctoritas dura Jovis ita imperat. Vix excesserat *ultra conspectum*, et attigerat campos, cùm pater Æneas, ingressus sylvas patentes supergreditur collem et exit *ex* obscura sylva. Sic ambo festini et toto impetu currunt ad muros, nec absunt longo intervallo a se invicem. Et simul Æneas vidit procul campos undantes pulvere, Laurentemque exercitum; et Turnus agnovit Æneam ferocem cum exercitu, audivitque incessum pedum, et hinnitus equorum; statim inciperent certamina, et tentarent prælia, nisi Sol roseus jam lavaret mari Hispanico fessos equos, et reduceret noctem die cadente. Ambo quiescunt in castris ante urbem, et cingunt muros *urbis*.

901. *Furens, nam sæva*, etc.) Duplici de causa reliquit insidias, quibus Æneam deprehendere et bellum conficere mox potuisset: nempe ob præcipitem furorem, qui ei mentem abstulit: et ob numina Jovis, et vim fatorum Æneæ faventium.

913. *Gurgite Ibero.*) Occiduo Oceano: nam Iberia sive Hispania ad occidentem Italiæ objacet. De *Iberia*, Æn. 9, 582. De *Gurgite*, pro *mari*, Æn. 1, 122.

915. *Mœnia vallant.*) Circumambiunt: Trojani ut oppugnent; Rutuli ut defendant.

ÆNEIDOS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Fractis geminâ pugnâ Latinis, Turnus cum Æneâ singulari certamine dimicare statuit. Solemni sacramento conditiones certaminis fœdusque a Latino, Æneâ, Turnoque sancitur. Fœdus a Juturna, Turni sorore, Junonis impulsu disturbatur: primusque Tolumnius, falso augurio victoriam suis pollicitus, Trojanos invadit. Æneas sagittâ vulneratus excedere cogitur e prœlio: quo absente maximam stragem Turnus edit. Venus dictamno herbâ vulnus Æneæ sanat. Is, refectis viribus reversus ad pugnam, Turnum nominatim vocat. Sed cùm Juturna, excusso Turni aurigâ Metisco, currum ejus moderaretur, et ab Æneæ occursu detorqueret, ne congredi simul possent, Æneas admoto ad urbis mœnia exercitu in propugnacula ignem conjicit. Hinc Amata, Turnum occisum rata, laqueo vitam sibi adimit. Turnus, ne urbs in hostium potestatem veniret, ad singulare certamen redit. Pugnant Æneas et Turnus. Æneas victor, cùm Turni jugulo immineret, jamque ipsius precibus motus ad misericordiam deflecteret, viso in ejus humeris Pallantis balteo, repentè exardescit, hostemque interficit.

Turnus, ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,

Turnus, cùm videt Latinos fractos bello infelici abjecisse *animum*, *fidem* suorum promissorum jam repeti,

1. *Infractos.*) Vox rarò negans, sæpiùs affirmans ut jam monuimus, Æn. 5, 784, et probat multis Erythræus, in Indice. Hic affirmat.

2. *Promissa.*) Quibus ad

Se signari oculis; ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur Regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quòd dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigêre, recusent.
Congredior: fer sacra, pater, et concipe fœdus.

se designari oculis; sponte *etiam* implacabilis irascitur, et erigit animum. Qualis leo aliquis, in agris Afrorum, sauciatus *secundùm* pectus duro vulnere venatorum, tunc denique exerit vires *suas*, et lætatur commovens toros jubatos colli, et interritus abrumpit jaculum venatoris infixum *sibi*, et frendet sanguinolento. Non aliter ira crescit Turno inflammato. Tunc sic alloquitur regem, et turbulentus ita incipit: Nulla est dilatio in Turno: nihil est cur segnes Trojani revocent sua verba, et abnuant *facere ea* de quibus convenerunt. Descendo ad pugnam: offer sacrificia, o pater, et fac fœdus. Vel hâc *manu* dex-

singulare cum Ænea prælium se obstrinxerat, Æn. 10, 434.

4. *Pœnorum.*) Afrorum circa Carthaginem: qui sic dicti sunt, quasi Phœni, quia e Phœnicia cum Didone profecti, Æn. 4, in argumento.

5. *Ille*, etc.) Magnus aliquis leo: et sic, *ille*, sæpe abundat in comparationibus, Æn. 10, 707.

6. *Movet arma leo.*) *Arma*, sunt uniuscujusque vires, et ad agendum instrumenta. Sic Æn. 2, 99, de Ulysse: *Et quærere conscius arma*, id est, *dolos*. Apud Statium, l. 9, 589: *Armaque curva suum*, sunt *dentes*. Hic leonis *arma*, sunt ungues, dentes: unde dicuntur *leones exarmati*, quibus ungues et dentes evulsi sunt.

7. *Toros.*) Sunt eminentiæ musculorum nodosæ ac tumentes, circa cervicem aliasque corporis partes. *Comantes excutiens cervice toros*, sacudindo a encrespada juba.

11. *Retractent.*) Fidem datam revocent per aliud pactum et quasi contractum.

13. *Fer sacra.... concipe fœdus.*) Ad ejusmodi fœdera, adhibebantur sacrificia et verba *concepta*, id est, certa solemniaque: infrà, v. 169.

Aut hâc Dardanium dextrâ sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ (sedeant, spectentque Latini),
Et solus ferro crimen commune refellam :
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus :
O præstans animi juvenis, quantùm ipse feroci
Virtute exsuperas; tantò me impensiùs æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu : nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,

terâ mittam ad inferos Trojanum profugum ex Asiâ, et solus refutabo ense criminationem communem nobis *omnibus* Latini quiescant et aspiciant *me*) vel *Trojanus* possideat *nos* victos, et Lavinia detur *ei* uxor. Latinus respondit ei tranquillo animo : O juvenis excellens animo, quantùm tu excellis asperâ fortitudine; tantò studiosiùs justum est me providere *tibi*, et *me* timentem *tibi* considerare omnia pericula. Est tibi regnum Dauni patris tui, sunt plurimæ urbes expugnatæ viribus *tuis* : sunt quoque Latino divitiæ et benevolentia : sunt aliæ virgines *in* La-

14. *Tartara.*) Inferorum pars est infima, Æn. 6, 134.

15. *Asiæ.*) Phrygiæ, sive Troadis, quæ est in minore Asia, Æn. 1, 385.

19. *O præstans*, etc.) Oratio Latini, quâ conatur Turnum a spe conjugii et singulari certamine ad pacem revocare : ostenditque I. Affinitatem illam Turni cum Latino esse inutilem, cùm regnum utriusque satis absque illa virium cunjunctione potens sit; cùm sint urbes multæ Turno, divitiæ pariter atque animus et fortitudo Latini populi, virgines in Latio plurimæ quas Turnus uxores optare possit. II. Esse illicitam, quippe a Diis prohibitam, Æn. 7, 95. III. Esse perniciosam, si quidem ex quo, Turni causâ, Deorum voluntati obstitit, calamitatibus innumeris utraque gens oppressa est. IV. Si, inquit, te occiso socium Æneam excepturus sum : quidni potiùs te salvo? V. Objicit sibi odia Rutulorum ob periculum Turni : Turno ipsi sollicitudinem doloremque Dauni patris, belli varios eventus, etc. De *Latio* et *Laurento*, Æn. 57, 4, 63.

Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis : simul hæc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes Divique hominesque canebant.
Victus amore tuî, cognato sanguine victus,
Conjugis et mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi,
Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides : quantos primus patiare labores !
Bis magnâ victi pugnâ, vix urbe tuemur
Spes Italas : recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quò referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno extincto socios sum accire paratus,
Cur non incolumi potiùs certamina tollo?

tio et campis Laurentibus, nec ingloriæ *secundùm* genus. Permitte me omissis fraudibus exponere tibi ista non *quidem* grata dictu : et simul perpende ista animo. Non erat licitum me jungere filiam ulli antiquorum amatorum : et omnes Dii aque homines monebant illud. Expugnatus benevolentiâ erga te, expugnatus sanguine cognato, et fletibus tristis uxoris *meæ*, fregi omnes nexus, abstuli *eam* promissam Æneæ genero, suscepi bellum sceleratum. Cernis, o Turne, quæ calamitates, quæ bella me persequantur ab illo *tempore : cernis* quantas difficultates *tu* ipse patiaris. Bis superati magno prælio, vix defendimus *hac* urbe spem Italiæ : fluctus Tiberis calent adhuc nostro cruore, et vasti agri albescunt ossibus. Quò revertor toties? quæ stultitia vertit sententiam *meam?* si paratus sum advocare *Trojanos* ad societatem Turno occiso, cur non potiùs ex-

34. *Bis magnâ victi pugnâ.*) *Primâ* in exscensu navium, ubi occisus ab Æneâ Mezentius, fugatus Turnus, Æn. 10, 310. *Secundâ* equestri, ubi cecidit Camilla, Æn. 11, 597. De *Tiberi*, Æn. 8, 330. De *Rutulis*, Æn. 7, 794.

Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te (fors dicat refutet!)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias : miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longè
Dividit. Haud quaquam dictis violentia Turni
Flectitur : exsuperat magis, ægrescitque medendo.
Ut primùm fari potuit, sic institit ore :
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, lethumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextrâ
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longè illi Dea mater erit quæ nube fugacem
Fœmineâ tegat, et vanis sese occulat umbris.
At regina, novâ pugnæ conterrita sorte

tinguo bella *eo* salvo? Quid Rutuli *mihi* conjuncti, quid reliqua Italia dicet? si exposuerim morti te petentem filiam meam et nostram affinitatem (fortuna refellat *hæc* mea verba!). Considera res mutabiles bello : miseresce patris senioris, quem *jam* tristem Ardea patria *tua* procul separat *a nobis*. Ferocia Turni nullo modo mitigatur *his* verbis : invalescit potiùs, et asperatur remedio. Cùm primùm potuit loqui, sic institit ore : obsecro, bone *pater*, depone pro me hanc sollicitudinem, quam habes, et permittas me eligere mortem propter gloriam. Nos etiam, o pater, libramus manu jacula et ferrum non inutile, et sanguis exit e plaga *quam* nos *facimus*. Procul aberit ab eo mater Dea : quæ muliebri nebulâ protegat *eum* fugientem, et *ipsa* se abscondat inani caligine. Sed regina tremefacta novâ conditione pugnæ lugebat, et retinebat ge-

43. *Parentis longævi.*) *Dauni*, Æn. 7, 56. *Ardea*, urbs Rutulorum regia, Æn. 7, 410.

46. *Medendo.*) Dum ei medicina quæritur a Latino : gerundia enim ejusmodi sæpe passivam habent vim, Ecl. 8, 71 : *Cantando rumpitur anguis.*

49. *Pacisci.*) Quasi optione gloriosæ mortis aut vitæ propositâ, mortem consulto et veluti ex pacto eligere.

52. *Dea mater*, etc.) *Venus*, quæ a Diomedis impe-

Flebat, et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ: decus imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit.
Unum oro, desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus;
Et me, Turne, manent: simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris,
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur; vel mixta rubent ubi lilia multâ
Alba rosâ: tales virgo dabat ore colores.

nerum iratum *ipsa* moritura: Turne, ego *peto unam rem*, per hos fletus, per gloriam Amatæ, si aliqua movet animum tuum: tu jam *es* unica spes senectutis *meæ*: tu *es* requies miseræ: regnum et gloria Latini *est* in tua potestate: familia omnis *jam* labefactata innititur tibi. Peto *rem* unam; omitte conserere manum *cum* Trojanis. Quicumque casus tibi destinati sunt *in* hac pugna, ii destinati sunt etiam mihi, o Turne: statim abjiciam hanc lucem odiosam, nec aspiciam captiva Æneam generum. Lavinia rigata lacrymis *secundùm* genas ardentes audivit verba matris; huic ignis multus suffecit ruborem, et sparsus est per vultum calefactum. Quemadmodum si aliquis tinxerat ebur Indicum purpurâ rubicundâ; aut quando lilia candida rubescunt, mixta rosis multis. Puella exhibebat vultu tales colores. Amor agitat Turnum, et figit oculos in puellâ.

tu Æneam objectâ nube defendit, Æn. 10, 81.

56. *Turne, per has*, etc.) Oratio Amatæ ad Turnum, Veniliæ sororis suæ filium: non quidem ut eum ad pacem inflectat, abhorrebat enim ab Æneæ societate; sed ut avertat a singulari certamine, et iterum communi bello res tota committatur.

67. *Indum.*) Ebur e dentibus elephantorum, qui frequentes in India, Asiæ maximâ regione, Georg. 1, 57: *India mittit ebur*. De *ostro*, purpurâ ex ostreo expressâ, Georg. 2, 506.

Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam :
Ne, quæso, ne me lacrymis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater : neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer : cùm primùm crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos ; Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm ; nostro dirimatur sanguine bellum ;
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes :

Hinc magis accenditur ad pugnam : et alloquitur Amatam paucis *verbis :* O mater, ne, obsecro, ne prosequaris fletu et augurio tam *funesto* me descendentem ad prælium asperi Martis ; non enim est *in* Turno potestas retardandæ mortis. O Idmon, fer nuntius regi Trojano hæc mea verba, non *ei* placitura : quando crastina Aurora invecta rubro curru primùm rubebit *in* cœlo ; *tunc* non ducat Trojanos contra Rutulos : cessent bella Trojanorum et Rutulorum : bellum terminetur nostro sanguine : Lavinia petatur uxor in illo campo. Postquàm protulit hæc verba, et celer abiit in domum *suam*, petit equos, et lætatur videns *eos* frementes in conspectu *suo* : quos Orisolubilibus. De *tyranno*, pro rege, bonam in partem, Æn. 7, 266. De *Phrygia*, ubi Troas, Æn. 1, 385.

77. *Puniceis*, etc.) Vellicatur hic versus a criticis, ob frequentem collisionem literæ *r*, et syllabarum affinium. De colore *puniceo*, rubro, Ecl. 5, 17. De *Aurora ejusque curru*, Georg. 1, 249; Æn. 6, 535.

74. *Neque enim Turno mora libera mortis.*) Sensus ex superioribus aptus est. Ne putes me cessurum lacrymis, et posse revocari funesto illo doloris vestri omine. Si enim sum moriturus, ne sic quidem pugnam subterfugio ; non enim mortalium ulli liberum est mortem retardare, cùm dies fatalis imminet. Hunc locum Servius recenset in duodecim Virgilii in-

Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco

thyia ipsa dedit Pilumno ornamentum; qui superarent nivem candore, ventos celeritate. Aurigæ festini circumsistunt, et palpant cavis manibus pectora *equorum* plausa, et pectunt colla crinita. Deinde ipse induit humeris loricam asperam auro et candido orichalco : simul accommo-

83. *Pilumno... Orithyia.*) *Pilumnus*, abavus Turni, *Æn.* 10, 76. *Orithyia*, Erechthei Athenarum regis filia, rapta in Thraciam a Borea, Georg. 4, 463. Quæritur quomodo Pilumno Italo nota esse potuerit Orithyia, puella Attica in Thraciam translata. Respondet Turnebus, Pilumnum et Orithyiam hominum opinione Deos esse habitos, atque ita alterum alteri notum esse potuisse : poetam verò Orithyiam adhibuisse potiùs, quàm aliud quodvis numen, quia Thraciâ semper equis nobilis fuit. Sic Turni equus Thracius est, Æn. 9, 49; Rhesi equi, Thracii, Æn. 1, 473; Diomedis equi, Thracii, Æn. 1, 756. Porro versus hic spondaicus est : nam *Orithyia*, Ὀρείθυια, vox est quatuor syllabarum, quarum mediæ duæ diphthongi sunt, ει et υι.

87. *Alboque orichalco.*) Græcè ὀρείχαλκος, ab ὄρος, *mons*, et χαλκὸς, *æs* : estque *æs montanum* : non fulvum, ut æs vulgare; sed in album deflectens : Lusitanicè dicimus *latão*. Ita Scaliger ad Festum, Vossius in Etym. Latini syllabam secundam, quæ longa est, et naturâ suâ, et apud Callimachum in lavacro Palladis, v. 19, brevem fecerunt; ut Virgilius hìc, et Horatius, A. P. v. 23 : *Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque emula.* Cùm autem aliquando commutabiles apud Latinos fuerint literæ *o* et *au* : quemadmodum *explodo* est a *plaudo*; quemadmodum scripsêre veteres *olla* et *aula*, *caudex* et *codex*, etc., sic reperimus apud Plautum *aurichalcum* pro *orichalco*. Unde grammatici aliquot imperitè metallum esse putaverunt ex *auro* et *ære* mixtum : cujusmodi nullum esse constat. Id verò, quale nunc habemus, non e terra natum, sed arte factum est : testaturque Plinius, 34, 2, suo tempore jamdudum desiisse, effœtâ tellure.

Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clypeumque, et rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, et Stygiâ candentem tinxerat undâ.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,

dat *ut* gestentur, et gladium, et clypeum, et eminentias cristæ rubicundæ: gladium, *inquam*, quem ipse Deus præses ignis fabricaverat Dauno patri *Turni*, et merserat ferventem aquis Stygiis. Deinde sumit *cum* robore hastam validam, quæ stabat in media domo admota magnæ columnæ, spolium Actoris Aurunci: et commovet *eam* trementem, inclamans: Nunc, o hasta quæ nunquam fefellisti me vocantem, nunc adest tempus: *olim* te maximus Actor, nunc dextra Turni te gestat: da *ut* prosternam

88. *Habendo.*) Gerundium passivæ facultatis, suprà v. 46.

89. *Cornua cristæ.*) Non vera *cornua*, qualia Pyrrhus galeæ ad terrorem hircina addebat, ex Plutarcho; sed cristam geminam e jubis equinis, aut plumis, e galeæ vertice hinc inde eminentem cornuum instar, Æn. 6, 779: *Geminæ stant vertice cristæ.*

90. *Ignipotens Deus*, etc.) *Vulcanus* arma Æneæ fabricavit, Æn. 8, 370; nec Turno quoque deesse ejus artem voluit poeta, ad augendam heroum suorum dignitatem. De *Vulcano*, ibid., et Georg. 1, 295. De *Dauno*, Æn. 7, 56.

91. *Stygiâ candentem*, etc.) *Candens*, ex Gellio est aliquando *albicans*, aliquando *fervens*: quæ enim incalescunt, ex nimio fervore quandoque albicant. *Aquâ tinxerat* ensem Vulcanus: sic enim chalybs immersione temperatur. *Aquâ Stygiâ*, ad quamdam veluti magicam consecrationem, quemadmodum innuit Donatus. Aquæ enim infernæ in magicis sacris expetebantur, Æn. 4, 512. Ego verò suspicor id factum a Vulcano, ut ensem illum frangi non posse probaret. *Stygis* enim Arcadiæ fontis, qui inde a poetis ad inferos traductus est, ea vis erat, ut vasa cujuslibet metalli diffringeret, nec possent ejus aquæ, nisi equi ungulâ, contineri, Æn. 6, 323.

94. *Actoris Aurunci spo-*

Loricamque manu validâ lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt : oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsâ ad pugnam proludit arenâ.
Nec minùs interea maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, et se suscitat irâ,

corpus, et *ut* disrumpam forti manu loricam direptam Phrygis effæminati, et *ut* inficiam pulvere capillos *ejus* crispatos ferro calido et fluentes myrrhâ. Abripitur hoc furore, et scintillæ erumpunt e toto vultu furentis; ignis fulget vividis oculis. Quemadmodum quando taurus emittit mugitus terribiles ad præludium pugnæ, et obluctans *in* truncum arboris conatur irasci adversùs cornua, et provocat ventos ictibus, et parat se ad pugnam, disjectis arenis. Interea Æneas terribilis sub armatura materna non minùs

lium.) Duci alicujus Auruncorum, cui Turnus eam bello detraxerat. De *Auruncis* Italiæ populis, inter Volscos et Campanos, Æn. 7, 54.

99. *Semiviri Phrygis*, etc.) Cur id nominis Phrygibus, et Æneæ tribuatur, jam dictum, Æn. 4, 215, ubi de capillis unguento delibutis. De *Phrygia*, in qua Troas, Æn. 1, 385.

100. *Vibratos*, etc.) *Calamistro crispatos.* Fuit autem *calamistrum*, acus ferrea longior, aliquando fistulæ instar cava : quæ calefacta sub cinere, et capillis adhibita, eos intorquebat : a similitudine cum *calamo* seu arundine, nomen habuit. Hujus artis ministri, *ciniflones* et *cinerarii* vocabantur, quod ad calefaciendum calamistrum flarent in cineres.

Myrrhâque madentes.) *Myrrha*, arbuscula est, in Arabia præsertim nascens : altitudo ejus ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro et intorto, cortice levi, folio olivæ ferè simili. Succus inde sponte exsudat certis temporibus, tum incisione exprimitur, dicitur que *stacte* vel *myrrha*, Plin. l. 12, 15. Condiendis cadaveribus, et imbuendis capillis, aliisque ejusmodi deliciis adhibebatur.

101. *Furiis.*) Furiosis motibus, quasi quibusdam furiis, Æn. 6, 572.

Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens; regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cùm primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.
Campum ad certamen, magnæ sub mœnibus urbis,
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos, et Dîs communibus aras
Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant

parat pugnam, et furore commovet se, lætus bellum dirimi proposito fœdere. Tùm consolatur socios et timorem Iuli solliciti, aperiens *ipsis* fata; jubetque viros reportare Latino certum responsum, et proponere conditiones pacis. Vix sequens dies nata illustrabat luce supremos montes, quando equi Solis erigunt se primùm e profundo mari, et emittunt lucem naribus patulis. Viri Rutuli et Trojani dimetientes parabant campum ad pugnam, juxta muros magnæ urbis; et in medio *campo* focos et aras e cespite Diis communibus: alii portabant aquam et ignem,

115. *Solis equi.*) Quatuor, de quibus, Æn. 5, 105. *Gurgite* pro *mari*, Æn. 1, 122.

118. *Focos... aras gramineas.*) Aras e cespite, seu terra cum herbis evulsa, in quibus ignis imponeretur *foveretur*que: atque ita *aræ* sunt ipsi *foci*.

Diis communibus.) *Communes Dii* multis modis sumuntur. I. Qui certam cœli zonam regionemque non habent; qualis Cybele mater Deorum; cùm certam habeant Jupiter, Juno, Mercurius, Venus, etc. II. Qui apud omnes homines colantur, ut Sol, Luna, Mars, etc. III. Huic ad rem melius, qui ab Rutulis, ac Trojanis ad pacem communiter et pariter invocandi erant. Ita ferè Servius.

119. *Fontemque ignemque.*) Servius: *Ad facienda fœdera, aqua et ignis adhibentur: unde contra, quos arcere volumus a nostro consortio, eis aquâ et igne interdicimus*, id est, *rebus quibus consortia copulantur*. Erat autem necessaria sacrificiis aqua, vel ad lustrandos adstantes, vel ad purgandum corpus ante sacrificium, vel ad alios victimarum usus. *Fontem* posuit pro *aqua*.

Velati lino, et verbenâ tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis : hinc Troius omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis :
Haud secus instructi ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet. Necnon mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori :
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas,

operti lino, et cincti verbenâ *circa* capita. Exercitus Italorum procedit, et agmina hastata effundunt se plenis portis : hinc totus exercitus Trojanus et Tyrrhenus exit *sub* armis variis : non aliter armati ferro, quàm si durum Martis certamen appellet *eos*. Ipsi etiam duces splendidi auro et purpurâ currunt inter media millia ; et Mnestheus proles Assaraci, et generosus Asylas, et Messapus agitator

120. *Velati lino*, etc.) Id quasi certum statuitur a Servio : *feciales*, qui sanciendis fœderibus ministri adhibebantur, nunquam lineam tulisse vestem. Unde triplex opinio de hac Virgilii voce. I. Servius ait, fœdus illud irritum fore : Virgilium verò, quoties rebus exitum daturus non est, toties iis infirma et inauspicata dare principia. Sic Æneas in Thracia condens urbem, taurum Jovi contra ritum sacrificat, Æn. 3, 21. II. Passeratius et Scaliger explicant *linum*, non de veste, sed de filo sive licio, quo flamines et alii caput per æstatem cingebant, et ut Varronis ac Livii verbis utar, *velabant* : unde *flamines*, quasi *filamines* vocabantur, Æn. 8, 664. III. Niger et Hyginus apud Servium legunt : *velati limo* : et explicant *limum*, vestem ab umbilico ad pedes, cujus in extrema ora erat purpura *lima*, id est, flexuosa. Sed vestis illa poparum erat, sive infimorum sacrificii ministrorum. Quare adhæreo secundæ opinioni.

Verbenâ.) Propriè certa est herbæ species, *vervena* : communiter tamen sumebatur pro qualibet herba vel fronde, laureâ, myrteâ, etc. e sacro loco evulsâ, Ecl. 8, 65.

121. *Legio Ausonidum*, *pilata*, etc.) *Legio*, pars exercitûs certo numero definita : hic pro *toto exercitu*, Georg. 2, 279. *Pilata*, armata pilis, hastilibus, Æn. 7, 664.

123. *Tyrrhenus.*) Sub Tarchonte, socio Æneæ, Æn. 8, 479; Æn. 2, 781.

127. *Genus Assaraci Mnestheus*, etc.) Igitur sanguine junctus Æneæ, qui ab Assaraco genus ducebat, Æn. 1, 288. De *Asyla*, Æn. 11, 620. De *Messapo*, Æn. 7, 691.

Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes, turres et tecta domorum
Obsedêre : alii portis sublimibus adstant.
At Juno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum spectabat, et ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplò Turni sic est effata sororem,
Diva Deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet : hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter ereptâ pro virginitate sacravit.

equorum, soboles Neptuni. Et postquàm unusquisque recessit in suum locum signo indicto, figunt hastas humi, et deponunt clypeos. Tunc cupiditate *videndi* egressæ matres, et plebs sine armis, et senes infirmi, impleverunt turres et tecta domorum : alii stant in altis portis. At Juno aspiciens ex alto colle, qui nunc vocatur Albanus (tunc nec nomen, nec honor aut fama erat *huic* colli) videbat campum, et geminum exercitum Laurentinorum et Trojanorum, et urbem Latini. Statim Dea sic allocuta est Deam sororem Turni, quæ præest stagnis et fluviis strepentibus : Jupiter rex summus cœli addixit illi hunc honorem ob vir-

134. *Albanus*, etc.) De hoc monte, Æn. 8, 48. Æn. 9, 387.

139. *Diva Deam.*) Dicunt grammatici, *Deos* fuisse æternos, *Divos*, ex hominibus assumptos. Tamen Virgilius nomen utrumque confundit : Æn. 1, 486. Pallas vocatur *Diva*.

Stagnis quæ, etc.) *Juturna*, soror Turni, *Nais* ab Ovidio vocatur, Fast. 2, 585, id est Nympha aquatilis. Hunc ei honorem a Jove in præmium ereptæ pudicitiæ concessum ait Virgilius, Ovidius etiam ante amores Jovis ei attribuit. Fons ejus et lacus ex Albani montis racidibus in Tiberim influit, celebri apud veteres aquarum salubritate : vocant hodie nonnulli *Lago de Turno;* alii, *de Vulturno* : cùm esset priùs *lago de Juturna*, inquit Cluverius.

Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim; cœlique libens in parte locârim.
Disce tuum (ne me incuses) Juturna dolorem.
Quà visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis;
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge, decet: forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, cùm lacrymas oculis Juturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.

ginitatem *ei* ablatam: Nympha, ornamentum amnium, dilectissima meo animo, nosti quomodo prætulerim te solam omnibus Latinis, quæcumque ascenderunt ingratum lectum summi Jovis; et *quomodo* sponte constituerim te participem cœli. O Juturna, ne accuses me, accipe *causam* luctûs tui. Quatenus fortuna visa est *id* tolerare, et Parcæ permittebant res Latii procedere, defendi Turnum et urbem tuam. Nunc cognosco juvenem certare fatis inæqualibus; et dies appropinquat Parcarum et potestas adversa. Non possum videre oculis hoc certamen, et fœdera. Tu si audes aliquid utilius pro fratre tuo, perfice *illud*, decet; fortasse meliora succedent miseris. Vix ea *dicta fuerant*, cùm Juturna fudit oculis lacrymas, et verberavit manu

144. *Jovis ingratum cubile.*) Commutatio pro *Cubile Jovis ingrati*, et in servando conjugio parùm fidi. *Locârim.* Locari a Jove passa sum.

147. *Parcæ.*) Tres, quæ pro fatis hic usurpantur, Ecl. 4, 47.

152. *Si quid præsentius audes*, etc.) Non quòd Nympham se Deûm Reginâ potentiorem putet; sed quòd faciliorem fore apud Jovem putet sororis excusationem, si soror pro fratre moram injicere fatis audeat.

Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno :
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti :
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus,
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen : bigis it Turnus in albis,

pectus decorum ter ac quater. Juno filia Saturni inquit : Non est hoc tempus ad lacrymas : propera, subtrahe fratrem morti, si est aliqua ratio : vel tu excita bellum, et dissipa fœdus inceptum, ego *sum tibi* auctor ut *id* audeas. Sic exhortata reliquit *eam* dubiam et turbatam tristi sollicitudine animi. Interim reges *vehuntur* : Latinus magno apparatu, curru *a* quatuor equis *tracto*, cui duodecim radii aurati circumeunt caput rutilum, ornamentum Solis avi.

161. *Interea reges*, etc.) Adumbrata hæc pompa fœderis ad Homeri exemplum. Il. 3, ubi Agamemnon et Priamus, de pugna singulari Paridis in Menelaum facto fœdere conveniunt. Hic sententia longiori parenthesi suspensa est, per novem nempe versus : *interea reges.... procedunt castris*. Potest tamen et absque parenthesi intelligi, si dicatur poeta a plurali numero ad singularem statim deflexisse, pro : *Interea reges vehuntur : Latinus quidem curru quadrijugo*, etc.

164. *Solis avi*, etc.) Dixit Virgilius, Æn. 7, 47, Latini patrem fuisse *Faunum*; matrem, *Maricam* Nympham; avum, *Picum*. Quomodo ergo *Sol* esse potuit *avus* Latini? I. Hesiodus Latinum facit filium *Circes* et Ulyssis, in Theogon. v. 1013. Circe autem filia fuit Solis, Æn. 3, 386; Æn. 7, 10. At huic apertè adversatur Virgilius in Latini stemmate, Æn. 7, 47. II. Arnobius ait *Maricam* illam Nympham Latini matrem, ipsam esse Italo nomine *Circen*. At eo ipso libri septimi initio Virgilius apertè Circen a Marica distinguit : cùm vocat Maricam, *Laurentem* Nympham; Circen autem *Ææam*, id est, Colchicam. III. Ego existimo *Circen*, conjugis loco habitam a *Pico*; eamque ex eo *Faunum* suscepisse; ipsumque deinde Picum in avem mutâsse, quòd ad amorem legitimæ conjugis *Canentis* se referret. Et verò Circe vocatur Pici *conjux*, Æn. 7, 189, quod ta-

Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo et cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ.
Procedunt castris; purâque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina Solem,
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro

Turnus vehitur binis equis candidis, librans manu duo jacula latâ cuspide. Inde pater Æneas, caput gentis Romanæ, resplendens clypeo cœlesti et armis divinis; et Ascanius adstat comes, secunda spes magnæ Romæ. Exeunt e castris; et sacerdos in veste candida adducit fœtum porcæ setosæ et ovem intonsam et statuit victimas ad aras accensas. Illi conversi oculis ad Solem orientem, spargunt manibus frumentum salsum, et signant gladio summa carmen videtur ab Ovidii narratione paulum discedere, quam ibidem attulimus.

165. *Bina hastilia.*) *Pila*, qualia duo simul ferre deinde soliti sunt milites Romani, Æn. 7, 664. *Crispans*: quatiendo quasi sinuans et flectens.

167. *Sidereo clypeo.*) Vel siderum instar fulgente: vel quem in cœlo Venus a Vulcano petierat: vel quem Deus ipse Vulcanus in Hiera insula fabricaverat, Æn. 8, 370.

168. *Spes altera Romæ.*) Æneas enim prima, Ascanius secunda. Quod aiunt, Ciceronem quoddam e Virgilii carminibus audientem, has in voces erupisse, falsum ostendimus in argumento Ecl. 6.

166. *Purâ in veste.*) Donatus: *Colore albo, nec purpuræ variatâ picturis*, Festus: *non fulguritâ; non funestâ*, id est, quæ funeri adhibita non fuisset. Alii communiter, *carente maculis.*

170. *Setigeræ suis*, etc.) *Ovis* pro Ænea adhibetur, Græco ferè more. Nam Græci apud Homerum, Iliad. 3, 103, agnos ad fœdus statuunt. *Porcus*, pro Latino, more Romano aut Italo, de quo more, Æn. 8, 641. De *ovibus bidentibus*, Æn. 4, 57. De *conversione ad orientem* in auspiciis et sacris rebus, Ecl. 9, 15.

173. *Fruges salsas*, etc.) I. *Molam*, ex purissimo frumento, *salso*, tosto, ac molito, victimarum capiti imponunt, quæ propriè est *immolatio*, Æn. 2, 133. II. Pilos e capite victimarum secant, Æn. 6, 243, in notis. III. Vina invergunt in

Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur :
Esto nunc Sol testis et hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores :
Et pater omnipotens, et tu, Saturnia Juno,
Jam melior, jam Diva, precor : tuque, inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques :
Fontesque Fluviosque voco, quæque ætheris alti
Religio, et quæ cœruleo sunt Numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad urbem :
Cedet Iulus agris : nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,

pita victimarum, et effundunt pateras in aras. Tum pius Æneas nudato gladio sic orat : Esto nunc testis mihi oranti, o Sol, et hæc terra pro qua potui tolerare tot labores, et *tu*, o Pater omnipotens, et tu, o Juno Saturni filia, jam o Diva, jam *mihi* mitior, *ut* oro : et tu, o gloriose Mars, qui pater tenes omnia bella sub tua potestate : et Fontes et Fluvios *invoco*, et quæcumque est divinitas in alto aere, et quicumque sunt Dii sub mari cœruleo. Si fortè victoria iverit ad Turnum Italum ; æquum est *nos* victos abire in urbem Evandri : Iulus abibit *ex his* campis : nec Æneadæ rebelles inferent deinceps *vobis* bellum ullum, aut provocabunt armis hæc regna. Si verò victoria concesserit nobis Martem propitium (ut potiùs spero,

frontem victimarum, et in ipsa altaria : quæ *libatio* erat, ibid. et Æn. 1, 740. Atque illi primi erant sacrificii apparatus.

176. *Esto nunc Sol testis*, etc.) *Sol*, *Terra*, *Jupiter*, *Juno*, *Mars*, etc. Communes illi sunt utriusque gentis Dii, de quibus, v. 118.

183. *Ausonio Turno.*) Italo, Æn. 7, 54.

184. *Evandri ad urbem.*) Pallanteum, Æn. 8, 51.

185. *Cedet Iulus.*) Ut ostendat, se non tam sibi, quàm posteris suis et genti, sedem quærere.

187. *Nostrum Martem.*) Faventem. Infrà, v. 540. *Nec Dî texêre Cupentum Ænea veniente, sui.*

(Ut potiùs reor, et potiùs Dî numine firment.)
Non ego, nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto,
Imperium solemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deûm infernam; et diri sacraria Ditis.
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.

et potiùs Dii confirment spem *meam* auctoritate suâ): ego neque cogam Italos obtemperare Trojanis, neque arrogo mihi imperium: ambæ nationes indomitæ jungent se legibus æquâlibus in fœdus perpetuum. *Ego* distribuam religiones et Deos: socer Latinus curet bella, socer supremum imperium: Trojani extruent mihi urbem, et Lavinia imponet nomen urbi. Æneas sic *dixit* primus: Latinus deinde sic sequitur aspiciens in cœlum, et erigit dextram ad astra: o Ænea, juro hæc eadem sidera, mare, terram, et geminam prolem Latonæ, et Janum bifrontem, et potestatem infernam Deorum, et penetralia sævi Plutonis. Audiat hæc pater *ille*, qui firmat fulmine fœdera.

198. *Latonæque genus duplex.*) *Apollinem*, Solem; et *Dianam*, Lunam, Latonâ ex Jove editos, in insula Delo, Ecl. 3, 67. Æn. 3, 74, 77.

Janumque bifrontem.) Italorum regem ac numen, fœderibus adhiberi solitum, Æn. 6, 607, 610.

199. *Vim Deûm infernam*, pro *Diis ipsis infernis*: ut Æn. 4, 132. *Odora canum vis*, pro *ipsis canibus*.

Sacraria Ditis.) *Dis*, Pluto est, Georg. 4, 467. *Sacrarium*, sanctuarium, locus templi intimus, ubi præcipua numinis religio: hic regia est Plutonis, de qua, Æn. 6, 630. Quidam hanc infernam regiam, *sacram* dici putant quasi *execrabilem*, ut Æn. 3, 57: *Auri sacra fames*.

200. *Fœdera fulmine sancit.*) Quia per coruscationes fulminum fœdera confirmantur: ita Servius. Vel quia Jupiter ultor est violati fœderis, perculsis fulmine fœdifragis. ita Turnebus. Un-

Tango aras, mediosque ignes, et numina testor :
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent : nec me vis ulla volentem
Avertet : non, si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens ; cœlumve in Tartara solvat :
Ut sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras :
Cùm semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro,

Tango aras, et ignes in medio *earum*, et attestor Deos ; nulla dies auferet Italis hanc pacem, neque *hæc* fœdera, quomodocumque res succedant : nec ulla potentia abducet me *ab iis* volentem : non, etiamsi *illa potentia* dissolvat terram in aquas confundens *eam* diluvio, aut dejiciat cœlum in inferos. Quemadmodum hoc sceptrum (nam fortè tenebat *manu* dextrâ sceptrum) nunquam emittet ramulos nec umbracula levibus foliis : ex quo primùm in sylvis abscissum ex infimo trunco separatur a matre, et ferro amisit

de fecialis porcam feriens in solemni fœderum formula sic precabatur Jovem : *Illis legibus populus non deficiet. Si prior defecerit, publico consilio, dolo malo ; tu illo die Jupiter populum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam ; tantòque magis ferito, quantò magis potes pollesque.* Ita Livius, l. 2.

201. *Tango aras.*) Mos jurantium, supplicantium, sacrificantium, ut aras et simulacra et res sacras manu contingant : qui mos ad nos etiam transiit, ut jurantes sacris libris manum imponamus, Æn. 4, 219.

204. *Tellurem effundat in undas.*) Cùm ferè undecumque mare terram ambiat, interpretor de terræ compage in undas dissolvenda. De *Tartaro*, profundissimo inferorum loco, Æn. 6, 134.

206. *Ut sceptrum hoc*, etc.) Apta est e superioribus sententia : *nec me vis ulla volentem avertet.... ut sceptrum hoc nunquam fundet virgulta*, etc. Petita est illa comparatio ex Homero totidem ferè verbis, Illiad. 1, 234. Et quanquam solemne fuit regum jusjurandum sceptri sublatio, ut monet Aristoteles, Polit. 3, ab illa tamen nimis curiosa sceptri descriptione abstinere potuit debuitque Virgilius.

209. *Matre caret.*) Vel terrâ : nam, *non jam mater alit tellus*, Æn. 11, 71. Vel arbore : nam, *parva sub ingenti matris se subjicit umbra*, Georg. 2, 19.

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum: tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At verò Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu:
Tum magis, ut propiùs cernunt non viribus æquis.
Adjuvat incessu tacito progressus, et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ; et juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti,
(Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ

frondes et ramulos: quondam arbor, nunc manus fabri cinxit *illam* ære pulchro, et dedit portandam regibus Latinis. Talibus verbis confirmabant fœdera inter se, in medio conspectu principum: tum *juxta* morem sacras victimas occidunt in ignem, et extrahunt viscera *ex iisdem adhuc* spirantibus, *et* tegunt altaria lancibus plenis. At verò *cœpit* certamen illud jampridem videri Rutulis inæquale, et animi turbari vario motu: et tunc magis, cùm propiùs vident *duces* non *esse* pari robore. Auget *hanc opinionem* Turnus, progressus gradu tacito, et suppliciter dejectis oculis venerans aram, et malæ *ejus* liventes, et pallor in corpore juvenili. Juturna soror *ejus* statim atque vidit hunc sermonem invalescere, et animos plebis mobiles dissentire, per medium exercitum, similis specie Camerti (cui origo erat illustris a majoribus, et splendida fama paternæ for-

213. *Rite sacratas.*) Immolatione, sectione pilorum, libatione: suprà, v. 178.

215. *Oneratis lancibus*, etc.) Vasis escariis: in quibus structa et cumulata victimarum exta. *Lanx* nomen habet a *latitudine*: sicut *patina*, a *pateo*. Vossius tamen inter lancem et patinam id ferè discriminis statuit: quod in *lance* carnes assæ, fructus, cibi simplices apponerentur; in patina cibi conditi, ut pisces, haberetque vulgò operculum.

Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis)
In medias dat sese acies haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur :
Non pudet, o Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numerone, ac viribus æqui
Non sumus? En omnes et Troes et Arcades hîc sunt,
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno :
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet famâ, vivusque per ora feretur :
Nos patriâ amissâ dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Jam magis atque magis : serpitque per agmina murmur,

titudinis, et ipse *erat* fortissimus bello) immittit se per medium exercitum, non ignara rerum, et spargit varios rumores, et dicit talia : Non pudet *vos*, o Rutuli, objicere vitam unius pro iis omnibus ? nonne sumus pares numero et robore ? ecce omnes et Trojani et Arcades adsunt hîc, et Etruria inimica Turno ; exercitus *ille* a fatis immissus : si secundus *quisque nostrûm* certet, vix unusquisque habebit hostem. Turnus quidem famâ ascendet ad Deos, quorum aris consecrat se, et immortalis curret per ora : nos amissâ patriâ cogemur obedire dominis ferocibus, qui nunc otiosi constitimus *in* campis. Tum consilium juvenum confirmatum est magis ac magis talibus verbis :

231. *Troades et Arcades*, etc.) Gentes in Turnum fœderatæ. Trojani Æneæ : Arcades Evandri. Etrusci Tarchontis, Æn. 8, 518.

232. *Fatalisque manus*, etc.) Vel quia Latinorum agros petebant quasi fatis sibi debitos : vel potiùs, cùm Virgilius id solis Etruscis attribuat, quia fato paratum sibi regem Æneam exspectaverant, Æn. 8, 494. Bene ait *infesta* Etruria Turno : erat enim aliqua pars Etruriæ Turno addicta, duce Messapo, Æn. 7, 691, 695.

233. *Vix hostem, alterni.*) Si secundus quisque nostrûm, si media pars nostrûm congrediatur ; vix *singuli* hostem habebimus : id est, duo et amplius unicuique objicimur.

Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini :
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant; nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum cœlo; quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthra,
Litoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri : subitò cùm lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexêre animos Itali : cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (mirabile visu!)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Factâ nube premunt : donec vi victus et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.

et rumor spargitur per turmas. Ipsi Laurentes et ipsi Latini mutati sunt : qui modò optabant sibi requiem et securitatem rebus *suis;* nunc spectant arma, et cupiunt fœdus non factum, et miserescunt duræ conditionis Turni. Juturna addit his *rebus* aliud majus; et præbet ex alto cœlo ostentum, quo nullum opportunius turbavit animos Italos et decepit prodigio. Scilicet avis fulva Jovis, volans in aere rubicundo, persequebatur aves marinas et multitudinem strepitantem alatæ turbæ: cùm repentè ruens ad aquas, avida comprehendit pedibus aduncis cycnum eximium. Itali sustulerunt animos: et aves omnes (*res* mirabilis aspectu!) cum sonitu convertuntur e fuga, et inumbrant alis aerem, et *velut* nube coactâ urgent hostem per aerem: donec cessit avis, victa *earum* vi et ipso pondere *cycni*, et dimisit prædam ex unguibus in flumen, et longè aufugit inter

246. *Monstro.*) Ostento : quod monstratur et ostenditur signa futurorum petentibus.

247. *Rubrâ Jovis ales in æthra.*) *Æthra, æthræ :* nomen primæ declinationis. Hic pro *aere* universim sumitur. De *Jovis alite*, aquila, Æn. 5, 255.

Tum verò augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus, primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi:
Accipio, agnoscoque Deos. Me, me duce ferrum
Corripite, o Rutuli, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves; et litora vestra
Vi populat: petet ille fugam; penitusque profundo
Vela dabit: vos unanimi densete catervas,
Et regem vobis pugnâ defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat; simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut fortè novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida creârat

nubes. Tunc autem Rutuli venerantur ostentum illud clamore, et explicant manus, et augur Tolumnius primus ait: Hoc erat, hoc quod sæpe petivi votis: admitto *omen* et agnosco Deos. Me, me auctore sumite ferrum, o Rutuli, quos iniquus advena terret bello, sicut imbecillas volucres, et per vim vastat litora vestra, ille arripiet fugam, et longè permittet vela mari: vos concordes colligite agmina, et prælio defendite regem vobis ereptum. *Sic* dixit, et irrumpens vibravit hastam in hostes oppositos: hasta cornea stridens emisit sonum, et certa dividit aerem: simul hoc *fit;* simul clamor magnus *oritur*, et omnes ordines perturbati *sunt*, et animi accensi tumultu. Cùm fortè novem formosa corpora fratrum starent adversùm, quos fi-

257. *Augurium*, etc.) Propriè, erat enim signum petitum ex *avibus*, Æn. 2, 703. Et scitè quidem Rutuli Æneam in aquila, Turnum in cycno, seipsos in avibus agnoscebant, sed falsum erat augurium, non a Deo fatorum administro, sed a Juturna immissum, ad disturbandum fœdùs et mortem Turni retardandam.

264. *Densete.*) Veteri more, pro *densate*, Æn. 10, 432.

267. *Cornus.*) Hasta ex arbore *corno*, *cerejeira brava*, aut *pilriteiro*. Georg. 2, 34.

269. *Cunei.*) Ordines pe-

Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo;
Horum unum ad medium, teritur quà sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet;
Egregium formâ juvenem et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvâque extendit arenâ.
At fratres, animosa phalanx accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt: quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursus inundant
Troes, Agyllinique, et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuêre aras: it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens infecto fœdere Divos.

delis uxor Tyrrhena una ediderat Gylippo Arcadi: hasta volans transfodit unum illorum circa medium *corpus per* costas, quà balteus consutus atteritur ventre, et *quà* fibula stringit juncturas laterum, et sternit *in* flavam arenam juvenem *illum insignem* pulchritudine. Sed fratres *ejus*, turba generosa et concitata dolore, partim educunt enses manibus, partim apprehendunt *tela* missilia ferrea, et irrumpunt *veluti* cæci: adversùs quos irruunt agmina Laurentinorum, deinde iterum effunduntur conferti Trojani, et Etrusci, et Arcades pictis armis. Sic idem amor dimicandi ferro occupat omnes. Spoliaverunt altaria: nubes confusa jaculorum spargitur toto aere, et pluvia ferrea imminet: jaciunt pocula et ignes. Ipse *rex* Latinus fugit, reportans Deos disjectos fœdere non perfecto. Alii alligant *equos*

ditum, sic dicti ab agminum figura: infrà, v. 575.

274. *Balteus et laterum juncturas*, etc.) *Fibula*, claviculus, extrema baltei connectens. *Latera* baltei intelligit, non corporis.

277. *Phalanx.*) Vox Macedonica, peditum agmen, Æn. 6, 489.

281. *Agyllini.*) Etrusci, Æneæ socii, ex urbe *Agyllina* sive *Carite*, nunc *Cerveteri*, Æn. 7, 652. Æn. 8, 479.

285. *Crateras*, etc.) Po-

Infrænant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo : ruit ille recedens,
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput, inque humeros : at fervidus advolat hastâ
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.

curribus, vel saltu imponunt corpora equis, et instant nudis ensibus. Messapus cupidus turbare fœdus proturbat equo objecto Aulesten, regem Etruscum, et ferentem ornamenta regis : ille recedens cadit, et infelix a tergo immiscetur aris aversis, per caput et humeros : at Messapus ardens accurrit *cum* hasta, et sublimis *ex* equo ferit *eum* graviter hastâ trabali multùm deprecantem, et sic loquitur : Habet hoc *vulnus :* hæc hostia convenientior oblata *est* magnis

cula, quibus vina fundebant, cruoremque victimarum, Græca vox κρατὴρ, Ecl. 6, 68. *Focos*, partes ararum gramineārum, ubi accensus ignis fuerat, suprà, v. 118.

287. *Infrænant currus.*) Equos frænatos currui alligant.

288. *Subjiciunt in equos.*) Superjiciunt : de vi præpositionis illius, Ecl. 1, 46. Ecl. 10, 74.

290. *Regem.... Tyrrhenum Aulesten.*) Unum e regibus Tyrrhenis, sive Lucumonibus : de quibus Æn. 10, 164, 166. Tales fuêre *Mezentius*, *Messapus*, ex Turni partibus, *Massicus*, *Osinius*, ex partibus Æneæ : ibid.

294. *Telo trabali.*) Magno instar *trabis.* Unde apud Statium *hasta trabalis;* apud Claudianum, *trabale sceptrum;* apud Horatium, *clavi trabales.*

296. *Hoc habet.*) Vel habet, simpliciter : explicatur a Servio, *percussus est lethali vulnere, habet vulnus lethale :* a Donato, *bene se res habet;* a Scaligero, *sic sic agendum est.* Servio assentior : quia vox est e gladiatoriis ludis repetita, ubi victor vulnerato a se adversario sic insultabat. Terentius in Andr. *Certè captus est, habet.* Seneca in Agamemn. et Hercule OEteo. *Habet, peractum est.*

Hæc melior victima.)

Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Chorinæus ab ara
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis : olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit : super ipse secutus
Cæsariem lævâ turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primâque acie per tela ruentem
Ense sequens nudo superimminet : ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reductâ
Disjicit, et sparso latè rigat arma cerebro.
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus : in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.

Diis. Itali accurrunt et nudant membra calida. Chorinæus arripit ex ara torrem semiustum, et occurrens intercipit flammis vultum Ebusi irruentis et inferentis vulnus: magna barba refulsit illi, et ustulata emisit nidorem : ipse *Chorinæus* incurrens desuper apprehendit *manu* sinistrâ comam turbati *hostis*, et obluctans imposito genu sternit eum humi : sic fodit latus duro gladio. Podalirius sequens ense stricto Alsum pastorem, et *in* primo agmine fugientem inter arma, instat *illi* : ille reductâ securi secat frontem mediam et mentum oppositi *hostis*, et lâtè tegit arma diffuso cerebro. Acerba quies et ferreus somnus premit illi oculos, oculi clauduntur in perpetuam noctem. Sed pius Æneas capite aperto proferebat dextram exarmatam, et inclamans

quàm ovis et porcellus, qui fœderum Diis oblati sunt, v. 170.

298. *Chorinæus.*) Sacerdos Trojanus, qui ex officio propius aræ adstabat, Æn. 6, 228. *Ambustum*, circumustum, Æn. 3, 357.

312. *Nudato capite*, etc.) Tam, ut hâc piâ confidentiâ ferociam Latinorum emolliret; quàm ut agnosceretur a suis, eisque voluntatem suam apertiùs significaret. Sic Julius Cæsar in acie Pharsalica nudâ manu et capite aperto suis inclamabat: *Parcite civibus :* apud Plutarchum et Appianum.

Quò ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O! cohibete iras: ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges: mihi jus concurrere soli:
Me sinite, atque auferte metus: ego fœdera faxo
Firma manu: Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum quâ pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, Deusne,
Attulerit; pressa est insignis gloria facti,
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus ut Æneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subitâ spe fervidus ardet:
Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas:
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho:

vocabat suos: Quò curritis? aut quænam hæc dissensio repentina oritur? o! reprimite furorem: fœdus jam percussum *est*, et omnes conditiones constitutæ: mihi soli fas *est* pugnare: permittite me *pugnare*, et pellite timores: ego faciam manu *ut* fœdera constantia *sint*: hæc sacrificia jam addicunt mihi Turnum. Inter has voces, inter hæc talia verba, ecce sagitta stridens appulsa est pennis *ad* Æneam: ignotum *est*, quâ manu missa *sit*, quo impetu pulsa; quis præbuerit Rutulis tantam gloriam, an sors, an Deus: fama illustris *hujus* facti suppressa est, nec ullus gloriatus est vulnere Æneæ. Turnus cùm vidit Æneam recedentem ab exercitu, et duces *ejus* turbatos; fervidus accenditur spe improvisâ: simul petit equos et arma, et confidens saltu erumpit in currum, et corripit habenas manibus. Currens dat morti plurima robusta corpora hominum: disjicit plu-

314. *Ictum jam fœdus.*) Cæsis jam victimis, v. 214. sacerdotum ferro non ictu lapidis, qui deinde mos Romanorum fuit; Æn. 8, 641.

316. *Faxo.*) *Fecero*, Æn. 11, 467.

317. *Turnum debent hæc mihi sacra.*) Ex quo verba fœderis concepimus ego et Latinus, ex eo Turnus mihi uni addictus est; unus *ego* cum eo congredi possum: abstinete ab eo, et mihi permittite.

Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos; illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum; circumque atræ Formidinis ora
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabilè cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtâque cruor calcatur arenâ.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque:
Hunc congressus, et hunc; illum eminus: eminus ambos

rimos semimortuos, aut sternit curru agmina, aut immittit fugientibus hastas abstractas *iisdem*. Qualis Mars *gaudens* sanguine, quando juxta fluenta *frigidi* Hebri efferatus sonat clypeo, et *suscitans* bella impellit equos furentes: illi patente campo currunt ante Austros et Zephyrum: ultima Thracia sonat pulsu pedum *equinorum;* et comites *illius* Dei, facies nigri Timoris, et Iræ et Insidiæ, circum rapiuntur. Talis Turnus gaudens impellit in medias pugnas equos fumantes sudore, insultans miserandè hostibus interfectis: rapidæ ungulæ spargunt guttas sanguineas, et sanguis mixtus pulvere calcatur. Et jam dedit morti Sthenelum, et Thamyrim, et Pholum: Thamyrim *quidem* et Pholum, aggressus cominus: Sthenelum *verò*

331. *Hebri*, etc.) Fluvii Thraciæ, hodie *Marisa*, Ecl. 10, 65. *Mavors*, Mars in Thracia natus, Ecl. 9, 12. *Equi Martis* duo juxta aliquos, sed malè, Pavor et Timor, Georg. 3, 91. *Notus*, Auster, ventus meridialis, Ecl. 2, 58. *Zephyrus*, ventus occidentalis, Ecl. 5, 5. *Thraca*, pro *Thracia*, quæ Græcè est Θράκη et Θρῄκη, Æn. 3, 14: *Increpat equos clypeo:* id est, collisos hastâ et clypeo. Vel *increpat*, verborum neutrorum more, absque casu, id est, *sonat.*

Imbracidas, Glaucum atque Ladem, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lyciâ, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte aliâ, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis

eminus: eminus duos filios Imbrasi, Glaucum et Ladem, quos ipse Imbrasus educaverat *in* Lycia, et instruxerat pariter *artibus* militaribus, sive conserere manum, sive præcurrere ventos equo. Aliâ parte Eumedes rapitur in media certamina, soboles veteris Dolonis, egregia *in* bello, repræsentans nomine avum, manu et fortitudine patrem: qui *pater*, ut olim iret explorator in castra Græcorum, ausus *erat* petere sibi equos Achillis *in* mercedem. *Sed* Diomedes donavit illum aliâ mercede pro talibus cœptis, nec

344. *Lyciâ.*) Asiæ minoris regio meridialis est, de qua, Æn. 4, 143.

347. *Proles bello præclara Dolonis.*) Ironicè: fuit enim Dolon bello ignavus, et hic Eumedes, ejus filius, satis ignominiosè occiditur. Ita Gerdanus: cujus opinionem firmant sequentia verba, quæ omnino ironiam sapiunt: *illum Tydides alio pro talibus ausis affecit pretio*: id est, *morte*. Iliad. 10, 299. Hector mercedem proponit ei, qui speculator ire voluerit ad Græcorum naves. Dolon Eumedis filius, vir dives, petit sibi promitti mercedis loco currum et equos Achillis: promisso confirmatus, ad Græcos abit. Incidit in Ulyssem ac Diomedem: quibus metu mortis fatetur se speculatorem esse, Rhesum Thraciæ regem venisse Trojanorum auxilio, ejus copias incustoditas et somno sepultas jacere in litore, sibi currum et equos Achillis ab Hectore promissos, se præmii magnitudine adductum hoc munus suscepisse. Occiditur a Diomede: qui cum Ulyssi clam ad Thracum castra subrepens, Rhesum interficit, et ejus equos Trojæ fatales abripit. De *Rheso* et *ejus equis*, Æn. 1, 473. De *Peleo*, Achillis patre, *Æn.* 2, 263. De *Tydeo*, Diomedis patre, *Æn.* 11, 243.

Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto,
Antè levi jaculo longum per inane secutus,
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit: et pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tinxit jugulo, atque hæc insuper addit;
En, agros, et quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens; hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, conjectâ cupside, mittit;
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque,
Et sternacis equi lapsum cervice Thymœtem.
Ac velut Edoni Boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,

amplius ille optat equos Achillis. Cùm Turnus vidit illum procul patente campo, priùs persecutus *ipsum* levi sagittâ per longum aerem, continuit equos *suos* binos, et exscendit e curru, atque incurrit lapso et semimortuo: et pede imposito *in* collum *ejus*, eripit ensem *ex ejus* dextera, et immersit splendentem profundo jugulo, et adjicit hæc super: Ecce, o vir Trojane, metire prostratus campos et Italiam quam appetisti bello: qui ausi *sunt* me lacessere ferro, reportant hæc præmia: sic struunt urbes. Mittit huic socium Buten, impacto jaculo, et Chlorea, et Sybarim, et Dareta, et Thersilochum, et Thymœtem lapsum e collo equi *frequenter* lapsantis. Et sicut, quando flatus Thracii Boreæ sonat *per* profundum *mare* Ægæum, et fluctus abeun

352. *Nec equis aspirat Achillis.*) Pergit poeta illudere Doloni: qui captus a Diomede, non amplius ad equos Achillis, sed ad vitam servandam aspirabat.

360. *Hesperiam*, etc.) Italiam, Æn. 1, 534.

364. *Sternacis equi cervice.*) Equo in anteriora genua prolapso, Thymœtes per ejus collum devolutus est. Ita Servius.

365. *Edoni Boreæ.*) Thracii: e Thracia septentrionali, in Græciam et mare Ægæum flantis. *Edoni*, Ἤδονοι, Stephano et Straboni, l. 10, gens est Thracia incerti situs: unde ibidem apud Strabo-

Quà venti incubuêre, fugam dant nubila cœlo ;
Sic Turno, quàcumque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies : fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem :
Objecit sese ad currum, et spumantia frænis
Ora citatorum dextrâ detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat :
Quem rota præcipitem et procursu concitus axis
Impulit, effuditque solo : Turnusque secutus,

ad litora ; *tunc* nubes fugiunt *per* aerem, quâ *parte* stant venti ; sic turmæ cedunt Turno, quàcumque aperit *sibi* iter, et acies fugatæ rumpuntur : impetus provehit ipsum, et ventus adversus currui commovet cristam volantem. Phegeus non passus est *illum* imminentem *sibi* et furentem animo. Opposuit se ad currum, et *manu* dextrâ detorsit capita concitatorum equorum, spumantia *ob* frænum. Dum ipse rapitur, et inhæret jugo, hunc lata *Turni* lancea consequitur detectum, et impacta penetrat loricam duplicem, et stringit vulnere superficiem corporis. Tamen ille oppositus ibat objecto clypeo contra hostem, et educto gladio vocabat auxilium : *cùm* rota et axis cursu concitatus impulit eum et stravit humi : et Turnus insecutus *eum* in-

nem, *Lycurgus* Thraciæ rex, *Ædonus*, appellatur. Hinc dixit Statius *Ædonas hyemes*. De *Borea*, Æn. 7, 61. De *Ægæo* mari, Græciam a minore Asia separante, Æn. 3, 74.

367. *Fugam dant nubila.*) Ventus enim septentrionalis fugat nubes ; meridialis colligit.

375. *Lancea.*) Hasta : vox non Latina, sed Hispanica est, ex Varrone apud Gellium : Gallica, ex Diodoro Siculo.

Bilicem.) Bino textu ; vel licio, sive filo, Æn. 3, 467.

Imam inter galeam summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenâ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus;
Interea Ænean Mnestheus, et fidus Achates,
Ascaniusque comes, castris statuêre cruentum,
Alternos longâ nitentem cuspide gressus.
Sævit, et infractâ luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo,

ter infimam *oram* cassidis, et extremitates summæ loricæ, abscidit caput gladio, et reliquit truncum in pulvere. At verò dum Turnus edit strages *in* campis; interim Mnestheus, et fidelis Achates, et comes Ascanius, deposuerunt *in* castris Æneam sanguinolentum, firmantem longâ hastâ passus alternatim. Furit, et conatur abstrahere *cuspidem* teli fracto telo; et petit modum auxilii, qui celerrimus *sit*: *ut* secent plagam lato gladio, et intimè aperiant latebram teli, et remittant se ad pugnam. Et jam aderat Iapis filius Iasi, carus præ ceteris Apollini: cui ipse Apollo, percitus magno amore, offerebat olim lætus suas artes, sua munera, vaticinium, et musicam, et ve-

391. *Iapis.*) Legunt aliqui *Iapix*, sed hic ventus est, de quo, Æn. 8, 710. Qui duo ut distinguantur, tum diversa habent recti casus elementa, tum diversam obliquorum flexionem: flectit enim venti nomen Virgilius *Iapyx*, *Iapygis:* medici nomen Donatus apud Pierium, *Iapis*, *Iapicis;* Turnebus tamen, *Iapis*, *Iapidis;* ex Ausonio, Epigr. 19, 7: *Idmona quod valem, medicum quod Iapida dicunt.*

393. *Suas artes.*) Apollinis artes fuerunt I. *Vaticinia*, quorum variæ species habentur, Æn. 5, 359; Æn. 10, 176. II. *Musica*, unde cum lyra pingitur, et poetarum Deus est, Ecl. 4, 55. III. *Peritia jaculandi*, unde ipsi tribuitur pharetra, et ab Homero sæpe dicitur ἑκατηβόλος, *longè jaculans*, Æn. 6, 657. IV. *Medicina*, quam artem Æsculapio filio tradidisse dicitur, Æn. 7, 773.

Augurium citharamque dabat, celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno juvenum et mœrentis Iuli
Concursu lacrymisque immobilis. Ille retorto

loces sagittas. Ille, ut retardaret mortem desperati patris, maluit cognoscere vires herbarum et usum medicinæ, et exercere inglorius artem *illam* tacitam. Æneas stabat, acerbè fremens, innixus magnæ hastæ, magno juvenum et Ascanii dolentis concursu et fletibus immotus. Ille senex

395. *Depositi.*) *Desperati.* Deducta locutio e duplici more. Alterius meminit Servius, Isidorus, etc. ex Plutarcho, qui ait veteres solitos in publicum ægrotos proponere, quod *deponere* est: ut si quis prætereuntium, aut simili morbo fuisset ipse agitatus, aut quicquam remedii nosset, id ægro significaret. Alterius jam mentionem fecimus, Æn. 9, 486, ubi diximus, solitos veteres ad januam domûs cadavera deponere, ut etiam nunc apud nos in usu est. Et generatim *positus*, est *jacens*, *mortuus*, ut diximus, Æn. 2, 644; ait enim Ovid., Heroid. 10, 124: *Nec positos artus unget amica manus:* id est, *jacentes:* neque enim ad januam domûs, sed in ipsa domo ungebantur. Eodem quo nunc utitur verbo Virgilius, usus est et Ovidius de ponto, l. 2, 2, 45: *Jam prope depositus, certè jam frigidus æger*, etc. Cic. 3, Verr. 5: *Ægram et propè depositam reipublicæ partem suscepisse.*

397. *Mutas artes.*) *Medicinam*, quam sic vocat: vel comparatione musicæ et vaticinii, quæ voce maximè constant. Vel quia parum famosa tum erat, et a servis ferè exercebatur. Vel quia tunc, non voce et disceptatione ac præceptione tractabatur, sed manu atque opere: unde *chirurgiam* nostram referebat: ut patet ex hoc Iapide qui chirurgum hîc præstat potiùs, quàm medicum: et ex ipsis poetæ verbis, qui ipsi tribuit, non tantùm *scire potestatem herbarum*, sed ipsum etiam *usum medendi.*

Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medicâ Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextrâ
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subvenit: et sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlum
Stare vident: subeunt equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis, it tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæâ carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris

Iapis, cinctus replicatâ veste ex consuetudine medicorum, frustra deproperat plurima manu medicâ et validis herbis Phœbi; frustra commovet manu telum, et apprehendit ferrum mordaci forcipe. Nulla fortuna juvat operam, Apollo auctor *medicinæ* nullatenus succurrit: tamen sævus horror magis ac magis augetur in campis, et malum vicinius est. Jam vident aerem *totum* constare pulvere: appropinquant equites *Turni*, et jacula crebra cadunt in mediis castris: surgit ad cœlum mœstus clamor juvenum pugnantium et morientium in pugna aspera. Tum Venus mater, commota immerito dolore filii, legit ex Ida Cretæa dictamnum, caulem frondibus lanuginosis, et diffusum *in* flores purpureos: herba illa non ignota est capris sylvestribus,

401. *Pæonium.*) In morem Pæonis Deorum medici, Æn. 7, 769.

403. *Trepidat.*) Festinat, Æn. 9, 114; Georg. 4, 69. De *Phœbo*, et *Apolline*, Ecl. 3, 62, 104.

408. *Pulvere cœlum stare.*) Plenum esse, Æn. 6, 300. De *Marte*, Ecl. 9, 12.

412. *Dictamnum*, etc.) *Dictamnus* vel *dictamnum*, herba in sola Creta insula proveniens, *dictamo de Creta: pulegio* formâ affinis, *ao poejo:* frondibus tamen latioribus, et lanuginosis: quare *puberes* hic dicuntur. Valet ad expellenda e vulneribus tela; cujus rei capræ et cervi Cretenses indicium dicuntur fecisse. Nomen habet a *Dic-*

Gramina, cùm tergo volucres hæsêre sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc fuscum labris splendentibus amnem
Inficit, occultè medicans: spargitque salubris
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit eâ vulnus lymphâ longævus Iapis,
Ignorans: subitòque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis:
Jamque secuta manum nullo cogente sagitta
Excidit, atque novæ redière in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapis

cùm leves sagittæ infixæ *sunt* tergo. Venus attulit hoc *dictamnum*, involuta nube obscurâ *circa* corpus: imbuit hoc *dictamno* undam nigrantem in patinis fulgentibus, occultè temperans: et miscet salutaris ambrosiæ succos, et panaceam odoratam. Senex Iapis, ignarus *rei*, lavit plagam aquâ illâ: et scilicet omnis dolor repentè abiit e corpore, omnis sanguis constitit in ima plaga: et jam sagitta secuta manum exiit nullo *per vim* trahente, et novum robur rediit ad consueta *officia*. Festinate celeres, *afferre* ar-

tæo monte Cretensis insulæ, in quo, ut et in *Ida* ejusdem insulæ monte, reperitur. Damnant aliqui Virgilium, quod caulem et flores dictamno tribuerit: quos ei Plinius et Dioscorides auferunt. At verò Mathiolus ostendit Plinium errasse, erroremque suum ex corrupta Dioscoridis lectione hausisse: cùm ex Theophrasto antiquiore rerum illarum scriptore, et Galeno et experientiâ constet, flores, et caulem, et semen in dictamno reperiri; flores autem non singulares, sed singulis ferè foliis adnascentes: unde *flore comans* dicitur.

417. *Labris.*) Vasis, in quibus lavabant: quasi *lavabris*. Vocat *fuscum amnem*, aquam variis infectam succis herbarum, quas Iapis priùs miscuerat, v. 402.

419. *Ambrosiæ*, etc., *panaceam.*) *Ambrosiæ*, herba est quidem rutæ affinis: sed hîc haud dubiè cibus ille potusve Deorum, de quo Ecl. 5, 71. *Panacea*, quæ Columellæ *panax*, Plinio *panaces*; herba est fœniculo, anetho, et ferulæ aliquatenus affinis: admodum salutaris, et morborum omnium remedia nomine ipso promittens, ut ait Plinius, l. 26, 4: ἅπαν, *omne*, et ἄκος, *remedium*: *panacéa, herva curatudo.*

422. *Stetit.*) Fluere desiit.

Conclamat : primusque animos accendit in hostes.
Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proveniunt; neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc; oditque moras, hastamque coruscat.
Postquàm habilis lateri clypeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter præmia ducet.

ma *huic* viro: cur moramini? *Sic* clamat Iapis, et primus inflammat animos contra hostes: *addens*: Ista non accidunt humanis viribus, neque industriâ medicorum, neque manus mea te sanat, o Ænea. Deus potentior agit, et mittit te ad majores labores. Ille *Æneas* cupidus certaminis *jam* vestierat tibias *ocreis* aureis hinc et inde; et aversatur moras, et quassat hastam. Postquàm clypeus accommodus lateri, et thorax tergo adfuit, amplectitur Ascanium armis circumjectis, et osculans per cassidem summa ejus ora, *sic* loquitur: O puer, sume ex me exemplum virtutis et digni laboris; fortunæ *autem* ex aliis. Mox dextera mea faciet te bello securum, et ducet *tuam securitatem* inter magna *sua* præmia. Tu mox, quando ætas

430. *Suras.*) Pars tibiæ posterior, carnosa et ventricosa : pro *tota tibia* sumitur, quam vestiit Æneas aureis ocreis.

331. *Hastamque coruscat.*) Activè, Æn. 5, 642.

434. *Delibans oscula.*) Ore contigens ora : hunc enim esse locutionis hujus sensum ostendimus, Æn. 1, 260. *Oscula libavit natæ.* *Delibans*, leviter tangens, Æn. 1, 740.

436. *Fortunam ex aliis.*) Licèt enim hoc Latino bello felix Æneas fuisset; tamen adversâ fortunâ jactatus eatenus fuerat.

437. *Magna inter præmia ducet.*) Vel *ducet te ad magna præmia, laudis, regni,* etc.) ut vult Servius : vel fortè, *ducet ac reputabit ma-*

Tu facito, mox cùm matura adoleverit ætas,
Sis memor: et te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, et avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt: omnisque relictis
Turba fluit castris: tum cœco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Vidêre Ausonii; gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium; miseris heu præscia longè
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas

provectior adoleverit, fac *ut* sis memor *meæ virtutis*: et pater Æneas atque avunculus Hector excitet te revolventem animo exempla tuorum. Postquàm protulit hæc verba, extulit se e portis, altus, commovens manu grandem hastam: simul erumpunt *cum* magno numero Antheus et Mnestheus: et omnis multitudo exit desertis castris: tum campus turbatur obscuro pulvere, et terra tremit commota pulsu pedum. Turnus ex opposito tumulo vidit accedentes, Latini viderunt; et frigidus tremor subrepit in intima ossa. Juturna prima ante omnes Latinos audivit et agnovit sonitum, et fugit trepida. Ille *Æneas* volat, et trahit *secum* densum agmen patente campo. Qualis turbo cùm effusâ tempestate ruit ad terras per mare medium: heu animi longè providi horrescunt miseris agricolis: *scilicet*, ille

qui præmii loco, si post tot labores te defensum dare possit: videtur enim Æneas Ascanii unius causâ tot labores suscipere, suprà, v. 185.

440. *Avunculus Hector.*) Creusa enim, Ascanii mater, soror erat Hectoris, Priami filia, Æn. 2, 772.

451. *Sidere.*) Tempestate, procellâ, quæ siderum ortu et occasu concitatur, Æn. 11, 260.

Arboribus stragemque satis, ruet omnia latè.
Antevolant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit : densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbræus Osirim :
Archetium Mnestheus, Epulonem obruncat Achates,
Ufentemque Gyas. Cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor : versique vicissim
Pulverulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti ;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur : solum densâ in caligine Turnum

turbo inferet calamitatem arboribus et cladem segetibus, evertet latè cuncta. Venti prævolant, et portant sonitum ad litora. Talis dux Trojanus impellit aciem in oppositos hostes: omnes densi conglobant se pressis ordinibus. Thymbræus petit gladio gravem Osirim : Mnestheus jugulat Archetium, Achates Epulonem, et Gyas Ufentem. Occiditur ipse augur Tolumnius, qui primus immiserat hastam in hostes oppositos. Clamor ad cœlum mittitur : et Rutuli mutuò fugati, objiciunt *per* fugam terga pulverulenta in agris. Ipse *Æneas* neque dignatur dimittere morti dantes terga, nec insequitur pari gressu obstantes, nec jacientes *eminus* spicula : quærit unum Turnum circumiens in opaco

454. *Ruet omnia.*) Activè, Æn. 1, 39 : *Spumas salis ære ruebant.*

456. *Ductor Rhœteius.*) *Trojanus*, Æneas : a Rhœteo Troadis promontorio, Æn. 6, 500, in notis.

457. *Cuneis.*) *Ordinibus*, in figuram cunei, infrà, v. 575.

460. *Tolumnius augur*, etc.) Suprà, v. 257. *Augur*, quia ex avium consideratione futura prædicebat, Æn. 2, 703.

464. *Neque aversos*, etc.) Ita restituimus cum Pierio : ut tria pugnantium genera significentur ; *aversorum* et jam terga dantium ; *congredientium* cominus et æquo pede ; eminus tela *inferentium*. Alii sic legunt, sed minùs sanè : *ipse neque adversos dignatur sternere mor-*

Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longè lapsum temone relinquit:
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus, et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cùm divitis ædes
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hîc germanum, jamque hîc ostendit ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longè.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes,

pulvere, *unum* hunc vocat ad pugnam. Juturna virgo, commota hoc timore *secundùm* animum, dejicit inter medias habenas Metiscum aurigam Turni, et relinquit procul lapsum e temone: ipsa succedit *in ejus locum*, et regit manibus habenas fluctuantes, *præ se* ferens omnia Metisci, et vocem, et speciem, et arma. Veluti quando nigra hirundo volat per amplam domum opulenti domini, et alis circuit altas areas, colligens parva pabula et cibos nidis garrulis: et modò resonat *in* porticibus spatiosis, modò circa stagna humida. Similis Juturna vehitur equis inter medios hostes, et percurrit cuncta celeri curru: et jam hîc, et jam illic, ostendit fratrem exsultantem: nec permittit *eum* conserere manum *cum Ænea;* volat procul extra viam. Æneas non segniùs percurrit fle-

ti; nec pede congressos, nec equo nec tela ferentes.

467. *Lustrans.*) Circumiens, Æn. 1, 612.

468. *Virago.*) A vir, dixerunt veteres, Festo teste, *viram*, pro fœmina: hinc *virago*, quæ viro esset similis: unde contracta est *virgo*. Tamen *virago* generosæ fœminæ singulariter tribuitur, *virgo* cuilibet integræ.

474. *Atria.*) Aream ante ædes, Æn. 4, 666.

479. *Ovantem.*) Exsultantem, Æn. 3, 189.

481. *Legit obvius orbes.*) *Legere orbes*, nihil aliud vi-

Vestigatque virum, et disjecta per agmina magnâ
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu! quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu,
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, utì lævâ duo fortè gerebat
Lenta levis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum verò assurgunt iræ, insidiisque subactus
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras,

xos circuitus, occurrens *ei*, et quærit virum *illum*, et magno clamore vocat inter agmina dissipata. Quoties conjecit oculos in hostem, et imitatus est cursu *pedestri* celeritatem equorum Turni *habentium* alatos pedes; toties Juturna deflexit conversum currum. Heu! quid faciat *Æneas?* frustra agitatur variis motibus, et diversæ curæ rapiunt mentem in opposita. Messapus, cùm fortè leviter currendo ferret sinistrâ *manu* duo jacula flexilia armata ferro, librans certo ictu unum illorum immittit huic *Æneæ*. Æneas stetit, et occuluit se post clypeum, incurvans *se in* poplitem: tamen immissa hasta abstulit summitatem galeæ, et abscidit e capite supremas cristas. Tunc autem ira intumuit, et dolis coactus cùm vidit equos et currum rapi in diversam *partem*, sæpe attestans Jovem et altaria vio-

detur esse quàm, *iisdem orbibus per eumdem circuitum insistere*. Sed quia additur *obvius*, omnino est, *corripere orbes illos, et breviori circuitu sese hosti adversum offerre*.

484. *Alipedumque fugam*, etc.) Æmulatus est cursu celeritatem equorum Turni: quæ tanta erat, ut alatos pedes habere viderentur. *Fugam* dicit, pro *celeritate*, Æn. 1, 321.

491. *In arma.*) Arma hic pro *clypeo*, ut egregiè probat Cerdanus.

492. *Apicem tamen incita*, etc.) *Apex*, summa pars in cono galeæ, Æn. 2, 683; Æn. 3. 468. De *cristis*, ibid.

Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat, tanton' placuit concurrere motu,
Juppiter, æternâ gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus, et quà fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,

lati fœderis, tum demum irrumpit *in* medios, et Marte prospero terribilis, edit crudelem stragem *absque* ullo delectu, et immittit omnes habenas furoris. Quis Deus, quis carmine jam declaret mihi tot duras *res*, varias strages, et mortem ducum, quos modò Turnus, modò heros Trojanus disjecit vicissim toto campo? *o* Jupiter, an placuit *tibi*, populos mansuros in perpetuo fœdere certare tanto tumultu! Æneas non multum tardans, invadit *in* latus Sucronem Rutulum (ea pugna primùm fixit loco Trojanos irruentes) et, quà mors *erat* promptissima, immisit durum ensem trans costas et septum pectoris. Turnus occidit Amycum disturbatum *ex* equo, et fratrem *ejus* Diorem,

501. *Æquore.*) Plano campo, Æn. 2, 780.

504. *Gentes in pace futuras.*) Ex illo enim fœdere Romana gens orta: quæ totam Italiam sub uno deinceps imperio conjunxit.

505. *Ea prima ruentes*, etc.) Duplex interpretatio. I. Communis: *Pugna illa Æneæ cum Sucrone effecit, ut Trojani antea fugientes tunc primò subsisterent.* II. Cerdani: *Pugna illa, sive occursus Sucronis, fortissimi militis, fecit ut Trojani in hostem ante irruentes, tum primo impetum cohibuerint ac steterint.*

506. *Moratus.*) Alii legunt *morantem.*

508. *Costas et crates pectoris.*) Costas, quæ pectori veluti crates obtenduntur.

Congressus pedes, hunc venientem cuspide longâ,
Hunc mucrone ferit: curruque abscissa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mœstum mittit Onythen,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycià missos et Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Munera; conductâque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in sylvam, et virgulta sonantia lauro;

pedestri congressu; hunc longâ hastâ irruentem, hunc gladio: et affigit currui capita amborum amputata, et aufert stillantia sanguine. Ille *Æneas* dat morti Talon, Tanaim et fortem Cethegum, tres uno impetu, et tristem Onythen, virum Thebanum et prolem matris Peridiæ. Hic *Turnus morti dat* fratres profectos e Lycia et agris Apollinis: et Menœten Arcada, juvenem frustra aversatum bella, cui ars et pauper domus fuerat *circa* aquas Lernæ piscosæ; nec dignitates magnatum notæ *erant illi;* et pater *ejus* serebat in arvis conductis. Et quemadmodum ignes injecti e diversis partibus in siccam sylvam et *in* virgulta

510. *Cuspide longâ... mucrone.*) Per longam *cuspidem* intelligit acumen hastæ: per *mucronem*, acumen gladii. Alii aliter.

511. *Curru.*) Pro *currui*, Ecl. 5, 29.

515. *Nomen Echionium.*) *Thebanum* ab Echione, qui in condendis Thebis Bœotiis Cadmo adfuerat. De *Thebis*, Æn. 9, 697.

516. *Fratres Lycià*, etc.) Hos non nominat. *Lycia*, Asiæ minoris regio ad meridiem, oraculis Apollinis nobilitata, Æn. 4, 143, 345.

518. *Arcada: piscosæ*, etc.) Qui oriundus quidem ex Arcadia, Ecl. 4, 58; deinde in Argia regione piscatum exercuerat circa Lernam paludem; Æn. 6, 287: denique cum Evandro Arcade venerat in Italiam, tumque erat inter Æneæ auxilia.

520. *Munera.*) *Munia*, *dignitates.* Pauci quidem legunt, *limina.*

522. *Sonantia lauro.*) Ob crepitum ardentis lauri.

Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segniùs ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia, nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo: hunc lora et juga subter
Provolvêre rotæ, crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animisque immane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro,
Dextera nec tua te, Graiûm fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec Dî texêre Cupentum,
Æneâ veniente, sui: dedit obvia ferro

laurea crepitantia; aut quando fluvii spumantes præcipiti lapsu ex altis montibus edunt strepitum et currunt in mare, singuli vastantes suum iter; non lentiùs ambo Æneas et Turnus irrumpunt in certamina: nunc ira movetur intus: pectora *antè* nescia vinci perfodiuntur: nunc toto impetu incurritur in vulnera. Hìc *Æneas* saxo et turbine magni lapidis dejicit præcipitem et sternit humi Murranum, jactantem avos et vetera nomina avorum et omne genus deductum per reges Latinos: rotæ propulerunt ipsum subter juga et habenas, præterea protriverunt *eum* ungulæ multo pulsu incitatæ equorum immemorum domini. Ille *Turnus* occurrit Hyllo irruenti et dirè sævienti animis, et librat jaculum ad tempora *tecta casside* auratâ: hasta stetit illi *in* cerebro perfosso per galeam. Nec tua dextera servavit te *a* Turno, o Creteu fortissime Græcorum: nec Dii propitii protexerunt Cupentum, Æneâ irruente: *ille*

531. *Turbine saxi.*) Saxi, in modum ventosi turbinis rotati.

540. *Sui.*) *Faventes*: suprà, v. 187.

Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, et latè terram consternere tergo.
Occidis, Argivæ quem non potuêre phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hîc tibi mortis erant metæ: domus alta sub Ida,
Lyrnessi domus alta; solo Laurente sepulcrum.
Totæ adeò conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equûm domitor, et fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcadis alæ:
Pro se quisque viri summâ nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
Hîc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen

obtulit pectus obvium ferro, nec mora clypei ærei profuit misero. Te etiam, o Æole, agri Laurentini viderunt mori, et latè tegere terram dorso. Moreris *tu*, quem Græcæ catervæ non potuerunt dejicere, nec Achilles vastator regnorum Priami. Illic erat tibi terminus mortis: domus sublimis *erat* sub Ida, domus sublimis *in urbe* Lyrnesso; tumulus *in* terra Laurentina. Toti etiam exercitus permixti *sunt*, et omnes Latini, et omnes Trojani: Mnestheus, et ardens Serestus, et Messapus subactor equorum, et fortis Asylas, et exercitus Tuscorum, et equitatus Evandri Arcadis: homines *illi* singuli pro se contendunt toto impetu virium: nec *est* mora, nec cessatio: certant immani prælio. Tunc mater *Æneæ* formosissima immisit *ipsi* consilium, ut accederet ad muros, et admoveret exerci-

542. *Laurentes campi*, etc.) Æn. 7, 7, 63. *Argivæ*, Græcæ, Peloponnesiacæ, Æn. 1, 288. *Meta*, terminus, a circi metis, Æn. 5, 288. *Ida*, mons Troadis et Phrygiæ, Æn. 2, 801. *Lyrnessus*, urbs Phrygiæ, circa sinum Adramittenum, quò usque Idæ juga extendebantur, Æn. 10, 128.

551. *Tuscorum*, etc.) Etruscorum, Æn. 8, 479. *Phalanx*, peditum agmen, Æn. 6, 489. *Alæ*, equitum, Æn. 11, 604. Hi omnes aut Trojâni aut Trojanorum socii, præter unum Messapum, Turni socium, Æn. 7, 691.

552. *Opum vi.*) Omni industriâ, virtute, armis, Æn. 9, 532.

Ociùs, et subitâ turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impunè quietam.
Continuò pugnæ accendit majoris imago.
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores; tumulumque capit, quò cetera Teucrûm
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Deponunt: celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora: Juppiter hâc stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
Ni frænum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prælia Turno

tum urbi celeriter, et percelleret Latinos improvisâ strage. Ille *Æneas* postquàm circumjecit oculos huc et illuc, quærens Turnum inter turmas remotas; videt urbem expertem tantæ pugnæ et tranquillam absque damno. Statim species majoris prælii inflammat *eum*. Vocat duces, Mnestheum, et Sergestum, et fortem Serestum: et conscendit collem, quo reliquus exercitus Trojanorum congregatur, et spissi non dimittunt clypeos aut jacula: ipse medius *inter illos sic* loquitur erectus alto e tumulo: Ne sit ulla mora meis jussis: Jupiter hâc *parte* stabit *pro nobis*: et ne ullus mihi sit inertior ob repentinum consilium. Nisi *hostes* volunt admittere frænum et superati obedire, hodie evertam urbem, causam belli, et ipsum regnum Latini, et sternam tecta fumantia æquata terræ. Nempe exspectabo, dum placeat Turno pugnam ferre nostram, et *dum* victus iterum

558. *Acies.*) Oculorum acies intelligit Servius, alii varias exercitûs partes. *Urbem*, Laurentum, Æn. 7, 63.

563. *Nec scuta.... deponunt.*) Mos notatur militum Romanorum, qui armati concionantem imperatorem audiebant: a quo more sæpe Græcos discedere solitos ostendit Cerdanus.

565. *Jupiter hâc stat.*) Jupiter, vindex violatæ fœderum religionis, hâc parte stat a nobis: siquidem nudam et indefensam urbem nobis objicit.

Nostra pati? rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces properè, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densâque ad muros mole feruntur.
Scalæ improvisò, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant:
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnâque incusat voce Latinum:
Testaturque Deos, iterum se ad prælia cogi:
Bis jam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros.

velit congredi mecum? hæc *urbs*, o cives, *est* caput, hæc summa belli scelerati. Celeriter inferte faces, et ignibus repetite *fidem* fœderis. *Sic* dixerat: et omnes animis unà pugnantibus formant cuneum, et spissâ multitudine irruunt in muros. Repentè scalæ et subitus ignis visus est. Alii incurrunt ad portas et occidunt obvios: alii librant jacula, et obscurant aerem sagittis. Ipse Æneas inter primos protendit dexteram ad muros, et increpat altâ voce Latinum: et attestatur Deos, se rursus cogi ad pugnam, Italos jam bis hostes *esse*, hæc secunda fœdera violari. Dissensio nascitur inter cives timidos, alii jubent *suos* recludere urbem et aperire portas Trojanis, et trahunt ad muros ipsum regem: alii inferunt arma et pergunt tutari

575. *Dant cuneum.*) Sese in cunei figuram componunt: quæ, primâ fronte acuta, tum magis ac magis in latitudinem secundùm latera explicatur. Lipsius, de militia, l. 4, 7.

582. *Hæc altera fœdera rumpi.*) Primò enim Latinus ultrò Æneam socium et generum adsciverat, Æn. 7, 259. Secundò singulare certamen Turni cum Ænea facto fœdere constituerat, suprà, v. 195.

585. *Ipsumque trahunt*, etc.) Trahunt ad muros Latinum regem suum; vel ut summi discriminis spectator, urbem ipse Trojanis aperien-

Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes fumoque implevit amaro :
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis, tum murmure cæco
Intus saxa sonant : vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare ;
Nusquàm acies contra Rutulas, nulla agmina Turni :
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Extinctum, et subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat crimenque caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

muros. Veluti quando pastor quæsivit apes inclusas in cavernoso saxo, et implevit *eas* fumo amaro: illæ timentes rebus *suis* volitant intus per cereas domos, et excitant iram *suam* magnis fremitibus. Dirus odor diffunditur domo, et saxa resonant intus obscuro murmure : fumus exit in aerem apertum. Præterea calamitas ista contigit Latinis fatigatis, quæ turbavit penitus dolore totam urbem. Regina, quando vidit hostem accedentem *ad* domos, muros infestari, flammas volare ad culmina, exercitum Rutulum nullibi *comparere* contra, nullas turmas Turni : misera putat juvenem occisum *esse* in contentione prælii; et commota repentino dolore *secundùm* animum, fatetur se *esse* causam et scelus et originem calamitatum : et amens locuta plurima ex tristi furore, lacerat manu vestes purpureas moritura, et suspendit ex alta trabe laqueum fœdæ mor-

dam esse intelligat; vel ut violator fœderis ipse Trojanis dedatur.

587. *Pumice.*) Cavo lapide, Æn. 5, 214.

589. *Trepidæ rerum.*) Æn. 1, 182 : *Fessi rerum.*

596. *Incessi muros.*) Infestari ab hostibus imminentibus.

602. *Purpureos amictus.*) Qui color regius est. De *purpura*, Georg. 2, 506.

603. *Informis lethi.*) Sus-

Quam cladem miseræ postquàm accepêre Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba furit : resonant latè plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes : it scissâ veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruinâ,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans :
Multaque se incusat, qui non acceperit antè
Dardanium Æneam, generumque adsciverit ultro.
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior atque
Jam minùs atque minùs successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures

tis. Postquàm Latinæ *mulieres* infelices cognoverunt hanc mortem, filia *ejus* Lavinia, prima lacerans manu rutilos capillos et malas roseas, deinde reliqua multitudo furit : domus latè sonat planctu. Hinc fama misera spargitur per totam urbem. Dejiciunt *animos* : Latinus incedit laceratâ veste, *territus* morte uxoris et clade urbis, fœdans albos crines mixtos sordido pulvere : et multum damnat se, quòd non admiserit priùs Æneam Trojanum et ultrò sociaverit *sibi* generum. Interim Turnus pugnans in remoto campo persequitur paucos errantes, jam tardior, et jam minùs ac minùs gaudens celeritate equorum *suorum*. Ventus pertulit illi hunc clamorem confusum incertis terroribus, et

pendium informe et ignominiosum fuit : quia ex libris Pontificalibus apud Servium, suspensi abjicebantur insepulti : quia, ex Varrone apud Servium Danielis, iis non parentabatur, nisi suspensis oscillis, quasi ad ludibrium mortis : quia, ex Artemidoro, hos unos in mortuorum cœnis cognati non nominabant.

612. *Multa.*) Multum : neutrum pro adverbio, Georg. 3, 500. *Dardanium*, Trojanum, Æn. 1, 239.

614. *Æquore.*) Plano campo, Æn. 2, 780.

616. *Minùs successu lætus equorum.*) Vel quia minùs jam celeriter currebant : vel quia minùs jam gaudebat, quod eum a pugna tam longè abstulissent.

Confusæ sonus urbis, et illætabile murmur.
Hei mihi : quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversâ clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis. Hàc, Turne, sequamur
Trojugenas, quà prima viam victoria pandit.
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint :
Ingruit Æneas Italis, et prælia miscet;
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc :
O soror, et dudum agnovi, cùm prima per artem
Fœdera turbâsti, teque hæc in bella dedisti :
Et nunc nequicquam fallis Dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri lethum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutem?

sonitus turbatæ urbis ac murmur minimè lætum pepulit aures *ejus* attentas. Hei mihi! cur muri turbantur tanto ululatu? et quæ tanta vociferatio erumpit ex urbe dissita? sic loquitur, et territus stat compressis habenis. At verò soror, quippe *quæ* transformata in speciem aurigæ Metisci moderabatur currum et equos et habenas ejus, respondet illi talibus verbis: Turne, persequamur Trojanos hàc, quà prima victoria aperit iter : sunt alii, qui possint tutari manu domos. Æneas ruit in Italos et agitat pugnam; nos quoque manu demus Trojanis crudelem mortem : non exibis inferior aut numero aut gloriâ pugnæ. Turnus *respondet* ad hæc: O soror! et jampridem animadverti, quando prima turbâsti per dolos fœdus, et immisisti te in hanc pugnam; et jam frustra decipis *me quamvis sis* Dea. Sed quis jussit te delapsam e cœlo pati tantos labores? an ut spectares crudelem necem infortunati fratris tui? nam quid facio? aut quæ sors promittit jam *mihi* salutem? vidi

633. *Fœdera turbâsti.*) Suprà, v. 224.

Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret: Teucri potiuntur corpore et armis,
Exscindi ne domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextrâ nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem hæc terra videbit?
Usque adeòne mori miserum est? vos o mihi manes,
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes

ipse præ oculis meis Murranum, quo nullus alius superest mihi carior, magnum et magno occisum vulnere mori vocando me. Occidit miser Ufens, ne videret nostram infamiam: Trojani habent cadaver *ejus* et arma. An feram everti domos? hoc unum *deerat* miseriis; nec refutabo manu crimina*tiones* Drancis? vertam terga? et hæc terra spectabit Turnum fugientem. An eo usque calamitosum est mori? o vos *Dii* inferi, estote mihi propitii, siquidem voluntas cœlestium infensa est *mihi*. Pura anima et ignara hujus sceleris, descendam ad vos, nunquàm indignus claris patribus. Vix ea locutus erat: ecce Sages vectus equo

639. *Murranum.*) Regii sanguinis virum, occisum ab Ænea; suprà, v. 529. *Ufens*, dux Æquicolarum, Æn. 7, 745, occisus a Gya Trojano, suprà, v. 460. *Teucri*, Trojani, Æn. 1, 239. *Drancis*, Latini principis, Turno infesti, qui ipsi fugam publicâ oratione objecerat, Æn. 11, 336.

646. *Usque adeone mori*, etc.) Moriar quidem: sed mori malo, quàm eâ me vivente culpâ maculare, quòd fugerim, quòd urbem deseruerim: neque enim adeò misera res est mori. Ergo, manes, Dii inferi, excipite me propitii, siquidem superi mea non ampliùs curant. Quibus verbis devovet se pro patria. De *manibus*, Æn. 6, 743.

Vectus equo spumante Sages, adversa sagittâ
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus : miserere tuorum.
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum :
Jamque faces ad tecta volant, in te ora Latini,
In te oculos referunt : mussat rex ipse Latinus
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tuî fidissima, dextrâ
Occidit ipsa suâ, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem : circum hos utrinque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea : tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit variâ confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit : æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.

spumante accurrit per *medios hostes*, vulneratus sagittâ *secundùm* vultum adversum : et accurrit *invocans* Turnum nomine : Turne, ultima salus in te *est* : miseresce tuorum : Æneas tonat armis, et minatur *se* eversurum et daturum exitio altas arces Italorum : et jam tædæ volant ad culmina : Latini conjiciunt in te vultus, in te oculos : ipse rex Latinus dubitat quem appellet generum, quam ad societatem se vertat. Insuper ipsa Regina fidissima tibi, occidit suâ manu, et attonita deseruit vitam. Messapus et ardens Atinas soli ante portas sustinent prælium : densa agmina circumstant illos utrinque, et seges ferrea rigescit nudis ensibus : tu volvis currum in solo gramine. Turnus obstupuit turbatus variâ specie rerum, et constitit tacitè intuens: ardet magnus pudor in intimo corde, et amentia mixta dolore, et amor commotus furore, et

657. *Mussat*, etc.) Vix audet loqui, dubitat, Æn. 11, 345.

662. *Phalanges.*) Pedestres copiæ, Æn. 6, 489.

666. *Æstuat ingens*, etc.) Hos animi motus *totidem* verbis ac versibus jam tribuit poeta Mezentio, Æn. 10, 870.

Ut primùm discussæ umbræ, et lux reddita menti,
Ardentes oculorum acies ad mœnia torsit
Turbidus, èque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat,
Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdiderat que rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quò Deus, et quò dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte pati, nec me indecorem, germana! videbis
Ampliùs: hunc, oro, sine me furere antè furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ociùs arvis:
Perque hostes, per tela ruit, mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit avulsum vento, seu turbidus imber

virtus *sibi ipsi* cognita. Statim atque tenebræ dissipatæ sunt, et lumen redditum est animo, turbatus vertit ad muros orbes oculorum inflammatos, et e curru respexit ad magnam urbem. Ecce autem *torrens* flammarum elapsus inter contabulationes erumpebat ad cœlum et hærebat turri, quam ipse struxerat trabibus conjunctis, et supposuerat *ei* rotas, et applicuerat altos pontes. O soror, *inquit*, jam jam fata vincunt: desine retinere *me:* eamus, quò Deus, et quò adversa fortuna vocat *me*. Deliberatum est *mihi* conserere manum *cum* Ænea, deliberatum est tolerare quicquid est asperi *in* morte: nec me videbis ulterius inglorium, o soror: precor, permitte me exercere hunc furorem ante *mortem*. *Sic* dixit, et statim desilit e curru in agros: et irrumpit per hostes, per arma: et relinquit tristem sororem, et celeri cursu disjicit media agmina. Et quemadmodum quando saxum abruptum vento cadit pronum e

672. *Tabulata.*) Turres erant ligneæ, variis contabulationibus eductæ, pontibus inter se conjunctæ, rotis impositæ, ut pro rerum necessitate aliò atque aliò advolverentur.

680. *Furere furorem.*) Græca locutio, cujus multa exempla suppeditat Cerdanus.

Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas :
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo, sylvas, armenta, virosque
Involvens secum : disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, stridentque hastilibus auræ :
Significatque manu, et magno simul incipit ore :
Parcite jam, Rutuli, et vos, tela inhibete, Latini :
Quæcumque est fortuna, mea est : me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro.
Discessêre omnes medii, spatiumque dedêre.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces ;
Præcipitatque moras omnes : opera omnia rumpit,
Lætitiâ exsultans horrendùmque intonat armis :
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis

montis cacumine, sive pluvia repentina exedit *illud*, sive vetustas dissolvit tempore labente : mons *ille* vastus cadit in abruptum magno *impetu*, et subsilit humi, rapiens secum arbores, pecora, et homines : sic Turnus inter agmina disturbata currit ad muros urbis, ubi multa terra *tincta* est fuso sanguine, et aer stridet sagittis : et signum facit manu, et simul altâ voce incipit *loqui* : Abstinete jam, ô Rutuli, et vos, Latini, cohibete arma : quæcumque est sors *hujus pugnæ*, mea est : justius *est* me solum implere fœdus pro vobis, et dimicare ferro. Omnes *qui erant in* medio recesserunt, et fecerunt spatium. At pater Æneas, audito nomine Turni, relinquit muros, et relinquit altas turres ; et accelerat omnes moras, et abrumpit omnia opera, exsultans gaudio, et horrendùm sonat armis. Quantus *est* Athos, aut quantus *est* Eryx, aut quantus *est* ipse

687. *Improbus.*) Magnus, etc. Georg. 1, 146 : *Labor omnia vincit improbus.*

694. *Verius.*) *Æquius*, Livius, l. 32, 33. Sociorum *audiri postulata verum esse.*

701. *Athos.*) Mons Macedoniæ, imminens mari Ægæo, ἄθως, ultimâ longâ, nunc *monte Sancto*, Georg. 1, 332. *Eryx*, mons in Sicilia post Ætnam maximus,

Cùm fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam verò et Rutuli certatim, et Troes, et omnes
Convertêre oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuêre humeris: stupet ipse Latinus,
Ingentes genitos diversis partibus orbis
Inter se coiisse viros et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro:
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors et virtus miscentur in unum.

pater Apenninus, quando sonat ilicibus mobilibus, et gaudet tollens se nivoso cacumine in aerem. Tunc autem et Rutuli et Trojani et cuncti Itali certatim converterunt oculos, et qui defendebant sublimes muros, et qui quassabant ariete muros infimos: *et* demiserunt arma ex humeris. Ipse Latinus obstupescit, magnos *illos* viros ortos e disjunctis regionibus terrarum congredi *inter* se et dimicare ferro. Illi autem, *postquàm* campi aperti sunt spatiosâ planitie, *celeri* incursu procul vibratis hostis incipiunt pugnam clypeis æreis sonantibus: terra reddit gemitum: deinde infligunt gladiis frequentes ictus: sors et fortitudo confundun-

nunc *S. Juliani*, Æn. 3, 707; Æn. 5, 759.

703. *Apenninus.*) Montium perpetua series, ex Alpibus propagata, in Liguribus circa Genuam incipiens: tum continuo dorso mediam Italiam secundùm longitudinem intersecans: et ad fretum Siculum desinens. *Pater* dicitur, tot sylvarum, tot fluminum, quæ in utrumque latus Italiæ ex eo erumpunt. Vel ob dignitatem, quia montium omnium Italiæ maximus est. *Ilex*, *azinheira*, *roble*, arbor e querno genere *Coruscis ilicibus*, foliorum motu coruscantibus, Æn. 1, 168.

706, *Ariete.*) Machinâ, quassandis muris comparatâ, Æn. 2, 492.

709. *Cernere ferro.*) Decernere, decertare ferro.

712. *Clypeis atque ære sonoro.*) Clypeis æreis, ictuum inflictu sonantibus. Sic, Georg. 2, 192: *Pateris libamus et auro.*

At velut ingenti Silâ, summove Taburno,
Cùm duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessêre magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur:
Illi inter sese multâ vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
Juppiter ipse duas æquato examine lances

tur simul. Et quemadmodum *in* magna Sila, aut alto Taburno, quando duo tauri obversis capitibus congrediuntur in certamen hostile, pastores timidi fugerunt: armentum totum manet tacitum *præ* timore, et juvencæ mugientes *exspectant*, quis dominetur armento, cui tota armenta pareant; *illi* confundunt inter se plagas multo robore, et obluctantes infigunt cornua, *et tingunt* colla atque humeros multo sanguine: tota sylva reboat gemitu. *Non aliter* Æneas Trojanus et heros Dauni filius incurrunt *in* clypeos: magnus fragor ferit cœlum. Ipse Jupiter librat duas lances examine æquato, et addit *lancibus* fata opposita ambo-

715. *Silâ. . . . Taburno.*) *Sila*, sylva ingens Apennini montis, adhuc nomen antiquum retinens, in Brutiis, nunc *Calabria citerior:* circa Consentiam urbem, quæ hodie *Consenza*. *Taburnus*, mons olivifer, in Samnio Campaniæ confini; furcas, sive angustias Caudinas, a septentrione obvallans, nunc *Tabor*, vel *Taburo*. Ita Cluverius.

718. *Mussantque juvencæ.*) Timidè et quasi tacitè mugiunt; videturque ipso vocabulo vox juvencarum expressa.

722. *Armos.*) Humeros, Æn. 10, 894.

723. *Daunius.*) Turnus, Dauni filius, Æn. 7, 56.

725. *Æquato examine lances*, etc.) Locus imitatus ex Homero, Iliad. 22, 209: ubi Jupiter Hectoris et Achillis fata lancibus imponit. Is autem morti destinatus putatur, cujus fatum præponderat, et magis ad terram

Sustinet, et fata imponit diversa duorum :
Quem damnet labor, et quo vergat pondere lethum.
Emicat hic, impunè putans, et corpore toto
Altè sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes, trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat : fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cùm prima in prælia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci :
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,

rum, *ut videat*, cui labor malè succedat, aut quo pondere mors inclinet. Tunc Turnus exsilit, et toto corpore exsurgit in gladium altè erectum, existimans *id futurum* impunitum, et ferit Æneam. Trojani et turbidi Latini clamant, et amborum exercitus suspensi. Sed gladius infidus rumpitur, et deserit ferventem in medio ictu, nisi fuga succedat *in* auxilium. Fugit velocior Euro, quando vidit manubrium incognitum, et manum exarmatam. Fama perhibet, *Turnum* inconsultum, cùm conscenderet equos jugatos ad primum certamen, dum properat, omisso gladio paterno, sumpsisse gladium aurigæ *sui* Metisci. Is quidem diu sufficiens *fuit* dum Trojani objiciebant *ipsi* terga fu-

accedit. *Examen*, filum est, sive lingula in medio bilancis pendula, cujus momentis judicatur, quò pondus vergat.

727. *Quem damnet labor.*) Juxta Scaligerum : *a quo labor frustra suscipiatur.* Juxta alios, *quem labor infelix addicat morti.* Juxta alios, *quem felix labor damnet votis, obnoxium reddat votis exsolvendis :* quo modo Ecl. 5, 80 : *Damnabis tu quoque votis.* Ceteri nugantur.

733. *Euro.*) Vento orientali, Georg. 1, 371.

736. *Patrio mucrone.*) Quem Dauno, Turni patri, Vulcanus fecerat, suprà v. 90.

737. *Trepidat.*) Properat, Æn. 9, 114.

738. *Palantia.*) Vaga, Æn. 10, 671.

Suffecit : postquàm arma Dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies seu futilis, ictu
Dissiluit : fulvâ resplendent fragmina arenâ.
Ergo amens diversa fugâ petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densâ Teucri inclusêre coronâ :
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minùs Æneas, quanquam tardante sagittâ
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur : trepidique pedem pede fervidus urget :
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis et latratibus instat :
Ille autem, insidiis et ripâ territus altâ,

gientia : sed quando ventum est ad arma Dei Vulcani, gladius mortali *manu factus* fractus est ictu, veluti glacies fragilis : fragmina relucent *in* fulva arena. Itaquè Turnus attonitus adit fugiens campos remotos : et miscet dubios circuitus, nunc huc, deinde illuc. Nam Trojani undique cinxerunt *eum* spissâ multitudine, et hinc magna palus, hinc alti muri sepiunt. Æneas non segniùs persequitur, et ardens tangit pede pedem timentis : quamvis aliquando genua Æneæ impediant et negent cursum, vulnere sagittæ remorante : quemadmodum canis venaticus, cùm aliquando reperit cervum deprehensum in fluvio, aut circumdatum formidine plumarum rubrarum, imminet *ei* cursu et latratu : ille verò territus insidiis et alto margine

739. *Dei ad Vulcania.*) Vulcani Dei, qui Veneris rogatu ensem, clypeum, galeam, Æneæ fecerat, Æn. 8, 370, 620.

740. *Futilis.*) Fragilis, inutilis, Æn. 11, 339.

746. *Sagittâ.*) Quâ vulneratus fuerat, v. 319. Sanatus ab lapide et Venere, v. 411.

750. *Puniceæ formidine pennæ.*) Fune, rubris et versicoloribus plumis distincto, ad terrendas feras. *Linea* vocatur a Seneca Philosopho, et Tragico; *formido* a Virgilio et Lucano; *pennæ formidatæ* ab Ovidio. De

Mille fugit refugitque vias; at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum verò exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circà, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans; notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contrà præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc, illuc: nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vita et sanguine certant.
Fortè sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hîc steterat, nautis olim venerabile lignum;

fluvii, fugit et refugit *per* mille vias; sed acer *canis* ex Umbria adhæret *ipsi* hians, et jam jam apprehendit, et similis apprehendenti insonuit dentibus, et deceptus est vano morsu. Tunc autem clamor emittitur, et ripæ et lacus respondent circum, et totum cœlum sonat tumultu. Ille *Turnus* simul fugit, *et* simul objurgat omnes, appellans unumquemque nomine *suo*, et petit ensem solitum. Contrà Æneas intentat necem et præsentem ruinam, si ullus adeat *Turnum;* et terret trepidos, minitans se eversurum urbem, et urget *eum licet* vulneratus. Conficiunt cursu quinque circuitus, et totidem relegunt, huc, illuc: non enim quæruntur præmia tenuia aut ludicra, sed contendunt de vitæ et sanguine Turni. Fortè oleaster frondibus amaris hîc fuerat sacer Fauno, arbor quondam veneranda nautis: ubi *nautæ*

puniceo colore, rubro, Ecl. 5, 17.

753. *Umber.*) Canis ex Umbria, Italiæ septentrionali regione: a septentrione mari Hadriatico definita; a meridie ferè Tiberi et Nare amnibus: Apennini jugis aspera, nunc ferè capit ducatum *Urbinatem*, *Spoletanum*, *et Anconitanam* Marchiam, *Urbino*, *Spoleto* et *Ancona*.

766. *Fauni oleaster.*) De *Fauno*, Deo Laurentinorum, Latini patre aut avo. Æn. 7,

Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, et votas suspendere vestes :
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat : huc impetus illam
Detulerat fixam, et lentâ in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides; teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum verò amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit : tuque optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecêre profanos.
Dixit; opemque Dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus

erepti e naufragio solebant affigere dona Deo *illi* Laurentino, et suspendere vestimenta devota. Sed Trojani absciderant sine discrimine sacram arborem, ut possent pugnare campo expedito. Hasta Æneæ hærebat illic: impetus illam impulerat illuc fixam, et retinebat in radice tenaci. Trojanus *Æneas institit*, et voluit manu extrahere *hastam* ferratam, et assequi hastâ *eum* quem non poterat attingere cursu. Tum verò Turnus exanimatus metu, ait : O Faune, oro, miserere : et tu, o bona Terra, retine ferrum : si fovi semper vestros cultus, quos Æneas contra reddidit bello profanos. Dixit : neque imploravit auxilium Dei in vota inutilia. Nam Æneas diu obnixus et moratus in tenaci radice, nullo robore potuit solvere

47, etc. *Oleaster, zambujeiro*, olea sylvestris sæpe pro templis constituta suspendendis donariis : quia vivacitas hujus arboris tanta est, ut multis confixa clavis, nihil tamen lædatur.

768. *Dona.*) Tabulas naufragii testes, *et* vestimenta. Sic enim Horat. Od. I. 1, 5, 13 : *Me tabulâ sacer votivâ paries indicat, uvida suspendisse potenti vestimenta maris Deo.*

771. *Puro campo.*) Vacuo, absque impedimentis, Horat. Epist. I. 2, 2, 71 : *Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.* Æn. 11, 711, *pura parma.*

773. *Lentâ.*) Tenaci. Sic dicitur *lenta pix*, Georg. 4, 41; *lentum gluten*, ibid. 161.

Roboris Æneas. Dum nititur acer, et instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque altâ ab radice revellit.
Olli sublimes, armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hastâ,
Assistunt contra, certamine Martis anheli.
Junonem interea rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulvâ pugnas de nube tuentem.
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis ipsa et scire fateris
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut quâ spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?

tenacitatem ligni. Dum *Æneas* ardens conatur et urget, Dea filia Dauni, iterum conversa in formam aurigæ Metisci, accurrit, et reddit gladium fratri. Venus irata *quòd* id liceret audaci Nymphæ, venit et attraxit hastam e profunda radice. Illi alti, reparati animis et armis, hic confidens ensi, hic ferox *et sublimis* hastâ, stant oppositi, anhelantes prælio Martis. Interim rex cœli omnipotentis affatur Junonem, spectantem prælia e rutila nube: O uxor: quis nunc finis erit? quid demum superest? *tu* ipsa nosti et fateris *te* nosse Æneam destinari Divum cœlo, et fatis evehi ad astra. Quid paras? aut quâ spe manes in frigidis nubibus? an decuit Divum *illum* lædi plagâ *in-*

783. *Morsus roboris.*) Tenacitatem oleaginæ radicis, quasi mordicùs hastam tenentis. *Robur* itaque, durum quodvis lignum est, ut jam notavimus, Georg. 1, 162.

785. *Dea Daunia.*) Juturna, Turni soror, Dauni filia, suprà, v. 139.

791. *Omnipotentis Olympi.*) Æn. 10, 1.

793. *Quæ finis.*) Nomen interdum Virgilio etiam fœmininum, Æn. 5, 384.

794. *Indigetem Æneam.*) Indigetes Dii, qui primò in terra *degentes*, inde in cœlum traducti fuerant. Talis præcipuè Æneas; quem Livius testatur, non tantùm *indigetem* dictum fuisse, sed etiam *Jovem indigetem*, Georg. 1, 498.

Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Trojanos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miscere hymenæos:
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orsus:
Sic Dea submisso contrà Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aeriâ solam nunc sede videres

flictâ a mortali? aut gladium subductum reddi Turno, et robur augeri victis: nam quid Juturna posset absque te? cessa nunc denique, et flectaris meo rogatu: nec tantus dolor angat te tacitam, sed mœstæ sollicitudines *tuæ* innotescant mihi sæpe e tuo dulci ore. Ventum est ad ultimum. Potuisti insectari Trojanos terrâ et mari, et excitare dirum bellum, fœdare domum *Latini*, et turbare calamitatibus nuptias: prohibeo te aggredi *quicquam* præterea. Sic Jupiter locutus *est*: sic Dea Saturni filia contra *respondit* dejecto vultu: O magne Jupiter, deserui et Turnum et terras invita, quòd quidem tua voluntas mihi

798. *Aut ensem*, etc.) Meritò sanè accusatur Virgilius indiligentiæ in hoc Turni cum Æneâ certamine. I. Quòd eos armis ita impariibus inter se commiserit. Hinc enim Æneas galeâ, clypeo, ense cœlesti armatus: inde Turnus gladio mortali ac futili. II. Quòd ubi suus Turno gladius, item cœlestis, redditus est, Jovem inducat eâ de re, quasi contra jus facta sit, conquerentem. III. Quòd Turnum ita bonæ rectæque mentis expertem describat ut recuperato ense suo uti non meminerit, sed eo omisso se saxi impulsu defendat, v. 896.

804. *Accendere bellum*, etc.) Excitatâ ex inferis Furiâ, quæ fœdus Latini cum Æneâ disturbaret. Æn. 7, 323. *Hymenæos.*) Nuptias, Georg. 3, 60.

810. *Nec tu me aeriâ*, etc.) Supple, *nisi tua voluntas mihi nota esset, nisi prohibuisses.*

Digna, indigna pati, sed flammis cincta sub ipsâ
Starem acie, traheremque inimica in prælia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.
Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quæ reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cùm jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component: cùm jam leges et fœdera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,

esset cognita, *alioqui*, non videres me jam solam in aeria regione tolerare digna et indigna; sed circumdata ignibus essem in ipso exercitu, et vocarem Trojanos in adversa certamina. Fateor, suasi *ut* Juturna auxiliaretur fratri *suo* infortunato, et approbavi ut susciperet majora pro vita ejus; non tamen *ita* ut jacula *intenderet*, neque ut arcum: juro per originem inexorabilem fontis Stygii, quæ sola religio imposita est Diis cœlestibus. Et nunc quidem cedo, et aversata pugnas relinquo *eas*. Peto a te pro Latio, pro dignitate tuorum *Latinorum*, id quod nullâ lege fatorum continetur: *scilicet* quando jam constituent pacem fausto conjugio (*itaque* sit) quando jam sociabunt leges et fœdera, ne imperes, *ut* Latini indigenæ amittant nomen

814. *Suasi.*) Suprà, v. 157.

816. *Stygii*, etc.) Fontis inferni, Æn. 6, 323. Per hunc Dii jurare solent, causam habes, Georg. 3, 551.

817. *Superstitio superis, reddita.*) *Superstitio*, gravis et formidolosa religio, metus religiosus. *Reddita:* explicat Servius, *data et imposita:* compositum pro simplici. Explicant Passeratius, Germanus, Cerdanus, *vicissim reposita superis Diis ab inferis:* cùm enim inferi subjecti sint multis in rebus; hâc unâ re superi vicissim inferis subditi sunt, ut per Styga jurare cogantur.

823. *Indigenas Latinos.*) Itaque Virgilius Latinorum nomen, non a Latino rege profectum, sed multò anti-

Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari :
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges :
Sit Romana potens Italâ virtute propago :
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja
Olli subridens hominum rerumque repertor,
Es germana Jovis, Saturnique altera proles :
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verùm age, et inceptum frustra summitte furorem :
Do, quod vis, et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt :

antiquum; neve *imperes* ut fiant Trojani, et appellentur Trojani, aut *ut* viri *illi* mutent linguam, aut convertant vestimenta. Sit in æternum Latium, sint reges Albani, sit posteritas Romana potens fortitudine : Troja cecidit, permitte etiam *ut* ceciderit cum *suo* nomine. Auctor rerum et hominum respondit illi subridens : *Tu* es soror Jovis, et secunda soboles Saturni: *an* versas in animo tantos fluctus irarum? sed age et mitiga furorem frustra susceptum : concedo quod petis, ac me submitto et sponte et superatus *tuis precibus*. Itali servabunt linguam patriam et consuetudines, et nomen *eorum* erit, quale est : tantummodo

quius censet : ut diximus, Æn. 1, 10. Quanquam aliter censet Dionysius : aitque vocatos eos ante Latinum regem, *Aborigines*, Æn. 7, 181. Æn. 8, 314; ubi quærimus, an reipsâ *Aborigines indigenæ*, id est, ipsa in Italia nati; an verò aliunde advecti sint. *Teucros*, Æn. 1, 239. *Latium*, Æn. 7, 54. *Albani reges*, ab Ascanio instituti, Æn. 6, 763. Æn. 8, 48.

830. *Es germana Jovis*, etc.) Sensus est juxta Servium : *Tu quidem mea es soror, et filia Saturni : unde non mirum est tantam te iracundiam animo concepisse. Potentissimi enim quique, iræ retinentissimi sunt.* Juxta me secundus versus cum interrogatione legendus est, ut sensus sit. *Tu quidem mea soror es, et Saturni filia : quid ergo irarum tantos volvis sub pectore fluctus?* quod affine est iis quæ dicta sunt, Æn. 1, 15 : *Tantæne animis cœlestibus iræ!*

834. *Ausonii.*) Itali, quos priùs Latinos vocavit, Æn. 7, 54.

Utque est, nomen erit : commixti corpore tantùm
Subsident Teucri : morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Suprà homines, supra ire Deos pietate videbis ;
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit.
Intereà excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat :
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ ;
Quas, et tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,

Trojani juncti connubiis *illic* sedebunt : addam modos et cæremonias sacrorum, ac faciam omnes Latinos unius linguæ. Videbis posteritatem, quæ hinc orietur mixta sanguine Italo, pietate superare homines, superare Divos ; nec ulla natio adeò celebrabit cultum tuum. Juno assensa est *verbis*, et gaudens convertit animum. Interim abiit ex aere, et reliquit nubem. His perfectis, pater ipse voluit aliud secum, et meditatur deducere Juturnam a pugna fratris. Dicuntur *esse* duæ pestes, nomine Diræ; quas, et infernam Megæram, Nox profunda edidit uno et eodem partu, et implicuit similibus nexibus anguium, et applicuit *eis* alas celeres. Hæ adsunt ante solium Jovis, et in vestibulo severi *illius* regis, et excitant timores mi-

835. *Commixti corpore.*) Initis conjugiis.

845. *Cognomine Diræ.*) Apud inferos *Furiæ;* in medio *Harpyiæ;* in cœlo *Diræ* et *Jovis canes* dictæ, Æn. 3, 211. Et verò cùm Virgilius ait eas esse duas numero, eodemque cum Megæra Furia partu editas, innuit Diras ipsas, esse Furias alias duas, *Tisiphonem*, et *Alecto*, Æn. 6. 572. Noctis et Acherontis dicuntur filiæ.

846. *Nox intempesta.*) Obscura, media, ad agendum intempestiva, Æn. 3, 587.

Si quando lethum horrificum morbosque Deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Juppiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit
Stridens, et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquàm acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subitò collecta figuram:
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serùm canit importuna per umbras:

seris hominibus, si aliquando rex Deorum parat horribilem necem ac morbos, aut terret bello urbes *quæ id* meruerunt. Jupiter mittit ex alto cœlo unam illarum velocem, et imperavit offerri Juturnæ quasi portentum. Illa *Dira* volat et labitur in terras veloci impetu: non aliter ac sagitta per aerem immissa nervo, quam Parthus sive Cydon conjecit imbutam felle diri veneni, *ut sit* jaculum immedicabile, trajicit stridens et improvisa leves umbras. Filia Noctis talis intulit se et adivit terras. Quando cernit exercitum Trojanum et exercitum Turni, statim contracta in formam parvæ avis, quæ aliquando nocte manens in sepulcris aut in tectis desertis, serò canit ingrata per tenebras: Dira mutata hanc in speciem, fert ac re-

857. *Felle veneni.*) Veneno amaro: aut felle venenato.

858. *Parthus*, etc.) Parthi sagittandi arte nobiles, Ecl. 1, 62. *Cydon.*) Incola urbis, quæ *Cydon* ipsa quoque dicta est, in Creta sive Candia insula, Ecl. 10, 59.

862. *Alitis in parvæ*, etc.) *Noctua*, *coruja*, ab interpretibus intelligitur: quia, v. 864, dicitur *nocte sedens*: tum quia minor est quàm *bubo*, *bufo*, unde *parva*: tum quia deserta loca incolit, bubo frequenter urbana ædificia. Et licèt *noctua* Atheniensibus boni ominis haberetur; omen erat in volatu faustum, non in cantu: at hìc, *canit importuna: fertque refertque sonans.* De *bustis*, Æn. 4, 494.

Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans clypeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
At procul ut Diræ stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam miseræ superat mihi? quâ tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Lethalemque sonum: nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta es?
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certè, et misero fratri comes ire per umbras,

fert se stridens circa vultum Turni, et ferit alis clypeum *ejus*. Novus torpor debilitat ipsi membra timore: et capilli subrecti *sunt* horrore, et vox stetit *in* gutture. At misera Juturna, quando procul animadvertit stridorem et volatum Diræ, lacerat capillos sparsos, turpans vultum unguibus et pectus pugnis, *quia erat* soror, *aitque*: O Turne, quomodo tua soror potest jam succurrere tibi? aut quid jam restat infelici mihi? quo artificio producam tibi vitam? an possum objicere me tali portento: nunc nunc desero exercitum. Ne terreatis me *jam* timentem, o infaustæ aves: cognosco verbera alarum *vestrarum* et sonitum mortiferum: nec dura imperia magni Jovis decipiunt me. *An* reddit ista *mihi* pro virginitate *erepta?* cur dedit *mihi* vitam perpetuam? cur ablata est *mihi* lex moriendi? jam certè possem terminare tantos dolores, et ire socia fratri misero inter umbras, *si* ego nunc *essem* mor-

876. *Obscœnæ volucres.*) Funestæ et mali ominis, Æn. 3, 262.

878. *Pro virginitate.*) Quam Juturnæ rapuerat Jupiter, v. 140.

Jam mortalis ego. Haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit. O quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque Deam demittat ad imos!
Tantùm effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio Dea condidit alto.
Æneas instat contrà, telumque coruscat
Ingens, arboreum, et sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis,
Verte omnes te te in facies? et contrahe quicquid
Sive animis sive arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cavâ te condere terrâ.
Ille caput quassans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: Dî me terrent, et Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:

talis. Nihil quicquam meorum *bonorum* jucundum erit mihi absque te, o frater. O quæ terra satis profunda aperietur mihi: et detrudet *me* Divam ad infimas umbras! Eò usque locuta, Dea texit caput viridi velamine, gemens valde: et immisit se in profundum flumen. Contrà Æneas urget, et quassat hastam magnam, arboream: et sic loquitur duro animo: Quæ jam deinceps est mora? aut quid jam revolvis, o Turne! non pugnandum est cursu, *sed* propiùs duris armis. Muta te in omnes formas, et collige quicquid potes sive virtute sive dolo: opta adire alis alta sidera et occultare te abstrusum cavâ tellure. Ille *Turnus* commovens caput ait: Dure *hostis*, tua superba verba non terrent me: Dii, et Jupiter adversus me terrent. Nec

882. *Jam mortalis ego. Haud*, etc.) Alii codices habent: *immortalis ego! aut*, etc.

884. *Manes.*) Inferos, Æn. 6, 743.

885. *Glauco amictu.*) Ex colore aquarum, quibus præerat Nais Juturna, v. 139.

886. *Fluvio.*) Tiberi, unde in lacum suum, qui influit in Tiberim, facilis fuit via, v. 139.

887. *Coruscat.*) Activè, Æn. 5, 642.

Saxum antiquum, ingens, campo quod fortè jacebat
Limes agro positus; litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens, et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus

locutus plura, aspicit magnum saxum : saxum magnum, vetus, quod fortè jacebat campo, constitutus limes agri, ut dirimeret lites agrorum. Duodecim electi *viri* difficilè sufferrent illud collo, *tales*, qualia *sunt* corpora hominum, quæ terra jam profert. Ille heros assurgens altiùs et impulsus cursu, mittebat in hostem *hoc saxum* apprehensum manu tremente. Sed neque cognoscit se currentem, neque irruentem, aut erigentem manu et versantem saxum grande. Genua titubant, sanguis gelidus cogitur frigore. Præterea saxum ipsum, rotatum per aerem, nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim. Et quemadmodum nocte in somnis, quando languida quies clausit oculos, frustra videmur velle producere cursus optatos,

898. *Limes... litem, ut*, etc.) *Limes* dictus est, saxum vel via *lima*, hoc est, *obliqua, transversa*, discernendis agris constituta. Hinc *lis* dicta creditur a *limite*, quòd primæ lites et contentiones de limitibus fuerint. Alia tamen *litis* etyma affert Vossius.

899. *Bis sex*, etc Locus ex duobus Homericis expressus, Iliad. 5, v. 302, ubi Diomedes saxum in Æneam immittit, quale vix duo temporis Homerici homines efferrent, Iliad. 21, v. 405; ubi Minerva saxo Martem percutit, qui agris limes erat positus. Quàm indiligenter Virgilius id Turno tribuerit, diximus, suprà, v. 798.

Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur:
Sic Turno quâcumque viam virtute petivit,
Successum Dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii, Rutulos adspectat et urbem,
Cunctaturque *metu*; telumque instare tremiscit,
Nec quò se eripiat, nec quâ vi tendat in hostem;
Nec currus usquam videt, aurigamque sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens; orasque recludit
Loricæ, et clypei extremos septemplicis orbes:
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit

et infirmi deficimus in medio impetu, lingua non viget, vires solitæ non suppetunt in corpore, nec vox nec verba erumpunt; sic Dira divina abnuit Turno successum, quâcumque vi tentavit modum. Tunc diversæ sententiæ agitantur *ejus* animo. Respicit Rutulos et urbem; et moratur *præ* timore, et timet hastam imminentem; nec cernit usquam, quò se subducat, nec quo robore irruat in hostem, nec currum, nec sororem aurigam. Æneas incutit moranti hastam lethalem, explorans oculis opportunitatem; et procul immittit toto corpore. Nunquam saxa sic sonant, pulsa murali machinâ; nec tanti crepitus eduntur fulmine. Hasta portans sævam mortem volat sicut nigrans procella, et aperit extremitates thoracis, et sinuosos circuitus clypei septemplicis: stridens penetrat per medium femur: Turnus magnus cadit perculsus in terram flexo poplite. Rutuli surgunt *cùm* lamentis, et mons to-

924. *Oras loricæ*, etc.) Extremitates loricæ, quæ femur attingunt: et extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altiùs sustulerat.

925. *Septemplicis.*) Septem coriis, aut laminis ferreis æreisve contexti.

Mons circum, et vocem latè nemora alta remittunt.
Ille, humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens: Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere sorte tuâ: miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas
Ausonii vidêre: tua est Lavinia conjux.
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis

tus reboat circum, et profundæ sylvæ latè reddunt vocem. Ille abjectus et supplex, intendens oculos et dexteram supplicantem *ait:* Sane merui, nec precor ut *ne me occidas:* fruere tuâ fortunâ: *si* ulla cura miseri patris potest commovere te, oro, miserere senectutis Dauni; fuit quoque tibi talis Anchises pater; et redde meis *vel* me *vivum;* vel, si mavis, cadaver privatum luce. Vicisti, et Itali viderunt me victum tendere *tibi* manus: Lavinia tua est uxor. Ne progredere ulterius odiis. Æneas constitit ferox in armis, torquens oculos, et retinuit manum. Et jam jam magis sermo *Turni* cœperat commovere morantem Æneam; quando magnus *ac* infaustus balteus Pallantis juvenis apparuit *in* humero *Turni*, et cingulum emicuit

934. *Dauni.*) De illo Turni patre, v. 44.

942. *Balteus, et notis,* etc.) *Balteus, cingulum* humero laterique circumdatum, ornatum *bullis*, id est, clavis aureis, Æn. 9, 359. Balteum hunc Pallanti a se occiso Turnus eripuerat, Æn. 10, 496. Agnoscit eum Æneas ex pictura Danaidum, quarum facinus in eo expressum erat. Ibid. Tumque accidit, quod a poeta prædictum est, ibid. v. 503: *Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum, intactum Pallanta, et cùm spolia ista diemque oderit.*

Pallantis pueri : victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquàm sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus et irâ
Terribilis : Tu-ne hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus : ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

notis clavis ; quem *juvenem* afflictum vulnere Turnus occiderat, et gestabat humero insigne hostile. Ille *Æneas*, quando percepit oculis monumentum crudelis luctûs et spolia, inflammatus furore, et terribilis irâ, *ait :* An tu, ornate spoliis meorum *sociorum* eripieris hinc mihi ? Pallas, Pallas mactat te hoc ictu, et sumit supplicia ex impio sanguine. Hoc dicens, ardens occuluit ferrum intra pectus oppositum : illi autem *Turno* membra deficiunt *præ* frigore, et vita dolens abit cum gemitu ad umbras.

952. *Indignata.*) Quòd juvenis morte immaturâ moreretur, quòd victus ab extero, quòd regno et sponsâ privatus, quòd post spem veniæ conceptam.

FINIS

P. VIRGILII

MARONIS

OPERA.

TOMUS TERTIUS.

